ECCLESIA AFRICANA SUB PRIMATE CARTHAGINIENSI PER D. EMANUELEM A SCHELSTRATE...

Emmanuel Schelstrate, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

ECCLESIA
AFRICANA
SVB
PRIMATE
CARTHAGINIENSI

PER

D. EMANVELEM A SCHELSTRATE

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOREM

ET ECCLESIÆ CATHEDRALIS ANTVERPIENSIS

CANONICVM AC CANTOREM.

Opus continens Dissertationes Quatuor, in quarum primâ agitur de exordio Africanæ Ecclesiæ, eiusque notitiâ & regimine sub Primate Carthaginiensi non Autocephalo: in Secundâ de fide & ritibus Africanæ Ecclesiæ, uti à Romanâ mutuatis, ita & eidem Consonis: in Tertiâ de Conciliis Africæ, cum variis eorum editionibus, notis, ac Scholiis. In Quartâ de successione Episcoporum Carthaginiensium & variis Africanæ Ecclesiæ incrementis & decrementis, usque ad eius interitum sæculo 8. per irruptiones Sarracenorum introductum, & huc usque continuatum.

PARISIIS VENEUNT APUD FREDERICUM LEONARD.

M. DC. LXXIX.



EMINENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI
HIERONYMO CASANATE

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

DIACONO CARDINALI.

D*Ivino planè nutu factum existimem*, EMINENTISSIME CARDINALIS, *quod primum exiguitatis meæ de antiquitate Ecclesiasticâ sub Sanctiss. Patris* INNOCENTII XI. *patrocinio editum opus ad manus vestras pervenerit, cum illud inscrutabili quodam divinæ providentiæ consilio primam in me ignotum & immeritum excitarit benevolentiæ vestræ scintillam. Relatum id Româ fuit ami-*

corum litteris, cumque gloriosa vestri nominis fama hâc occasione ad nos pervolasset, cœpit me statim tanti Ecclesiæ principis summâ cum eruditione conjuncta humanitas, inciditque, poßibile fore, alterum, quod editurus eram de antiquitate Ecclesiasticâ opusculum, apud EMINENTIAM VESTRAM *patrocinium inventurum. Duobus jam tum operibus animus insudabat, quorum uno restituenda erat sua Antiocheno Concilio auctoritas, alio Africana sub primate Carthaginiensi illustranda Ecclesia: cumque mecum cogitarem, quodnam horum prius emitti deberet in lucem, Africana in primis occurrit Ecclesia, quæ sive nominis magnitudinem queramus, clarioribus auspiciis prodire non poterat, quam vestris; sive effusam Ecclesiastici principis in eruditos benevolentiam, clariorem in locum accedere non poterat, quam in tuum complexum ac manus.*

Enimverò quoad auctoritatis magnitudinem, possem in offerendo Africanæ Ecclesiæ commentario splendori dignitatis vestræ inherere, eumque in finem prædicare nobilitatem propaginis, quàm à gloriosi nominis patre Neapolitanam civitatem quondam regente jure hereditario mutuasti: possem ex eâ, quam Patris Matthiæ instar sub Innocentio X. & Alexandro VII. in gubernandis Sabinâ, Camerino, Anconâ, aliisque civitatibus suscepisti Provinciam, erectum gloriæ vestræ monu-

mentum

mentum extollere : possem ex præcipuis Romanæ Ecclesiæ muniis, quibus obeundis cum maximâ Alexandri septimi, Clementis noni, eiusdem nominis decimi, & INNOCENTII, (*qui modo feliciter Ecclesiæ præsidet*) VNDECIMI *satisfactione, splendorem vestri nominis celebrare: possem ex variis dignitatum gradibus, (siquidem non obscurè, nec raptim ad summam ferè amplitudinem conscendisti, verum ad locum summo proximum rectè atque ordine per omnes honorum gradus pervenisti:) dignitatis vestræ magnitudini inhærere, ut hisce minimum ingenioli mei opusculum, tanquam basi innixum, in orbem prodeat ab omnibus conspiciendum.*

Verum cum tantæ auctoritatis magnitudini alterum Ecclesiastici principis ornamentum conjunctum sit, effusa scilicet in eruditos animi benevolentia, huic præ cæteris confisus inhærendum duxi, quod favoris benignitate cunctos alliciat, & minimis quibusque ad auctoritatis magnitudinem viam pandat. Fluctuabat quondam animus, an ego nullum tunc in Ecclesiæ clero locum obtinens ad EMINENTIAM VESTRAM *dignitate in Ecclesiâ principe conspicuam scribere auderem: hinc auctoritatis magnitudo terrebat, illinc innata principis benevolentia invitabat; vicitque tandem ultima, quæ editißimo in loco posita favoris sui radios longè latèque diffundens me nullius licet eruditionis ac meriti amplecti dignata*

 est,

est, ut illi debeam gradum honoris ac muneris summâ INNOCENTII XI. PONTIFICIS *optimi maximi liberalitate mihi delatum, meque proinde ipsum dignitate in Ecclesia nostra clero conspicuâ auctum. Ingens sane beneficium intercessione vestrâ mihi immeritò collatum, cui cum nihil invenirem, quod vel illius parti ex æquo responderet, placuit benevolentiæ vestræ nos per litteras monere, non ingratum futurum, si susceptam in antiquitate illustratâ religionis Catholicæ defensionem, contra novatorum errata prosequerer, & ex civitate hæreticorum regioni conterminâ à schismaticorum deliriis, ac hæreticorum somniis refellendis non cessarem.*

Grave quidem ac viribus meis impar onus, cui dum pro modulo satisfacere studerem, cuncta religionis Catholicæ contra hæterodoxos argumenta pervolvens, traditionem præstare arbitratus sum, quam non ex levi monimento, sed ex integrâ meridionali in Africâ repetendam duxi Ecclesiâ; quod illa sit, quæ omni exceptione maior novatorum somnia evertat, & hæreticos nostri sæculi non solum novitatis arguere, sed & fronti ipsorum ruborem adferre valeat: Ecclesia Africana est, quæ secundo Christi sæculo immediatè post Apostolos cœpit, & ante illa fermè tempora, quibus orbem Catholicum in religione depravatum somniant hæretici, cursum suum absolvit, ut antiquitate suâ ab invitis licet

reveren-

reverentiam extorqueat. Illa eſt, quæ quingentorum ſexaginta quinque Epiſcopatuum multitudine inter orbis Catholici regiones numeroſa effulſit, ut præ majeſtate ſuâ apud omnem poſteritatem veneranda exiſtat. Illa eſt, quæ Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Optatum, Aurelium, Auguſtinum, Victores duos Tunnonenſem unum, Vitenſem alterum, Liberatum, Ferrandum, Facundum, Fulgentium, alioſque ſcriptores vel ſanctitate, vel doctrinâ illuſtres orbi Catholico peperit, ut præ doctorum eruditione, & eruditorum ſanctitate admiranda veniat. Illa eſt, quæ fidem ſuam pluſquam viginti millium Martyrum ſanguine ſacravit, ſuſceptamque ſemel religionem non modo ſub ethnicorum tyrannide primis Eccleſiæ temporibus, ſed & ſub Vandalorum perſecutione in ipſo exilio illibatam ſuſtinuit, ut Africano ſanguine ſacrata religio tot teſtium, quot Martyrum, traditione firmata exiſtat. Illa demum eſt, quæ dum tenacior privilegiorum ſuorum conſervatrix extitit, omnem adulationis fucum à ſeſe quam longiſſimè avertit, ut ab ipſis fidei hoſtibus Africanæ Eccleſiæ traditio negari nequeat.

Atque hæc eſt Eccleſia, EMINENTISSIME CARDINALIS, *quam cum fide & ritibus ex meridie quæſitam in ultimo occidentalis Eccleſiæ termino poſitus ſub glorioſo nominis veſtri patrocinio edere ſtudui, quin imo debui:*

cui

cui enim alteri Africanæ Ecclesiæ fidem nuncupandam censerem, quam illi, qui Clementis X. munificentiâ fidei per orbem terrarum propagandæ princeps Romanæ Ecclesiæ fuit præpositus, & ut tanto muneri faceret satis, non Consilio solum & opere proprio, sed uti quoque studet alieno, ex urbe orbis Ecclesiastici Principe favoris sui radios in eruditos longè lateque per Ecclesiam diffusos emittens, ut scriptores Catholicos ad fidei propugnationem alliceret, & qui semel editis scriptis claruerant, ad prosequendum susceptam religionis defensionem ulterius instigaret. Patere igitur, Eminentissime Cardinalis, *ut hoc qualecumque exiguitatis meæ opusculum sub auspiciis vestris prodeat in lucem, & si minus dignum sit, ut sub tam eruditi Principis nomine appareat, indulge obsecro temeritati meæ, & consuetâ benevolentiâ vestrâ, quâ communis eruditorum mæcenatis instar bonos omnes amplecteris, me bonâ saltem voluntate præditum amplecti non dedignare, & subscribor mansurus in æternum*

EMINENTIÆ VESTRÆ

Minimus Famulus

Emanuel a Schelstrate
de Belgio Antverpiensis.

Lutetiæ Parisiorum 19. Septembris.
M. DC. LXXIX.

PROLE-

PROLEGOMENA.

AFricanam Ecclesiam tibi commendare, lector benevole, superfluum videtur, cum tanta sit illius præstantia, ut solis instar oculos omnium in sese convertat, & ipsa hæreticorum ora in laudes suas dissolvi faciat. Relicto itaque operis commendandi argumento, paucis te volo, quisquis hunc librum pervolvendum suscipis, teque solum de ijs, quæ aut à nobis nunc primum illustrata sunt in operis progressu, aut post excusum magnâ ex parte opus ad notitiam nostram serius pervenerunt, præmonuisse, visum est aliquod operæ prætium.

I. Ac primò quidem magna contentio inter eruditos reperitur de exordio Africanæ Ecclesiæ, quandonam & à quibus in meridie fundata extitit? putabant quidam ex Dorothei aut Hippoliti Synopsi de vitâ prophetarum & Apostolorum, à Simone Apostolo prædicatum in Africâ Evangelium, & plures quidem cum Cæsare Baronio existimabant, magnam Augustinum inter & Pelagianos hac de re fuisse controversiam, Pelagianis quidem volentibus, non nisi post Apostolos Evangelium ad Africam pervenisse, Augustino & Salviano econtrà contendentibus, *Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse*. Præclarum hoc historiæ Ecclesiasticæ caput dissert. I. cap. I. Illucidamus, ostendentes, & Synopsim Dorothei suppositi-tiam esse, & Hippoliti Portuensis Episcopi librum *de* 12. *Apostolis*, jam genuinum extare beneficio Combefisij in auctuario grecorum Patrum, in quo nihil de Evangelio per Africam prædicato, uti nec in Martyrologio Gellonensi tomo 13. à Luca D. Acherio edito, quamvis illud in Symone habeat, prædicatum esse ab illo per Egyptum Baronius

é Evange-

Evangelium. Prætensam Pelagianos inter & Augustinum contentionem ostendimus nullam extitisse, & Augustinum quidem in unam cum Pelagianis de prædicato post Apostolos in Africâ Evangelio convenisse sententiam, Salvianum verò non locutum fuisse de Carthaginiensi, sed Romanâ civitate, cum scripsit: *quam quondam Apostoli instituerunt, quam Passionibus suis Martyres coronarant.* Inconcussum itaque manet, Africanam Ecclesiam non esse Apostolicam, ut Tertullianus Afrorum antiquissimus lucidè testatur variis in locis, ex quibus simul deducitur, fidem à Romanis in Africâ prædicatam secundo Christi sæculo circà annum 120. Vide dissertationem 1. cap.2.

Salvian.

2. Intricata fuit quæstio de notitiâ Provinciarum Africæ Romano Imperio & Ecclesiæ quondam contributæ: Onuphrius Panuinus putabat, Africã sub Hadriano Imperatore in Sex Provincias civiles à Sexto Rufo in Breviario enumeratas Proconsularem nimirum, Numidicam, Byzacenam, Tripolitanam, Maritanias duas Sitifensem, & Cæsariensem, fuisse divisam: Iacobus Sirmondus in adventoriæ de suburbicariis parte 2. cap.4. plures Provincias civiles fuisse existimat primis Africanæ Ecclesiæ temporibus, & licet eas non enumeret, contendit tamen, *Cypriani ævo unicam fuisse Provinciam Ecclesiasticam, quæ Numidiam etiam & Mauritanias duas complecteretur*: Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis in Geographiâ sacrâ hisce vestigiis insistens contendit, usque ad Concilium Carthaginiense sub Grato anno 348. unicam perseverasse in Ecclesiâ Africanâ Provinciam, quod in illius exordio primum mentio fiat Episcoporum ex diversis Provinciis Africanis congregatorum, & tum addatur, eos in universæ Provinciæ Africæ Concilium convenisse. *Per Provincias enim*, inquit Abbas Fuliensis, *intelliguntur civiles, per universæ Provinciæ Africæ unicæ Africanæ Ecclesiæ Provinciæ.*

Onuphr. Panuinus

Sirmondus.

Abbas Fuliens.

Verum

Verum error est, qui irrepsit in Carthaginiensis Concilij exordium, quem ex M. S. Codice Vaticano detegimus: ibi enim non legitur *in universæ Provinciæ Africæ Concilium* convenisse Episcopos, sed: quod *universæ Provinciæ Africæ hodierno die Concilij gratiâ ad Carthaginem venirent*. Quo ex loco firmamus, plures Provincias etiam Ecclesiasticas tempore Grati fuisse in Africâ. Eas ante tempora Constantini tres fuisse in Ecclesiâ & Imperio, probamus contrà Onuphrium, Sirmondum, & Abbatem Fuliensem: à temporibus vero Constantini sex fuisse civiles, neque Numidiam in duas Provincias divisam à verâ Numidiâ & Mauritaniâ Sitifensi fuisse distinctam, paucis exhibetur dissert. 1. cap. 3. Addimus capite 4. notitiam Primatum Ecclesiasticorum, quos in quinque Provinciis Africæ constitutos à tempore Constantini Magni ostendimus, Mauritaniâ Sitifensi non nisi post annum 397. Primatem recipiente, ut notamus contrà Dominum de Marca.

Codex M.S. Vatican.

3. Quod solus in occidente Episcopus Carthaginiensis maiora quædam Primatis Privilegia obtinuerit, & in omni Patriarchatu Romano sola Africa speciali regimine gubernata fuerit, in causâ fuisse existimem, quod olim schismatici græci, & nunc novatores hæretici Africam à Patriarchatu Romano avellere, & Carthaginiensem Primatem Autocephalum facere tentarint. Quod insuper Africana Ecclesia tenacior Privilegiorum suorum conservatrix, aliquoties in sedis Apostolicæ sententiam insurrexerit, occasionem dedisse putem deviis novatorum somniis ex Africâ tanquam equo troiano arma mutuandi, quibus Romanam oppugnarent Ecclesiam, & supremam sedis Apostolicæ auctoritatem debellarent. Grave hoc & tam injuriosum supremæ Petri Cathedræ argumentum, non aliunde quam ex solâ Africâ assumitur refellendum. Dissert. itaque primâ, capite 6. perpen-

ſis Epiſcopi Carthaginienſis Privilegiis oſtenditur, Africanam Eccleſiam à Romanâ inſtitutam, idque firmatur ex quatuor ſcriptoribus illarum Eccleſiarum, quarum una inſtitutores Epiſcopos miſit, altera recepit: Privilegia quoque ſedis Carthaginienſis tuemur cum Leone nono à Sanctâ, Romanâ, & Apoſtolicâ ſede fuiſſe conceſſa, ita tamen, ut per ea Primatum Carthaginienſium Autocephalia numquam fuerit indulta, ſed prurigo eius ſemper repreſſa: addimus ex iteratâ ſæpius Afrorum contradictione, nullum contrà ſedis Apoſtolicæ Primatum deſumi poſſe argumentum, cum numquam Africa Petri Cathredræ niſi cum errore reſtiterit, ſed & eum ſemper ſucceſſu temporis erubuerit. Obſtitit Cyprianus cum coevis Epiſcopis in causâ rebaptizationis hæreticorum Stephano Papæ, ſed in tantum erraſſe Africa ipſa agnovit, ut Auguſtinus Cyprianum ſententiam ante obitum retractaſſe exiſtimarit. Reſtitit Africana Eccleſia in causâ Apiarij juri Appellationum ſedi Apoſtolicæ debito, ſed ignorantiâ canonum Sardicenſium laboraſſe, adeò manifeſtum fuit, ut agnito errore non modo in causâ Lupicini vela cum vento mutaſſe oſtendamus diſſertatione 1. capite 7. ſed inſuper Canones Sardicenſes de jure Appellationum in jus ſuum tranſcripſiſſe oſtendant Fulgentius Carthaginienſis Diaconus, & Creſconius Africanæ civitatis Epiſcopus in ſuis canonum collectionibus. Reſtitit demum Vigilio Papæ in causâ trium capitulorum, & quamvis ſeſe aliqui ab eius communione ſeparare auſi ſint, nihil nunc exploratius, quam quod à vero aberrarint. Sed quid muſcarum inſtar in Africanorum ſcabie hæremus? ſi Eccleſiam illam momus quandoque attigerit, ad debitam ſedi Apoſtolicæ venerationem rediiſſe, ijs rationum momentis oſtendimus, quæ nemo prudens neglexerit. Diſſertatione primâ, capite 8. ex indubitatis Africanorum

Patrum

Patrum testimoniis ostendimus, Ecclesiam illam à secundo Christi sæculo, quo cœpit, usque ad octavum Christi sæculum, quo Sarracenorum jugo oppressa ad interitum properavit, supremam Romani Pontificis auctoritatem agnovisse: dissertatione verò quartâ, capite septimo, toto octingentorum annorum spatio, quo Sarracenorum jugo pressa religio in Africâ inveniebatur, Catholicos Episcopos semper respexisse sedem Apostolicam ut suæ & totius Ecclesiæ caput ac principem.

4. A regimine Africanæ Ecclesiæ ad fidé eius transimus, ut si Afros sedem Apostolicam tanquam caput suum respexisse constet ex dissertatione primâ, eamdem ut fidei suæ magistram agnovisse pateat ex secundâ: cum Tertullianus olim Hæreticos ad viam veritatis reducere tentaret, eos ad Romanæ Ecclesiæ traditionem remisisse, ex libro de præscriptionibus firmamus dissertatione 2. ubi: *Videamus*, inquit, *quid*, in materiâ fidei Romana Ecclesia *didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* Tertulliani vestigia insecuta est Africana Ecclesia, ut eiusdem dissertationis cap. 1. ostendimus ex canone de libris Canonicis, quos ne alios susciperet, quam Romana Ecclesia quondam tradiderat, visum fuit integro Africæ Concilio, *de confirmando isto Canone transmarinam Ecclesiam*, vel ut alius Codex legit, *Bonifacium* Papam consulendum. Non moror in Sacramentorum usu, sacrorum ordinum ritu, alijsque, Romanæ Ecclesiæ ritibus (ut demonstratur dissertatione 2.) consonis, sed ex solâ missâ Africanâ exemplum addo, quo apertè constabit, eo usque Africanam Ecclesiam imitatam fuisse in ritibus Romanam, ut alium ritum inducente Romano Pontifice, suum statim Africâ ad Romanum composuerit. Dissertatione 2. capite 7. Missam Africanam non Mozarabicæ, ut putavit Cardinalis Bona, sed antiquæ Romanæ consonam

Tertull.

Concil. African.

nam fuisse, ostendimus, cumque in antiquâ missâ Romanâ psalmi ad altare non præscribebantur recitandi, morem hunc primus præscripsisse legitur Cælestinus, de quo Romanorum Pontificum catalogi duo: *hic constituit, ut antiphonatim psalmi ante sacrificium canerentur, quod non antè fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli recitabatur & S. Evangelium, & sic missæ celebrabantur.* Constitutionem hanc vix à Cælestino Papâ Romæ editam fuisse, quin Carthago in Africâ eam receperit, ex præclaro D. Augustini loco deducimus, cumque Hilarius tribunitius Carthagine huic psalmorum ad altare recitationi oblateraret, S. Augustinum, edito contrà Hilarium jussu Episcoporum libro, ritum à Romana Ecclesiâ introductum propugnasse, ex eodem loco evincimus, ut appareat, tantum abesse, Africanam Ecclesiam Romanæ fidei obfuisse, quod ipsos potius ritus post fidem ab Ecclesiâ Romanâ mutuare non cessarit.

5. Si magna fuit Afrorum erga sedem Apostolicam reverentia in amplectendis ritibus, quos Romana Ecclesia admittebat, non minorem ostendisse in abrogandis propriis, quos sedes Apostolica improbabat, ex agaparum destructione per Africam ostendimus dissert. 2. cap. 3. Occasione ex memoriis Martyrum desumptâ agimus de epulis apud Afros in memoriis Martyrum fieri consuetis: epulas illas putat D. Augustinus epistolâ 29. ad Alypium Thagastensem Episcopum nunc primum in lucem emissâ tomo 2. novissimæ editionis, originem sumpsisse post persecutionum tempora ex superstitione gentilium: *cum factâ pace*, inquit, *turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum Idolis suis solerent in abundantiâ epularum, & ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis & tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere; visum fuisse maioribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos post eos quos relinquebant alios in*

honorem

honorem Sanctorum Martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarentur. Verum ut hæc Augustini opinio veritati historicæ accommodetur, notandum omninò, Agapas Apostolorum temporibus introductas longe ante pacem Ecclesiæ in Africa viguisse, ita tamen ut fierent cum sobrietate & pauperum sublevamine, ut testis est Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit. Vocatur Agape, id quod dilectio penes grecos est, quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Si quidem inopes quosque refrigerio isto juvamus.* Cum Ecclesiâ sub gentilium tyrannide persecutionem patiebatur, pauciores erant fideles, & sæpius post sumptionem Eucharistiæ agapam in Ecclesia instituebant, ubi omnes simul moderatè cibū gustabant etiam pauperes, qui aderant. Postquam verò factâ Ecclesiæ pace gentiles undique in Christianum nomen veniebant, ob multitudinem fidelium communes illæ epulæ haud facilè institui poterant, ideoque rarius fieri incipientes tandem in quibusdam festivitatibus Sanctorū & Martyrum obtinuerunt cū crapulâ & ebrietate, de quibus intelligi potest D. Augustinus cum scribit, epulas factâ pace à Gentilibus introductas. Et de hisce conviviis aut letitiis in Festis Martyrum cum luxu & ebrietate per Africam servatis rectè notavit Faustus, Agapas Christianorum similes factas sacrificiis mortuorum, & monuit Ambrosius: *illa quasi parentalia superstitioni gentilium fuisse simillima.* Neque his perpensis laborandum videtur pro intelligentiâ canonis 60. Codicis Africani de prohibendis imperatorum decreto conviviis. *Quoniam contrà præcepta divina multis in locis exercentur, quæ ab errore gentilium attracta sunt.* Concilium istud, aliud Carthaginiense anno 39. sub Aurelio secutum est, ubi non modo Episcopis & clero prohibitum in Ecclesiâ convivari, sed etiam statutum: *ut populi ab huiusmodi conviviis,*

Tertull.

Ambros.

Can. 60. Codic. African.

Concil. Carthag.

viviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur. Aurelius verò in hoc ſecutus fuit magni Auguſtini monitum, qui epiſtolâ 22. ad Aurelium numero 5. ſcripſerat de iſto conviviorum genere: *auferendum eſt non aſperè, ſed ſicut ſcriptum eſt, in Spiritu lenitatis, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis monendo quam minando, ſic enim agendum eſt cum multitudine peccantium.* Auguſtinus verò hæc didicit, à Sancto Mediolanenſi Antiſtite Ambroſio: *quem hoc vetuiſſe*, à matre ſua Monica accepit. Ambroſius verò hoc ipſum prohibere potuit à Siricio monitus, quamvis enim *de Baſilicâ Beati Apoſtoli Petri quotidiana vinolentiæ proferebantur exempla*, repoſuit tamen exempla iſta adferentibus D. Auguſtinus: *ſe audiſſe, ſæpè eſſe prohibitum, ſed quod remotus ſit locus ab Epiſcopi converſatione, & in tantâ civitate magna ſit carnalium multitudo, peregrinis præſertim, qui novi ſubinde veniunt, tanto violentius quanto inſcitius illam conſuetudinem retinentibus tam immanem peſtem nondum compeſci ſedarique potuiſſe.* Atqui hic eſt locus auro contrà eſtimandus, ex quo origo de auferendis à Martyrum ſepulchro epulis deduci poteſt. Enimverò ſæpè Romani Pontifices vetuerant, convivia illa in Eccleſiis urbicis celebrari, & in S. Ioannis Baſilicâ ad Lateranum ſummorum Pontificum domicilium ſitâ id caſtè ſervari faciebant. Aliud quid erat de Beati Petri in Vaticano Eccleſiâ: cum enim locus ille à Lateranenſi Eccleſiâ longe diſtaret, & peregrini undique ad venerandas B. Petri reliquias confluerent, animadverſum fuit, in Eccleſiâ B. Petri obveteratum peregrinantium populorum morem non ita potuiſſe auferri: videntur itaque Romani Pontifices ſcripſiſſe ad aliarum Eccleſiarum Epiſcopos, ut paulatim ab epularum uſu fideles ſuos averterent, ut cum Romam proficiſcerentur à conſuetudine averſi compeſcendæ peſti tam immani locum darent. Et hinc eſt, quod non modo Ambroſius Mediolani inveteratam conſuetudi-

August.

ſuetudinem ſuſtulerit, ſed & reliqui Italiæ Epiſcopi veſtigia illius inſequi tentarint: unde & D. Auguſtinus epiſt.22. occaſionem ſumpſit adhortandi Aurelium, ut multas carnales fœditates & ægritudines, quas Africana Eccleſia in multis patitur, conſiliorum ſuorum gravitate ſanaret. *Hæc enim*, inquit, *ſi prima Africa tentaret auferre à cæteris terris, imitatione digna eſſe deberet: cum verò & per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus aut prope omnibus transmarinis Eccleſiis, partim quia numquam facta ſunt, partim quia vel orta vel inveterata, Sanctorum & verè de vitâ futurâ cogitantium Epiſcoporum diligentiâ & animadverſione extincta atque deleta ſint, dubitamus, quomodo poſſumus tantam morum labem vel propoſito tam lato exemplo emendare?* Quod transmarina Eccleſia, & agnito Romani Pontificis ſenſu vicina Italia mutarat, hoc Auguſtinus, cum non niſi Concilij auctoritate in Africâ compeſcendum agnoſceret, ad Aurelium Africæ Primatem retulit Synodico decreto vetandum, cumque difficile ſit, & ſæpius periculo obnoxium, inveteratos mores auferre, ideoque hac de re non tam cito ſtatui quidquam potuiſſet, in zelum erupit Auguſtinus, qui adhuc presbyter anno 395. tribus diebus populum Hipponenſem adhortatus eſt, ut abhorreret à luxurioſis conviviis, quæ in Sanctorum natalitiis apud Africanas Eccleſias Celebrare mos erat. Pluribus agit hac de re S. Auguſtinus epiſtolâ 29. ad Alipium nunc primum ex M.S. Codice RR. PP. Ciſtercienſium S. Crucis in Ieruſalem in urbe à PP. Benedictinis è congregatione S. Mauri publicatâ. Et vel ex hoc manifeſtum fit, quantâ in veneratione Africa Romanam habuerit Eccleſiam, quandoquidem quod Roma ipſa ob peregrinantium tumultus ſervare non poterat Pontificis decretum, hoc auctore omnium Afrorum doctiſſimo Auguſtino Africana Eccleſia deſeruerit, licet ibi illud conviviorum genus jam eſſet inveteratum.

6. A ritibus & fide ad Africana Concilia transimus dissertatione 3. huius operis, ubi cuncta, quæ ad notitiam nostrã pervenerunt, vel canones ex varijs editionibus, vel summaria cum notis & scholiis proferimus. Latent quidem aliqua, quæ nondum vidimus, in perantiquo Codice manuscripto, qui modo spectat ad Eminentissimum D. Franciscum Barberinum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, suntque ea, ut conjecturabat eruditus Chiffletius ad illum edendum quondam evocatus, quorum meminit Fulgentius Ferrandus, nunquam huc usque in lucem edita: continere alia Concilia antea in lucem emissa sed longe correctiora, putabat Parisiis alter vir eruditus existimans, hunc eumdem codicem olim spectasse ad Lucam Holstenium, eumdemque esse, ex quo à Luca Dacherio tomo 6. spicilegiorum, & Philippo Labbeo tomo 4. Conciliorum edita fuit Carthaginiensis sub Bonifacio Synodus: hic verò si ad notitiam nostram pervenisset, eumque nancisci potuissemus ante præsentis operis editionem, haud dubium, quin plura Africanæ Ecclesiæ monimenta in lucem fuissent emissa hactenus inedita, & varia quoque Concilia, quorum nulla extat apud collectores notitia. Cæterum tantâ luce privati in Africanarum Synodorum penuriâ non omisimus annotare aliqua, quorum actis caremus, Baronio, Binnio alijsque collectoribus ignota. Dissertatione enim 3. cap. 1. numero 3. Synodum Carthaginiensem detegimus sub Donato ante annum 248. habitam cum ipsius canone, *de Clericis non statuendis curatoribus*. Capite 3. numero 2. Varia per diversas Africæ Provincias Concilia celebrata notamus ante annum 348. quorum nulla mentio apud collectores. In singulis illis Conciliis statutum fuisse: *ut Clerici & sanctimoniales fæminæ cum extraneis viris vel fæminis non habitent*, sed nec ad invicem habeant accessum,

eruimus

eruimus ex canone tertio Carthaginienſis primi, numero ſexto. Horum Conciliorum unum fuiſſe celebratum in Provinciâ Byzacenâ notamus numero 9. Ubi & adſertur teſtimonium Abundantij Adrumetini referentis in illo Concilio ſtatutum: *ut non liceat Clericis fœnerari.* Capite 5. numero 2. Adducimus ex S. Optato Concilium Donatiſtarum apud Theveſtinam civitatem celebratum poſt reſcriptum Iuliani, quo Donatiſtæ anno 362. juſſi ſunt ſedibus ſuis reſtitui. Nemo quod ſciam huius conciliabuli meminit, & tamen habitum fuiſſe à Donatiſtis ad negotia partium ſuarum diſponenda, ex S. Optato deducimus. Capite 10. numero 3. ignotum omnibus Concilium Italicum ſub Anaſtaſio Papâ anno 401. ex fragmento Carthaginienſis Concilij eruimus, interfuit tamen ei Venerius Mediolanenſis cum alijs Epiſcopis, & ad conſulta Africanorum ſtatuit de Donatiſtis, *ut ordinati in parte Donati, ſi ad Catholicam correcti tranſire voluerunt, non ſuſcipiantur in ſuis honoribus.* Capite 12. numero 7. ex Thelenſis fragmento Thuſdritanum Provinciæ, non proconſularis, ſed Byzacenæ Concilium proferimus, & licet in annalibus aut tomis Conciliorum non reperiatur, varia eius decreta ex Fulgentio Ferrando indicamus. Demum ut finiam, diſſertatione 4. cap. 6. numero 4. ultrà tres Synodos Provinciales ſub Theodoro Papâ in Africâ celebratas, quartam proconſularem detegimus, cui interfuit Victor Carthaginienſis, & quæ huc uſque ignorata fuit.

7. Præter Concilia noviter à nobis detecta longè plura occurrent in operis decurſu, quorum acta magno ſtudio nunc primum eruimus, vel ſuis Conciliis vindicamus, vel adjunctis notis illuſtramus. Acta Cirthenſis Conciliabuli totius Schiſmatis Donatiſtarum præambuli hactenus in tomis Conciliorum deſiderata ex S. Auguſti-

no adducimus dissertatione 3. capite 2. Quæ in notis suo tempori vindicamus, in medium prolatis undecim illis, per quos hoc Conciliabulum celebratum fuit, traditoribus Episcopis. Concilium Carthaginiense primum sub Grato, & secundum sub Genethlio ex Codice M.S. Vaticanæ Bibliothecæ per Lucam Holstenium eruta cum editione vulgatâ componimus capite 3. & 4. Iisque notis illustramus, quæ non modo disciplinam & fidem Africanæ Ecclesiæ commendant, sed & errores quam plurimos in tomos annalium & Conciliorum irrepsisse manifestant. Capite 5. Synodicam Maximinianistarum in tomis Conciliorum desideratam, & in operibus D. Augustini aliis verbis interpolatam suæ integritati restituimus, & Conciliabulo Cavernensi vindicamus. Eam ante nos eruditi omnes Concilio Cabarsussitano adjudicarunt confundentes Cavernense & Cabarsussitanum Concilia, quæ duo distincta fuisse ijs momentis probamus, quæ nemo prudens contempserit. Fragmenta Bagaiensis Conciliabuli ex variis Augustini locis sibi invicem juncta numero 6. proferimus, & numero 7. notis illustramus. Concilium Carthaginiense 5. contra scriptorum opinionem suo consulatui restituimus capite 9. & capite 10. Varia Africæ Concilia attingimus, quorum aut ordinem immutatum, aut canones unius alteri adscriptos esse demonstramus. Idem capite 11. de actis Concilij Milevitani secundi ostendimus, quamvis enim Cardinalis Baronius partem præfationis cum octo prioribus Canonibus, Perronius verò plures ei canones vindicet, nihil tamen eorum, quæ huic Concilio tribuuntur præter unicam ab Augustino relatam Synodicam illius esse, cum Garnerio evincimus.

8. Putarunt huc usque, quotquot legi scriptores Ecclesiasticos, quotquot in Galliis audivi viros peritos, genuinum

nuinum esse canonum Hipponensium Breviarum, quod excusum est cum Synodicâ post Concilium Carthaginiense tertium. Eminentissimus annalium parens Baronius illud non modo admisit, sed laudibus extulit, post quem Cardinalis Perronius & quotquot scripserunt in Galliis, illud tamquam indubitatum Hipponensis Synodi Breviarium habuerunt. Labbeus in novissimâ Conciliorum editione illud cum Synodicâ Carthaginiensi tertio subiecit. Quesnellius in appendice ad opera Leonis magni novam editionem multò ampliorem elucubravit. Natalis Alexander sæculo 4. parte 1. cap.4. articulo 11. hôc Breviarium genuinum esse supponit: & cum nemo huc usque de eo dubitarit, sententiam nostram de eius suppositione proferimus dissert. tertiâ, capite 6. refellentes in primis illud, quod sub Hipponensis Brevarij nomine edidit Quesnellius, cuius editio non tam canonum Hipponensium Breviarium quam ipsum integrum Hipponense Concilium contineret. Nec aliam Breviarij editionem vulgatam admittimus, sed & Synodicam Carthaginiensi tertio suppositam esse, & Breviarium ipsum Hipponensi Concilio malè tributum non tam indicamus, quam evincimus. Synodicam non Carthaginiensis tertij, sed esse Concilij Byzaceni, cui Muzonius præsidebat, ex firmis rationibus ostendimus numero 5.& 6. Breviarium verò ipsum inter alia suppositionis arguimus, quod Hipponensis Concilij statuta, quæ à majoribus fuerunt allata, desiderentur in Breviario, & cuncta in Breviario contenta reperiantur ex alijs Concilijs ac præsertim Carthaginiensi tertio desumpta. Mirum sanè esset & inauditum, illud genuinum fore alicuius Concilij Breviarium, quod vix unum canonem attingit ex omnibus, quos ei attribuit antiquitas, & ne vel unum continet, quem non alteri Concilio tributum habet posteritas.

ſteritas, Concilia Carthaginienſia duo paulò poſt Hipponenſe ſub Aurelio celebrata duos canones Hipponenſes indigitare, quæ in Hipponenſi Breviario non continentur, oſtendimus numero 9. Quod ſi hoc parum videatur, addo Fulgentij Ferrandi breviationem canonum, in quâ ex Hipponenſi Concilio proferuntur canones quatuor, tertius nimirum, quintus, octavus, & nonus; qui nullatenus in Breviario comparent. Accedit teſtimonium Epigonij Epiſcopi, quod proferimus numero 10. ex quo deducimus, præter canonem de Paſchatis die nihil in Concilio Carthaginienſi tertio ex Hipponenſis Synodi canonibus fuiſſe emendatum vel aſſutum, cum tamen Synodus Carthaginienſis tertia Breviarij Hipponenſis ſtatuta numero triginta ſeptem ampliata contineat: ſignum manifeſtum, nullum ex canonibus illis in Breviario contentis eſſe Concilij Hipponenſis.

9. Objici quidem poſſet huic noſtræ ſententiæ Codex M. S. Canonum Herovallianus, quem ante tempora Caroli magni confectum fuiſſe, ex pluribus indiciis probat Iacobus petit, qui eum in tomo 1. pœnitentialis Theodori partim edidit, cum in illo varij canones citentur ex Concilio Hipponenſi, qui reverà in Breviario Hipponenſi reperiuntur. Pervenit hic Codex ad manus meas poſt excuſum jam præſens de Africanâ Eccleſiâ opuſculum, & licet præ antiquitate venerandum exiſtimem, nævis tamen ſuis non carere, poſt ſedulam inquiſitionem animadverti: enimverò ipſo petit notante, varia capita hoc in Codice attribuuntur uni, quæ attribuenda erant alteri, ut c.7. ubi citatur *ſcriptum in Epiſtolâ Zozimi Papæ*, quod deſumptum eſt ex epiſtolâ Innocentij primi. Cap.18. citatur epiſtola Hormiſdæ Papæ de continentiâ clericorum, quæ *perperam tribuitur Hormiſdæ*, cum mentionem faciat titulorum à Sancto Ioanne Papâ tranſmiſſorum.

ſorum. Cap.15. citatur canon Aurelianenſis, uti & cap.54. alius, qui duo tamen deſiderantur, & Arelatenſi Concilio ſunt tribuendi, uti & canon Agathenſis cap.54. citatus, qui tribui potius deberet Gangrenſi. Hæc autem, quæ D. Petit animadvertit, etiam ego locum habere exiſtimem in ijs canonibus, qui ex Hipponenſi Concilio referuntur. Enimverò citantur tres canones Hipponenſes, qui deſumpti ſunt ex Concilio Carthaginienſi quinto, vel potius ex Codice canonum Eccleſiæ Africanæ, ubi canones Concilij Carthaginienſis 5. continentur: id autem ut probem, alio exemplo non indigeo, quam canone Hipponenſi cap.15. Codicis Herovalliani citatò hiſce verbis: *Canon Hipponenſis æra LXXIV. ne interventor Epiſcopus in Cathedrâ, ubi interventor eſt, ſedeat &c.* Æra idem hic ſignificat, quod numerus, numero autem LXXIV. Extat hic canon in Codice canonum Africanæ Eccleſiæ, unde quoque deſumptus eſt, & malè Concilio Hipponenſi tributus. Hæc autem indicium præbent manifeſtiſſimum, reliquos canones ex Hipponenſi Synodo in Codice Herovalliano citatos non magis Hipponenſi tribuendos, ſi alterâ in Synodo reperiantur ſtatuti: reliqui verò canones ſunt duo, & reperiuntur cap.29. & cap.68. ad quos annotat ipſe Petit, eos extare in Concilio Carthaginienſi tertio, ex quo proinde deſumpti fuère, ut firmum hoc ex Codice fundamentum deſumi non poſſit pro ijs tanquam veris Synodi Hipponenſis canonibus, ſed potius Carthaginienſis tertiæ, ex quâ non ſolum canones illi, ſed & ipſum Breviarium Hipponenſe fuit confectum. Quod ſi tamen quis prætenderet, canones in Codice Herovalliano ex Hipponenſi Synodo citatos, revera Hipponenſi Synodo eſſe tribuendos, nec ſic conſtaret de genuitate Hipponenſis Breviarij, cum tres canones in Concilio Carthaginienſi quinto reperti non extent

Codex Canon. M. S.

tent in Breviario Hipponensis Synodi, & inter duos reliquos in Carthaginiensi tertio repertos unus sit, qui nec cum Breviario Hipponensi nec cum ipso Carthaginiensi tertio quoad omnia conveniat. Capite enim 29. Codicis Herovalliani citatur canon Hipponensis ærâ XXXVIII. *Nec amplius de primitiis in altare offeratur, quam de uvis & frumentis. Alia omnia ad Domum sacerdotis deferantur ad benedicendum.* Hunc enim canonem si cum vigesimo quinto Breviarij Hipponensis, vel vigesimo quarto Carthaginiensis tertij conferas, plurimum differre reperies.

10. Hisce superatis, aliud restat ex canone de auferendis conviviis desumptum argumentum, quod novissimè attingunt viri eruditi ordinis S. Benedicti, qui in edendis S. Augustini operibus magnâ nominis claritate Parisiis operam impendunt. Scripserat D. Augustinus epistolam ad Aurelium jam recens in Episcopum Carthaginiensem ordinatum de auferendis commessationibus & ebrietatibus per Africam in cœmeterijs & memorijs Martyrum frequentari solitis sub specie religionis, & addit: *Sed tanta pestilentia est huius mali, ut sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi Concilij auctoritate non possit.* Addit posteà modum, hunc morem tollendi: *non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando.* Scriptam putant Patres Benedictini hanc epistolam alias 44. nunc verò 22. anno circiter 392. & notant in præfatione: *cæterum hac ipsâ, quâ de agimus, epistolâ permotum credimus Aurelium ad cogendum istud Concilium Hipponense, quo eius auctoritate commessationes, quibus Afri pietatis prætextu in Ecclesiis vacabant, prohiberet.* Addunt in notis ad epistolam 29. ubi Augustinus refert de suæ civitatis hominibus: *tumultuari, & dicere, se ferre non posse, ut illa solemnitas prohiberetur.* Addunt inquam: „ extat Hipponensis Concilij anno 393. „ cele-

Auguſt.

PP. Benedictinj

„ celebrati canon Concilio 3. Carthaginiensi insertus: „ *ut nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesiâ conviventur nisi forte transeuntes hospitij illic necessitate reficiant: populi etiam ab his con-* „ *viviis, quantum potest fieri, prohibeantur.* „ Qui canon „ procurante haud dubiè Augustino tunc presbytero edi- „ tus fuit. „ Ex quibus omnibus non sine fundamento statui videtur, cum canon ille reperiatur in Breviario Hipponensi, illum saltem genuinum esse Hipponensis Synodi fœtum; & ex eo de genuitate Breviarij Hipponensis manifestum haberi indicium. Grave quidem videri posset desumptum ex hisce epistolis argumentum; sed pace virorum eruditorum factum sit, si eorum sententiam ad suum originem recensendo parum latius discutiamus. Epistola ad Aurelium scripta supponitur circà annum 392. & alia nunc primum edita ordine 29. ad Alipium Tagastensem Episcopum scripta supponitur an. 395. Non ignoto, ut putabat natalis Alexander, sed medio tempore anno nimirum 393. habita fuit Synodus Hipponensis, in quâ si canon de auferendis conviviis editus fuisset ab Aurelio Carthaginiensi & totius Africæ Episcopis, illius saltem mentionem fecisset Augustinus, dum populum Hipponensem à conviviis illis avertere studebat: Augustinus cum tribus diebus consequenter inveteratum morem tollere in concionibus sibi proposuisset, canonem ad minimum à totâ Africanâ Ecclesiâ statutum vel semel laudasset, & illi tanquam fundamento innixus contra morem Hippone præsertim receptum pro virili egisset. At tantum abest, Augustinum hoc canone tanquam fundamento usum, ut nequidem in concionibus suis, quarum compendium epistolâ 29. ad Alypium retulit, ullam mentionem faciat de Hipponensis Concilij edito hâc de re statuto. Accedit, si editum fuisset anno 393. in Concilio Hipponensi de aufe-

rendis conviviis statutum; nullatenus dubitandum esse ex eo, quem anno 392. in epistolâ ad Aurelium pro auferendis conviviis D. Augustinus monstrarat zelum, quin statim magnus Ecclesiæ Doctor hoc canone tanquam clypeo munitus totis viribus contra inveteratum Afrorum morem egisset, & in ipsa civitate Hipponensi tantâ Concilij auctoritate anno ipso 393. omnem conviviorum morem eradicare studuisset. At tantum abest, D. Augustinum id anno 393. fecisse, ut cum anno 395. contra conviviorum morem predicasset, viri Hipponenses concionis argumentum tanquam rem novam exceperint; obmurmurando & dicendo: *quare modo non enim antea, qui hac non prohibuerunt, Christiani non erant?* Supponunt viri Hipponenses modo, nimirum anno 395. ante quadragesimam in Festo Leontij Hipponensis quondam Episcopi primum à D. Augustino pro auferendis conviviis tunc in Basilicâ Leontianâ fieri consuetis publicè ex Cathedrâ actum fuisse, nec habebat huic quod opponeret Augustinus, cum solum dixerit: *nihil nos nec brevius nec verius posse adferre adversus eos, qui dicunt, quare modo, nisi & nos dicamus, vel modo. Verumtamen ne illi, qui ante nos tam manifesta imperita multitudinis crimina vel permiserunt, vel prohibere non ausi sunt, aliqua à nobis, affici contumelia viderentur; exposui eis, qua necessitate ista in Ecclesia viderentur exorta.* Palam admittit Augustinus, se primum esse, qui contrà permissam à maioribus consuetudinem invectus est, neque eos, qui ante se fuerunt, multitudinis commissa in conviviis crimina prohibuisse. Momentosa est hæc epistola, ex quâ tot antiquitatis Ecclesiasticæ monimenta illustrantur, eamque hic variis notis ampliatam edidissem, nisi jam pridem ex M.S. Codice ad monasteriũ S. Crucis in Hierusalē spectante à PP. Benedictinis inter opera Augustini edi &c. contigisset. Cæterùm vel hâc ex re constat, canonem de

Hippo-nenses.

August.

Auferen-

Auferendis conviviis ab Africanis Ecclesiis non fuisse editum in Concilio Hipponensi anno 393. ante scriptam à D. Augustino epistolam ad Alypium, sed post datam epistolam illam annò nimirum 397. in Concilio Carthaginiensi tertio, ubi canon de verbo ad verbum reperitur ordine trigesimus malè Hipponensi Concilio tributus.

11. Editum erat à Conciliorum collectoribus fragmentum Thelensis Concilij cum Synodicâ Siricij, quod ut genuinum susceperant omnes Periti usque ad Paschasium Quesnellium, qui dissertatione 15. in appendice ad opera Leonis magni confessus est, se primum fuisse, qui de eius αὐθεντία controversiam moverit, addens certissimum sibi esse: *& Synodum & epistolam meram esse fabulam, merumque commentum.* Speciosè propositis à viro erudito rationibus obsistimus dissertatione 3. cap. 12. ostendimusque, plerasque rationes fundamento destitutas, & fragmentum Thelensis Concilij tale esse, ut omnia in eo contenta tempori conveniant, & personis aut rebus ibidem memoratis. Unum quod præcipuè obesse videbatur de Concilij loco, Thelæ nimirum in Proconsulari Provinciâ, cum Cardinali Perronio & Parisiensi Archiepiscopo de Marca opinati sumus, erroneum esse, & loco Thelæ, legendum esse, Zellæ tum ex Codice Trecensi, quem Chiffletius testatur legere, *Zellense Concilium*, tum ex Ferrando Carthaginiensi Diacono, quem ex editione Iustelli sæpius citasse: *Zellense Concilium ex epistolâ Papæ Siricij*, pro comperto habebamus. Cum enim mota à Quesnellio difficultas hæc esset, quod Thelense Concilium sub Donatiano Teleptensi fuisset celebratum, & Donatianum Teleptensem in Byzacenâ Provinciâ Primatem Thelæ in Proconsulari Provinciâ Concilium habere non potuisse constaret, difficultas pro suppositione fragmenti Thelensis suo fundamento non destitui videbatur. Nos

 verò,

verò, qui Zellensem civitatem Episcopatu decoratam habebamus ex collatione Carthaginiensi anno 311. habitâ, utpote cui interfuit, *Donatianus Episcopus plebis Zellensis*, & aliunde ex Codice Trecensi, hanc Synodum Zellæ fuisse celebratam; pro indubitato habuimus Ferrandi Carthaginiensis testimonium de Concilio Zellensi non in Provinciâ Proconsulari, sed Byzacenâ celebrato, sicque difficultatem præcipuam enodatam putavimus contrà fragmenti Thelensis auctoritatem à Quesnellio motam.

12. Verum post editum caput 12. de Thelensi Concilio incidit, me nuper Parisiis in antiquissimo undecim sæculorum Codice M. S. ad S. Germani à Pratis monasterium spectante legisse, ibidem contineri breviationem canonum Fulgentij Ferrandi & ipsum fragmentum Thelensis Concilij cum Synodicâ Siricij. Codicem itaque illum iterato pervolvendum accepi offerente eum viro doctissimo Ioanne Mabillonio, ex quo statim collegi, fragmentum quidem Synodicum titulum habere præfixum *Telensis Concilij*, breviationem vero Ferrandi Diaconi, non habere *Zellense Concilium*, ut habebat M. S. Codex Iustelli, sed primò loco Tellense, secundò Tiellense sic ut ab amanuensi littera i esset posterius adjuncta, cæteris vero omnibus Tiellense; ex quarum lectionum varietate etiam in ipsis Fulgentij Ferrandi exemplaribus; licet primo intuitu stupefactus hærebam, ne tamen quisquam me ideo à priori opinione de genuitate fragmenti Synodici declinasse autumet, aliam viri eruditissimi Ioannis nimirum Garnerij sententiam adjiciam, si cui mea forsan minus placeat. Putabat itaque vir eruditus in ijs, quas hâc de re cum eo conferentias habui, Concilium hoc nuncupari debere Teleptense; sic sensisse in annalibus Baronium, & post Baronium virum Eruditissimum Sirmondum, qui dum contrà Petrum Aurelium

Thelensis Concilij fragmentum indicasset Theleptensi nomine donandum, in antirrethico 2. parte 2. cap. 11. allato quodam pro restituendo loco ex conjecturis exemplo, scriptum reliquit, quod *hic à me factum vides, ut & conjecturâ uterer & manuscripto, idem in restituendo Concilij Theleptensis nomine factum à Baronio existimare debes: ut quia Concilium hoc ex ipsius actis in Provinciâ Byzacenâ celebratum fuisse constabat, Donatianumque, qui Concilio præfuit, in antiquis exemplaribus Theleptensem Episcopum appellari videbat, non Thelensem; Theleptensis nomen Concilio congruere judicarit, non Thelensis: quandoquidem Theleptensis civitas in Byzacenâ Provinciâ reverà sita est, Thelensis autem non in Byzacenâ, sed in Proconsulari.* Scimus quidem à Quesnellio objici, hanc socij sui emendationem à Chiffletio rideri: sed nequaquam rideri compertum est: quinimo, quod Baronio attribuit Sirmondus, emendationem ab ipso factam ex conjecturâ & manuscripto, id fieri potuisse circà præsentis Synodi fragmentum, non aliunde Garnerius repetendum ducebat, quam ex ipso Quesnellio, qui in Synopsi canonum Codici à se in appendice ad opera Leonis M. edito præmissâ refert sub titulo 62. *Constituta Theleptensis Concilij, id est in Africâ, juxtâ decretalem Siricij Papæ.* Et addit ad marginem: *ita Thuanus, at Oxoniensis, & alij passim, Thelensis.* Continebat itaque Codex Thuanus hoc Concilij fragmentum sub nomine Theleptensis, cumque Codex Thuanus, fatente Quesnellio, sit optimæ notæ, & annos octingentos excedat, non sine manuscripto hanc emendationem fieri posse, in comperto est. Omitto ea, quæ de loco competenti, ubi Synodus Theleptensis habita fuit, differebat Garnerius, & ex convenientiâ loci Synodum Provincialem in civitate Theleptensi sub Provinciæ Primate Donatiano Theleptensi celebratam supponens, accedo ad errorem eorum, qui fragmentum

Sirmondus.

Codex M. S. Thuan.

hoc

hoc posteritati consecrarunt : cum enim Theleptense in Codice Africano abbreviatum legebatur, vel ab eo, qui fragmentum ex Africâ ad Europam transmisit abbreviatum fuisset, amanuenses aliqui, quibus loca Africana non ita comperta erant, sine ullo abbreviationis signo loco Theleptensis, Thelense scribere potuerunt, unde & error in antiquissimos Codices irrepere valuit, & juxtà Garnerium irrepsit, addens hinc etiam aliorum lectiones ortum ducere, qui scripserunt, Tiellense, vel juxtà communem Africanorum usum, T in Z mutato, Zellense.

13. Hæc viri doctissimi sententia, de quâ quidquid sit, hoc unum firmum, & inconcussum manere debere existimo, fragmentum huius Synodi genuinum esse antiquitatis monumentum. Sive enim Zellense legatur cum Perronio & à Marca ex breviatione Fulgentij Ferrandi à Iustello editâ, cui favet lectio Codicis Trecensis : sive cum Baronio & Sirmondo ex antiquiore Codice M. S. Bibliothecæ Thuanæ legatur Theleptense : sive ex antiquissimo Codice M. S. Bibliothecæ S. Germani à Pratis dicatur Tiellense, ut octies legitur in breviatione Fulgentij Ferrandi ibidem contentâ : sive demum legas ex variis aliis manuscriptis Codicibus Telense, Thelense, aut Tellense, hanc variantium Codicum lectionem signum non suppositionis, ut probare conatus erat Quesnellius, sed αὐθεντίας, pro indubitato habemus. Nisi enim genuinum esset Synodi huius fragmentum, ut quid tota antiquitas pro eius conservatione operam suam impendisset ? habes Ferrandum Carthaginiensem Diaconum, & Ferrandi breviationem paulo post eius obitum scriptam in Codice Corbeiensi, ubi nonies Concilium Tiellense citatur. Habes ex eodem mille & centum annorum Codice fragmentum ipsum cum epistolâ Siricij Papæ, ijs, quibus

quibus in tomis Conciliorum reperitur, expressum verbis. Habes in Thuano octingentorum annorum Codice, habes in Oxoniensi sexcentorum, cuius scriptor teste Quesnellio notavit paginâ 34. Codicis: *iste Codex transcriptus est ex vetustissimo exemplari.* Habes demum tot alia manuscripta, ut cum viro quodam erudito dicere possim, non tanti esse conjecturas D. Quesnellij, ut Ferrandi & veterum Codicum auctoritati præponderare debeant. Codex M. S. Oxoniēs

14. Discussis, quæ circà Zellensis, aut Theleptensis Synodi fragmentum objecerat Quesnellius, eâdem dissertat. 3. cap. 12. numero 8. epistolam Siricij fragmento subjectam aggredimur, quod & illam commentitiam dixisset, & ob illam Fulgentij Ferrandi breviationem interpolationis arguere tentasset. Sricianam itaque epistolam ad Afros conscriptam supponentes ex titulo ipsius: *dilectissimis fratribus & Coepiscopis per Africam Siricius:* Epistol. Siricij. eam ipsam quo ad primum canonem de non ordinando *extrà conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est Primatis*, ab omni absurditate alienam indicamus, & canonem rectè pro Africâ statui potuisse, ostendimus dissertatione primâ capite 6. numero 9. Canonem 2. *ne unus Episcopus Episcopum ordinare præsumat*, genuinum esse, nemo dubitat: sed quod in breviatione Ferrandi addatur: *exceptâ Ecclesiâ Romanâ,* hoc suppostitium esse, & aliâ manu in Ferrando adjectum contendit Quesnellius, contrà quem dissertatione 3. cap. 12. editos à Iustello viro heterodoxo correspondentes Siricianæ epistolæ canonibus titulos Ferrandi adducimus, & inter eos unum esse, qui habet numero 6. *Vt unus Episcopus Episcopum non ordinet. Exceptâ Ecclesiâ Romanâ. Concil. Zellen. ex epistolâ Papâ Siricij.* Huic editioni minimè suspectæ lectionem Codicis antiquissimi hic adjunxisse, non inutile erit: *ut unus Episcopus Episcopum non ordinet exceptâ Ecclesiâ Romanâ Concil. Tiell. ex epist.* Ferrand. Codex M. S. S. Germani.

Papæ

Papæ Sirici. Ita mille & centum annorum Codex M. S. S. Germani à Pratis, eo fermè tempore conscriptus, quo vivebat Fulgentius Ferrandus, idque eâdem manu, absque eo quod alia manus adjecerit hæc verba: *exceptâ Ecclesiâ Romanâ.* Hisce addo alios titulos ex eodem M. S. Codice à me depromptos, ubi mentio fit Concilij illius & Syricij Pontificis: titulus ordine 130. *ut mulierem uxorem Clericus non ducat, & ut is, qui laicus viduam duxerit uxorem, non admittatur ad clerum Concil. Tiellen. ex epistulâ Papæ Sirici.* Ordine 138. *ut abiectum Clericum aliena Ecclesia non admittat. Concil. Tiellen, ex epistola Papæ Sirici.* Ordine 174. *ut venientibus novatianis vel montensibus per manus impositionem suscipiantur Concil. Tiellen. ex epistulâ Papæ Sirici.* Hæc retulisse, adversis conjecturis respondisse est.

15. Verum duo urget quam maximè Quesnellius pro suppositione epistolæ Sirícianæ, primum nimirum canonem de ordinatione primatum non faciendâ extrà conscientiam sedis Apostolicæ, & canonem ultimum de continentiâ sacerdotum & levitarum ab uxoribus, quem solum suasorium, non præceptorium esse contendit. At hic fidem lectoris expostulo, & ut ab ultimo incipiam, præter dicenda. Dissert. 3. cap. 12. num. 10. Cum Siricius præmittit, Synodo Romanæ placuisse, litteras tales dari, Siricius. *non quæ nova præcepta aliqua imperent:* sed *quæ Apostolicâ Patrum sanctione sunt constituta*, & per *ignaviam desidiamque aliquorum neglecta sunt.* Numquid subjectum de continentiâ sacerdotum & levitarum canonem vetus præceptum indicat? à Posteriori ad primum redeo, cui si non abundè satisfecisse videamur, aliam solutionem addimus à Ioanne Garnerio verbotenus nobis indicatam: putabat vir eruditus occasione Anniversarij diei, quo Siricius mense Ianuarij ad Pontificatum assumptus erat, octoginta Italiæ Episcopos Romam convenisse secundo Pontificatus

anno

anno poſt conſulatum Arcadij Auguſti & Bautonis, id eſt anno Chriſti 386. tuncque habitum Concilium pro diſciplinâ Italiæ ſeu locorum, qui ad ordinationem Romani Pontificis ſpectabant, & pro illis ſtatutum fuiſſe Can. 1. *ut extrà conſcientiam ſedis Apoſtolicæ hoc eſt primatis, nemo audeat ordinare*. Neque interpretatione hic canon indigeret, ſi ſuppoſitio de ſtatuendo pro illis locis canone vera habeatur, uti tentari poſſet, ex hiſce Synodicæ verbis: *qua de re meliori conſilio id ſedit, propter eos maximè, qui præſenti valetudine corporis aut ſeſſæ ætatis causâ minimè adeſſe potuerunt, litteras tales dari*. Hiſce enim indicari videtur, hanc epiſtolam primùm conſcriptam fuiſſe ad Epiſcopos illos, qui ad Synodum evocati valetudine corporis aut ſeſſæ ætatis impediti addeſſe non potuerant, adeoque ad Italiæ Epiſcopos, ex quibus hæc Synodus conflata fuiſſe videtur. Quod ſi meliori conſilio id ſediſſe ita interpretemur, ut ad alias regiones Patriarchatus Romani hæ litteræ Synodicæ mitterentur, hâc occaſione mitti potuiſſe ad Carthaginienſem Epiſcopum cæteris Epiſcopis per Africam juxtà antiquam conſuetudinem ab eo prælegendas in Synodo circà illa tempora habendâ, dicendum videtur: obortâ autem poſt plurimos annos in Provinciâ Byzacenâ quæſtione aliquâ ex Siricij Papæ litteris decidendâ, coactum fuit Thuſdritanum non in aliâ, ut putavit Queſnellius, ſed in ipsâ Byzacenâ Provinciâ Concilium, ad quod cum ab Aurelio directi eſſent cum authenticâ Siricij epiſtolâ legati duo Vincentius & fortunatianus, qui eamdem legendam obtulerunt Latonio Tenitano Provinciæ Byzacenæ Epiſcopo, ſuggeſtio indicavit, utraſque Siricij epiſtolas afferendas eſſe pro quæſtionis ſolutione ad proximum Byzacenæ Provinciæ Concilium ſub Donatiano Teleptenſi Primate vel Telepte, vel Zellæ, vel Telliæ, aut Tellæ, (duas enim civita-

tes eiusdem nominis in duabus Provinciis fuisse non repugnat) Bizacenæ Provinciæ civitatis coaduhandum; qua occasione altera Siricij Epistola hoc in fragmento servata; ab ijsdem legatis data fuit perlegenda: ex quibus omnibus corruunt illa tam speciosè à Quesnellio proposita suppositionis argumenta. Cætera videri possunt cap. 12. dissertationis 3.

16. Rara planè apud antiquos de Africanâ Ecclesiâ inveniuntur monumenta, & quia jam ab octo sæculis in regione illâ religio jacuit sub ruderibus sepulta, qui post sæculum octavum præcipuas orbis Catholici regiones non oculis solum perlustrarunt, sed & earum populos, ritus, & religionem scriptis suis posteritati consecrare studuerunt, relictâ infelici Africâ, nihil amplius de eâ memoriæ nostræ tradere curarunt, quam si numquam fuisset in Ecclesiâ. Primus qui historiam eius Ecclesiasticam attingere visus est, fuit Eminentissimus Cardinalis Baronius numquam sine laude tacendus, qui breviter in suis annalibus Africanam Ecclesiam illustriorem reddidit: quod autem vir ille sparsim & variis in locis præstitit, hoc nos dissertatione quartâ in unum congerentes sub variis de incrementis & decrementis Africanæ religionis capitibus præstare conamur, præmisso capite 1. intentato hactenus de successione Episcoporum Carthaginiensium Catalogo, & subiectâ capite ultimo brevi historiâ de pressâ Sarracenorum jugo religione Africanâ: mediis capitibus occasionem capimus referendi Afrorum ritus, disciplinam, & fidem, quæ omnia cum aliis notatu dignis cuique occurrent.

SYNOPSIS

SYNOPSIS
DISSERTATIONUM AC CAPITUM.

DISSERTATIO I.

De exordio Africanæ Ecclesiæ, eiusque notitia & regimine sub primate Carthaginiensi non autocephalo.

DISSERTATIO II.

De fide & ritibus Africanæ Ecclesiæ.

DISSERTATIO III.

De Conciliis Africanis, eorumque canonibus cum scholiis ac notis.

Synodica

DISSERTATIO IV.

De Successione Episcoporum Carthaginiensium, incrementis & decrementis Africanæ Ecclesiæ usque ad eiusdem interitum sæculo 8. per Sarracenorum irruptiones introductum, & huc usque continuatum.

APPRO-

APPROBATIO
MERITISSIMI
DOMINI
COCQVELIN
DOCTORIS ET SOCIJ SORBONICI ECCLESIÆ ET UNIVERSITATIS PARISIENSIS CANCELLARII.

NOs infrascripti Doctor Socius Sorbonicus Ecclesiæ & universitatis Parisiensis Cancellarius testamur omnibus, lectum à nobis fuisse librum, cui titulus est: *Ecclesia Africana sub primate Carthaginiensi per D. Emanuelem à Schelstrate sacræ Theologiæ Doctorem, Canonicum & Cantorem Ecclesiæ Antverpiensis.* In quo nihil offendimus quod fidei Catholicæ Apostolicæ & Romanæ non sit apprimè consonum: imo pleraque reperimus non modo eximiâ eruditione referta, sed & de novo in medium ab Authore Clarissimo & Doctissimo prolata, quæ cum ad illustrandam antiquitatem & commendandam Ecclesiæ Africanæ fidem religionem dignitatem plurimum valeant, non sine magnâ utilitate legi posse arbitramur. In cuius rei fidem his subscripsimus. Datum Parisiis anno Millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, die vero secundâ mensis Septembris.

Cocquelin.

APPRO-

APPROBATIO
SAPIENTISSIMI DOMINI
PIROT
DOCTORIS ET SOCIJ SORBONICI,
IN SORBONA PROFESSORIS, ET IN ACADEMIA
PARISIENSI VICE-CANCELLARII.

Nihil ad Ecclesiæ utilitatem conferre magis potest, quam antiquitatis Ecclesiasticæ notitia, neque quidquam ad hanc conducere aptius nobis visum est hocce libello, qui Ecclesiæ Africanæ primævam imaginem refert hoc titulo: *Ecclesia Africana sub primate Carthaginiensi.* Quem eâ de causâ Christianæ reipublicæ non parum profuturum arbitramur. In Sorbonâ die primâ Octobris, M. DC. LXXIX.

Pirot.

ERRATA.

Pagina 46. *lin.*20. Pontificiis, *lege* Pontificis. pag.57. *lin.*13. Stephani, *lege* Zephyrini. pag.314. *lin.*18. septæ, *lege* septimæ. pag.316. n.1. *tyrannidis,* lege *tyrannis.* pag.326.*lin.*18.describerit,*lege* describeret. ibid. *lin.*31. retruduit, *lege* recruduit. pag.320. *lin.*5. Iustiani, *lege* Iustiniani. pag.327. *lin.*12. intueamus, *lege* intueamur. Tempus non superfuit pleraque, prout conveniebat, revidendi, unde alia, si quæ occurrunt, dignetur lector benevolus corrigere, quia sicut labi humanum est, ita errata in libros incurrere vel typorum compositoris imperitiâ, vel correctoris inadvertentiâ, ordinarium & consuetum.

DISSER-

DISSERTATIO I.
DE
EXORDIO AFRICANÆ ECCLESIÆ
EIUSQUE NOTITIA ET REGIMINE
SUB PRIMATE
CARTHAGINIENSI NON AUTOCEPHALO.

CAPUT I.
De Africano Idolorum cultu, & introducta Religione Christiana.

1. *Idolorum cultus cum religione apparuit, & una cum Africa Coloniis in Africam introductus variis in regionibus varius extitit.*
2. *Proprius Afrorum Deus à Tertulliano dictus est Saturnus, cui cives Carthaginienses suos immolabant infantes usq; ad proconsulatū Tiberij.*
3. *Aliud Afrorum simulachrum fuit Dea Cælestis vecturâ leonis ad cælum Commeans, uti scribit Apuleus, cui duo numismata adstipulantur.*
4. *Pro Deâ Cælesti templum Deorum suorum ædibus vallatum à Carthaginiensibus fuisse extructum, testis oculatus est S. Prosper, ex quo habemus Carthaginem, quæ pro imperio cum Roma certarat, jam victam certasse pro cultu Deorum.*
5. *Carthaginem in cultu plurium Deorum secuta est omnis Africa ante & post Christi tempora, cui bellum indixerunt religionis nostræ propugnatores Afri ad fidem conversi.*
6. *Post Constantini tempora clauso Cælestis Deæ templo, cætera simulachra rescriptis Principum paulatim ablata sunt, ipso demum Cælestis templo per Aurelium Episcopum divino numini consecrato: exponitur locus auctoris libri de promissionibus, qui S. Prosperi vulgò creditur, circa titulum æneum:* Aurelius Pontifex dedicavit.
7. *Quandonam Idola Carthagine penitus destructa, & eorum templa per Africam prostrata fuerint, ex variis testimoniis deducitur.*

1. SI, Tertulliano teste, *cum odio sui cepit simul veritas, atque apparuit inimica*, mirùm videri non debet, quod cum religione divinâ apparuerit idolatria, quæ ab ipsis mundi huius incunabilis primos parentes appetitu divinitatis obcæca- Tertullian.

vit,

vit, tantasque radices in posterorum animos iecit, ut nec cataclysmi furore potuerit evelli, nec ignitorum Serpentium morsu extingui, nec iterato sæpius fulmine divino umquam consumi. Enim verò disperso post cataclysmum in varias regiones genere humano, dispersus una fuit simulachrorum cultus, qui cum Africæ coloniis introductus est in Africam, &, si enarranti ex Procopio Suidæ auctori græco fidem adhibeamus, cum Cananeis per Iosue fugatis ad Numidiam pervenit. Non enumerabo Deorum delubra à gentilibus in Africâ adorata, non Iovem Ammonium, cuius cultus celebris erat in desertis Lybiæ: non Dianam Corypheam à Numidis cultam: non Apollinem, cui Lucos & fana, non solem, quem Mauri adorantes respiciebant, & orientem venerabantur: non duplicis Martis statuam, quam Madaurenses in foro pro numine suo aliorum simulachrorum frequentiâ circumdatam adorabant: sed in duobus Africæ delubris non nihil hærendum duxi, quod ea non civitati aut provinciæ speciali, sed omni per Africam regioni fuerint notissima, & à Carthagine totius Africæ civitate primariâ summè venerata.

Tertullian. 2. Primum horum simulachrorum fuit Saturni, quem Tertullianus proprium *Afrorum Deum edixit*, & Pæni bel, Latini saturnum, Græci Κρόνον aut tempus nuncupabant: cum somniabant ethnici philosophi ex cælo & terrâ natum fuisse, cumque tempus annorum successu omnia consumit, *Saturnum suos filios devorasse, ita nonnulli interpretati sunt, quod longinquitas temporis, qua Saturni nomine significatur, quidquid gignit, ipsa consumat*. Et ex hoc persuasum fuit indoctis Africæ populis, Saturnum nullis hostiis, quam filiorum placari posse, quos proinde eorum parentes Saturno immolabant apud Carthaginem, uti apud Lactantium testatur Pescenius festus in libro historiarum: *Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum victi essent ab Agathocle rege siculorum, iratum sibi Deum putavisse: itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse*. Eadem illa ex 20. Diodori libro refert Cælius Rhodiginus, ac pergit: *erat autem apud eos* (Carthaginienses) *anea Saturni statua magnitudine mirabilis, cuius manus ad terram extensa ita erant in Gyrum, ut qui pervenire ad eum adolescentes cogebantur, in ingentem foveam igne repletam inciderent*. Addit insuper Plutarchus lib. de superstitione: qui sine liberis forent, omninò à pauperibus puerulos coemere solitos ad hunc usum, veluti agnos aut avium pullos coemissent, quin & in more fuisse, ut assisteret mater citrà lacrymas ac gemitus, stantibus in

Marginal notes: August. lib. 6. De civitate Dei cap. 8. — Pescenius Festus apud Lactant. — Diodorus apud Rhodiginum. — Plutarchus.

ambitu

ambitu ijs, qui tibiis incinebant, aut tympana pulsabant, ne qua vox exaudiri posset. Duravit vero hæc consuetudo usque ad Tiberium Proconsulem, de quo Tertullianus in apologetico cap.9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberij, qui ipsos Sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patria nostra, qua id ipsum munus illi Proconsuli functa est. Sed & nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus .... cum propriis filijs Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes respondebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur.* Quo ex loco habemus, post Tiberij Proconsulatum à nefariâ puerorum immolatione publicè cessatum fuisse, quod ipsum in Octavio arguerat Minutius felix: *Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit: merito ei in nonnullis Africa partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur:* modo irrisorio loquitur Minutius, & dum factum probare videtur, in Afros invehitur, quod ipsi gentiles hæc filiorum sacrificia habuerint ut sacrilegia & parricidia.

Tertullian.

Minutius felix.

3. Secundum simulachrum fuit Deæ Cælestis, de quo Salvianus libro 8. de providentiâ: *Habent quippè intra muros patrios intestinum scelus, Calestum illum scilicet Afrorum demonem.* Et S. Ambrosius Mediolanensis Antistes adversus Symmachum: *quam calestem Afri .... colunt.* Et Ulpianus titulo *de his, qui heredes instituere possunt*, post Cod. Theodosianum numerat inter alia *Calestem Salinensem Carthaginis.* Et Tertullianus in Apologetico cap.24. *Vnicuique etiam provincia & civitati suus Deus est .... ut Africa Calestis*, de qua & cap.23. dixerat: *ista ipsa virgo Calestis pluviarum pollicitatrix.* Hanc Apuleius ipse Africanus Iunonem fuisse putat lib.6. de Asino: *Magna Iovis germana & coniuga, sive tu sami querulo partu, vagituque & alimonia tua gloriaris, sive celsa Carthaginis, qua te virginem vecturâ leonis calo commeantem percolit.* Occasionem verò unde illud Carthaginiensibus numen lib.5. adfert Herodianus loquens de simulachro Uraniæ, *quod scilicet Carthaginensibus omnique Africa venerabile positum fuisse à Phanissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto Corio adificavit. Hanc Afri Vraniam, Calestem videlicet, vocant, Phanices Astroarchen, lunam esse affirmant.* Refert hæc & alia de Cælestis simulachro Cæsar Baronius antiquorum testimonia ad annum 399. additque duo Numismata, Severi Imperatoris unum, & alterum Antonini

Salvianus. Ambrosius. Ulpianus. Tertullian. Apuleius. Herodian.

tonini eius filij, in quibus à tergo expressa est Carthaginiensium Dea, pro ut ab Apuleio exhibetur vecturâ leonis ad cælum commeans, ut ex illis ipsis Numismatibus hic impressis licet colligere.



Inscriptio horum Numismatum de *Indulgentiâ Augustâ* innuit, tam Severum Imperatorem, quam Antoninum eius filium indulsisse de vectigalibus in re annonariâ. Additur *in Carthagine*, ut Carthaginiensibus hæc indulgentia facta insinuetur, unde & Numismata hæc Carthaginiensis Deæ typum ferunt, de quâ Apuleius: *Carthaginis, quæ te virginem vecturâ leonis cælo commeantem percolit*, quod totum hisce in Numismatibus visitur. Addit Baronius tomo 5. ad ann. 399. num. 61. Sequentem inscriptionem incisam basi, super quam Cælestis simulachrum collocatum erat:

INVI-

INVICTÆ
CÆLESTI.
AVR. ONESI
MVS. D. D.

Antiqua inscriptio Romæ apud Alex.. Borgianum.

Quam inscriptionem Ianus Gruterus malè inter Veneris epitheta collocavit, ut fusius ostenderemus, nisi sufficeret vel hoc ex jam dictis constare, Cælestem fuisse Carthaginiensium numen præcipuum, quod usque ad tempora D. Augustini in præcipuo civitatis illius templo erat collocatum.

4. Egit de eius templo S. Prosper Augustini Discipulus, vel quicumque auctor est libri de prædictionibus, ubi parte 2. cap.38. Scriptum reliquit: *apud Africam Carthagini Cælestis inesse ferebant templum nimis amplum omnium Deorum suorum ædibus vallatum. Cuius platea Lithostrata pavimento ac pretiosis columnis & mænibus decorata, propè in duobus fere millibus passuum protendebatur.* Templum Augustum Cælesti Deæ constructum audis, idque in plateâ duorum ferè mille passuum, quæ referta erat omnium Deorum ædibus super pretiosas columnas ædificatis. Quod nimirum Carthago, quæ durante republica usque ad tertium bellum punicum fuit Romanæ civitatis æmula & pro Imperio certarat cum orbis dominâ, nunc à Romanis post primam excisionem super prioris civitatis fundamenta constructa, certamen assumpserat de cultu Deorum. Si namque Roma Leone primo attestante, *cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Carthago à Romanis restituta, cum æmula amplius esse nequiret imperij, æmula facta est cultus Idololatrici, quandoquidem diligentissimâ superstitione in duorum mille passuum plateâ habebat in ædibus undecumque super columnas constructis collectum, quod usquam fuerat vanis erroribus institutum.

S. Prosper.

Leo I.

5. Nec sola Carthago, sed Africa universa in cultu plurium Deorum videri voluit religiosa, ut persecutionis temporibus per Africam *in templis demoniorum diabolus triumphabat, immundis fumabant aræ nidoribus, & qui ad sacra sacrilega venire non poterant, ubicumque thus ponere cogebantur.* Ita de Diocletiani persecutione S. Optatus Milevitanus Episcopus lib.3. contrà Parmenianum, additque Maximus Madaurensis homo ethnicus epistola 43. inter Augustini: *Nostra urbis*

S.Optatus

Maximus Madauriens.

forum salutarium numinum frequentia possessum nos cernimus & probamus. Et inter illa simulachra fuisse duplicis Martis statuam, audivimus
Augustin. supra, cui attestatur Augustinus Epist.44. ad eumdem Maximum : *In isto foro recordarer esse in duobus simulachris unum Martem nudum, al-*
S. Prosper. *terum armatum.* S. Prosper etiam loco superius citato : *novi quoque ipse in quadam parte Mauritaniæ provinciæ de speleis & cavernis ita antiqua producta simulachra, quæ fuerant abscondsa, ut omnis illa cum clericis in sacrilegio perjurij civitas teneretur.* Et contra hæc antiqua Africæ delubra, ac tot gentium idola religionis nostræ defensores pugnare agressi sunt in Ecclesiâ, contrà illa est, quod magnus quondam Carthaginiensis Presbyter Tertullianus anno 201. sub Severo ad magistratus Romanos opus apologeticum conscripsit, & D. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus anno 256. ad Demetrianum Africæ Proconsulem librum de idolorum vanitate exaravit. Contra illa est, quod sub Diocletiani tyrannide per Africam sæviente Arnobius ipse Afer surrexit, qui libris septem adeo Idolorum cultum impetivit, ut sub eius discipulo Lactantio Crispum Constantini filium instruente, ipse Romanorum Imperator errorem agnoverit, Christianis pacem concesserit, Idolis bellum indixerit, & gentilium templa delubris suis orbata obserarit, de quibus omnibus tam magnificè attestatus est libro 2. de vitâ Constantini, Eusebius Cæsareensis in Palestinâ Episcopus.

6. Et post hæc Cælestis Deæ templo Carthagine clauso, vilescere cepit cultus idolorum in Africa : gentilium nomen sepeliri videbatur cum ipsis simulachris, quæ dum editis rescriptis auferri præceperat Im-
Augustinus. perator Honorius, factum est anno 399. quod scribit D. Augustinus lib. 18. de civitate Dei, cap. 54. *Sequenti anno cum socium accepisset Honorius consulem Manlium Theodorum, quando jam secundum illud oraculum demonum aut figmentum hominum nulla esse debuit religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere interim quod scimus in civitate notissimâ & eminentissimâ Carthagine Africæ, Gaudentius & Iovius comites Imperatoris Honorij quartodecimo Kalendas Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, & Simulachra fregerunt.* De solis simulachris evertendis statuerat Imperator Honorius, cuius comites Gaudentius & Iovius excesserant, dum ipsa
Honorij lex. templa 14. Kal. Aprilis post consulatum Honorij & Eutychiani consule Mantio everterunt, unde idem Imperator ad Apollodorum Africæ proconsulem : *Ædes inlicitis rebus vacuas nostrarum beneficio sanctionũ, ne quis conetur evertere. Decernimus enim, ut ædificiorum quidem sit in-*

teger

teger status: Si quis verò cum sacrificio fuerit deprehensus, in eum legibus vindicetur, depositis sub officio Idolis, disceptatione habitâ, quibus etiam nunc patuerit cultum vanæ superstitionis impendi Dat. 4. Kalend. Septembris. Patavio, Theodoro V. C. Conf. extat hoc Honorij rescriptum de paganis l. 18. cod. Theodos. & Theodorus Consul idem est, qui Manlius, ut eodem anno 399. hoc rescriptum editum sit, quo Gaudentius & Iovius templa everterunt: unde Aurelius, qui tunc vivebat, Carthaginiensis Episcopus aliter egit cum famoso Cælestis Deæ templo, de quo testis oculatus S. Prosper: *cum diutius clausum incuriâ, spinosa virgulta circumseptum obruerent, velletque populus Christianus usui veræ religionis vindicare, dracones, aspidesque illic esse ob custodiam templi gentilis populus clamitabat, quo magis Christiani fervore succensi eâ facilitate omnia amoverunt illæsi, qua templum suo vero cælesti regi & Domino consecrarent. Nam cum sancta pascha solemnis ageretur festivitas, collecta illic & undique omni curiositate etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum, pater & digna memoria nominandus Antistes Aurelius, cælestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cælestis & habuit, & sedit. Ipse tunc aderam cum sociis & amicis, atque (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam & incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus. Aurelius Pontifex dedicavit.* Hæc S. Prosper vel auctor Anonymus promis. 38. cuius testimonium de titulo litteris æneis frontispicio templi præfixo, cum aliquando legissem, persuaseram mihi, hæc verba: *Aurelius Pontifex dedicavit* Intelligenda de Aurelio Carthaginiensi Episcopo, qui Cælestis Deæ templum illo ipso tempore cælesti Domino dedicavit. Verum re altiori indagine disquisitâ, apparuit non de Aurelio Carthaginiensi Episcopo, sed Aurelio gentili Carthaginiensium Pontifice intelligēda, de quo audivimus supra ex basi Cælestis simulachro impositâ: *invictæ Cælesti Aur. onesimus D. D.* cumque templum hoc sub Aurelio gentili pontifice simulachro Cælestis dedicatum fuit, & posteà sub altero Aurelio catholico Episcopo numini divino consecrari contigerit, hoc reverà fuit, quod S. Prosper mirabatur tanquam opus divinæ providentiæ: hunc titulum inquit, *legentes populi mirabantur. Præsago tunc Spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat.*

S. Prosper.

Prosper.

7. Ut autem res hæc suo tempori vindicetur, notandum omninò, Manlio Consule initio anni 399. Edictum ab Honorio editum de idolis destruendis, cumque tempore paschatis Aurelius Carthaginiensis

Idolo

Idolo Cælestis destructo templum eius cælesti Domino consecrasset, Gaudentium & Iovium non idola solum, sed ipsa quoque templa evertisse plerisque in Africæ locis: hoc autem cum mirè placuisset patribus Africanis, eodem anno quinto Kalendas Maias in Concilio Carthaginiensi statuerunt legationem ad Imperatores dirigendam, cui in commissis daretur, *de reliquiis idolorum vel templis ab Imperatoribus abolendis.* Legationem verò suscipiens Epigonius non obtinuit templorum eversionem ab Honorio, ut patet ex rescripto eius superius allato, quod datum est 4. Kalend. Septembris ubi: *decernimus, ut ædificiorum quidem sit integer status.* Recepto autem hoc Imperatoris rescripto, non quieverunt Patres Africani, sed in Synodo Carthaginiensi quintâ canone ultimo petendum duxerunt, ut saltem reliquiæ idolorum non in solis simulachris, *sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omnimodè deleantur.* Nec hoc solum, sed ipsa Idolorum templa demum prostrata fuisse in Africâ, edocet S. Prosper loco sæpius citato: *sub Constantio & Augustâ Placidiâ, quorum nunc filius Valentinus pius & Christianus Imperat, Vrso insistente tribuno, omnia illa templa ad solum usque perducta agrum reliquit in Sepulturam scilicet mortuorum, ipsamque viam sine memoriâ sui nunc Vandalica manus evertit.* Loquitur auctor de duorum mille passuum plenâ Deorum ædibus plateâ, quæ sub Constantio & Placidiâ anno 417. matrimonio junctis simul cùm idolis per Ursum tribunum destructa fuit, & ad solum usque perducta, ut Christiana fides, si initio quarti sæculi sub hæreticis per Africam oppugnari cœperit, de gentilium saltem religione prostratâ meritò triumpharit.

Conc. Carth.

Lex Honorij

Synod. Carthagin. 5.

S. Prosper.

CAPVT II.

Quandonam fides Catholica, & unde ad Africam pervenerit?

1. *Africam fuisse sortem Simonis Apostoli ex Dorothei aut Hyppoliti Synopsi de vitis Prophetarum & Apostolorum quidam recentiores tradere conati sunt.*
2. *Synopsim illam, eo quod Supposititia sit, id ipsum confirmare non posse, meritò tuemur.*
3. *Baronius contentionem inter catholicos & donatistas exortam tuetur*

de

de tempore prædicati per Africam Evangelij, aitque, Donatistas voluisse prædicatum post Apostolos, his verò repugnasse Catholicos Augustinum & Salvianum.

4. *Salvianum & Augustinum non repugnasse hac in re donatistis, ex eorum testimoniis evincimus, ac signanter ex testimonio Augustini, qui fidem post Apostolos ad Africam pervenisse conscripsit.*

5. *Augustino consentit ipso longe antiquior Tertullianus, qui nullam in Africâ ab Apostolis institutam agnovit Ecclesiam.*

6. *Quandonam vero post Apostolos Africana Ecclesia ceperit, inquiritur, & cum ante Agrippini tempora fuisse oportuit, circa annum 120. cepisse verosimile sit.*

7. *Fides missis à sede Apostolicâ prædicatoribus in Africâ prædicata est, Vnde ex urbe Romanâ ad Carthaginem pervenit, id ipsum comprobãtibus ex Africâ Tertulliano & Augustino, ex Italiâ verò Innocentio I. & Gregorio Magno.*

1. AFricam ante aliquot annos illustravit ex nostro Belgio Ioannes Baptista Grammaye Serenissi. Alberti & Isabellæ Historiographus, & inter pauca, quæ circa Africanam Ecclesiam retulit, libro 2. cap. 2. Fidei nostræ per Africam initia ab Apostolis repetit: ,, cum, inquit, Africa proprium sibi habeat unum è quatuor Evangelistis, & ex Apostolis tres Evangelizantes audiverit, ex discipulis ,, septuaginta duobus sex sibi arroget,, loquitur vir in prophanâ Historiâ haud parum versatus de Africâ, prout contrà Europam & Asiam tanquam tertia orbis nostri pars distinguitur, & in eâ putat Thomam per regiones Ethiopiæ, Marcum per Egyptum, & Simonem Thadeum per Mauritanias prædicasse: ultimum illud habet quoque Nicephorus author græcus lib. 2. cap. 4. *Simon Zelotes accepto cælitus adveniente Sancto Spiritu, Ægyptum Cyrenem, & Africam, deinde Mauritaniam & Libyam omnem Evangelium deprædicans percurrit.* Sumere verò hæc potuit Nicephorus ex Dorotheo Tyrensi, qui traditur tempore Diocletiani Synopsim de vitâ Prophetarum & discipulorum Christi scripsisse, & inter alia habet de Simone Zelote: *Peragratâ Mauritaniâ & Afrorum regione Christum prædicavit.* Prodiit quandoque hæc Dorothei Synopsis sub nomine Hyppoliti Portuensis Episcopi, qui ad initium sæculi tertij sub Alexandro Severo floruit, & ex illâ desumpsere Græci cum Nicephoro, quod scribunt de Simone Zelote, & mutuavit quoque Grammaye, quod adiungit de sex Apostolorum discipulis fidem

Grammaye. Niceph. Cal. Dorotheus.

Africæ annuntiantibus, quos enumerat Symonem Cyreneum, Lucium Tarsensem, Crescentem Petri discipulum, Epenetum, & Caudalum Carthaginiensem Episcopum.

Psalm. 18. 2. Verum quamvis Spiritus Sanctus per Prophetam suum prædixerit, *in omnem terram exivit sonus eorum*, quod gentium doctor de fidei prædicatoribus interpretatur, & indubitatum sit ex antiqua Ecclesiæ traditione, quàm Leo 1. sermone 1. in nativitate Petri & Pauli confirmat, 12. Apostolos *acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepisse*, habemus tamen editum novissimè à Francisco Combefis in Historiâ Monothelitarum Hyppoliti Portuensis Episcopi *de 12. Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, ac ubi consummatus sit*, ex M. S. codice Bibliothecæ regiæ Historiam, & in eâ in Simone Zelote ne γρῦ quidem de Africâ, uti nec de 70. Discipulis ulla memoria, prout fit in Dorothei Synopsi Historicâ, de quâ eminentissimus Cardinalis Bellarminus libro de scriptoribus Ecclesiasticis: *plena est fabulis*. Nec res hæc probatione indiget, cùm vel ex eo Synopsim illam Suppositiam esse constet, quod inter 72. Discipulos collocet omnes à D. Paulo nominatos, quantumvis Ethnicos, & feminas, easque non solum discipulos Domini, sed & Episcopos faciat. Deinde eius nec Hieronymus, nec Gennadius, nec Honorius Augustodunensis, nec Sigebertus Gemblacensis meminerunt in editis per Mireum de Scriptoribus opusculis, sed neque Eusebius quantumvis accuratus antiquitatis indagator, ubi de Apostolorum divisione libro 2. & lib. 3. cap. 1. mentionem facit, ullius Simonis meminiscit, qui Africam peragrando inibi Evangelium prædicavit. Unde rectè Cardinalis Baronius tomo 1. ad ann. 44. n. 38. referens Græcorum menologium, quòd Simonem in Africâ fidem prędicasse tuetur, subdit: *Sed hæc absque aliquo antiquorum testimonio*.

[Margin: Leo 1. — Hippoliti liber. — Bellarm. — Baronius.]

3. Quamvis autem Baronius de Simone Zelote Græcis adversetur, non tamen Sententiæ de prædicato Apostolorum tempore per Africam „ Evãgelio repugnat, quin potius addit loco citato: „quod verò Spe„ ctat ad Africanam Ecclesiam, ea contentio inter Catholicos Africa„ nos & Donatistas oborta est, quo potissimum tempore Evangelium „ ceperit in Africâ prædicari: affirmabant illi post Apostolos id esse „ factum, sic enim Petilianus dicebat: *de nobis dictum est: erunt primi,* „ *qui erant novissimi, ad Africam enim postmodum Evangelium venit, &* „ *ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est, Africam credidisse.* „ Repugnat his* Augustinus, nec non * Salvianus Massiliensis, qui „ constan-

[Margin: *August. de unitat. Eccl. cap. 15. — * Salvian. de provid. lib. 7.]

,, constanter affirmant, Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse. ,, Hæc Baronius, qui contentionem Donatistas inter & Catholicos refert, quæ numquam mota fuit.

4. Donatistæ Evangelium post Apostolos ad Africam pervenisse asserebant, nec Patres umquam veritati illi restiterunt. Salvianus à Baronio in contrarium adfertur, sed Salvianus presbyter Massiliensis lib.7. de Providentiâ, contrarium non tuetur: cum enim pleraque de Afris & eorum civitate primariâ Carthagine tanquam omni vitiorum cæno inquinatâ dixisset, cum illius incolas fornicatione, adulterio, & sodomiâ fœdatos descripsisset, quod se de Afris, hoc Apostolum Paulum testatum ait de Romanis tam fœda omnium consensu perpetrantibus, ac subdit. *In urbe Christianâ, in urbe Ecclesiasticâ, quam quondam Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronarant, viri in semetipsis fœminas profitebantur, &c.* Ubi per civitatem illam, non intellexit Salvianus Carthaginem, de quâ paulo ante disseruerat tanquam sodomitico populo repletam, sed urbem Romam, cuius cives Paulus in Epistolâ ad Romanos vitio sodomitico fœdatos indicarat, unde etiam sequitur, *atque hoc publicè in civitate Romanâ urbe illic summâ & celeberrimâ.* Et de Româ verum est, quod ab Apostolis fuerit instituta. Adfertur subinde Augustinus lib. de unitate cap. 15. neque Salviano felicius: enim verò agebat contra Donatistas, qui cum somniarent Evangelio ab Hierusalem per cæteras terras prædicato, ob traditionum crimina tempore Diocletiani Ecclesiam periisse, & in solis Donatistis perseverasse, in hunc sensum trahentes verba sponsæ Cant. 1. *Annuncia mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* ac si in solâ meridie, seu Africâ, ubi pars Donati morabatur, mansisset Ecclesia. Errori se opponit Augustinus, irridetque Donatistarum commentum, & dicit, si hoc verum esset, jam Ecclesias Apostolorum labore fundatas periisse, & illis neglectis ex Africanâ Donati Ecclesiâ cæteris gentibus, ad quas nondum Evangelium pervenerat, esse prædicandum: quo loquendi modo indicat potius Augustinus, Africam non fuisse ab Apostolis conversam. Idem præclarissimè docet Augustinus eodem libro. cap. 13. cum enim Donatistæ dixissent: *de nobis dictum est, erunt primi, qui erant novissimi, ad Africam enim postmodum Evangelium venit, & ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est, Africam credidisse: de orientalibus autem & cæteris gentibus, quæ in sanctis libris commemorantur fidem recepisse Christianam, dictum est, erunt novissimi primi.* D. Augustinus subodoratus

Salvianus.

Salvianus.

Cantic. 1.

Donatistæ.

ratus donatistas hæc dicere, ut penes se solos tanquam novissimos fideles Ecclesiam permansisse probarent, explodit eorum argumentum tanquam erroneum, & per primos asserit intelligendos esse Iudeos, per novissimos gentiles: aut si fideles intelligere vellent, nec sic Sacræ Scripturæ locum favere donatistarum instituto: *Et si*, inquit, *non essent judei & gentes, de quibus hoc dictum intelligerem, nonnulla etiam Barbaræ nationes post Africam crediderunt. Vnde certum sit, Africam in ordine credendi non esse novißimam.* Percipis Augustini mentem? tantum abest eum voluisse, fidem ab Apostolis in Africâ prædicatam, ut potius supponat, ipsam Africam post Apostolorum tempora fidem amplexam.

Augustin.

5. Donatistis itaque & Catholicis sine controversiâ olim conspirantibus, Africa post Apostolos fidem recepit, cui attestatur omnium Africanorum Patrum Antiquissimus Tertullianus lib. de velandis virginibus, ubi Italiæ, Græciæ, aliarumque regionum Ecclesias, quas transmarinas vocat, eas esse dicit, *quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt:* Illis vero opponens Ecclesias Africæ, eas vocat *posteras illas*, volens innuere, post Apostolos institutas, prout clarè indicat, cum hæreticos Afros libro de præscriptionibus ad Ecclesias Apostolicas remittit. *Percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas: ... proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia? habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere? habes Ephesum. Si autem Italia adiaces? habes Romam.* Quibus omnibus lucidissimè indicat, nullam in Africa fuisse Ecclesiam Apostolicam, seu per Apostolos institutam. Affirmat, inquit vir de Ecclesiâ bene „ meritus Christianus Lupus in scholio ad hunc locum, „ Africanam „ Ecclesiam non fuisse fundatam ab Apostolis, sed esse ipsis posteriorem.„

Tertullian.

Lupus.

6. Quandonam verò Ecclesia in Africâ ceperit, alia questio est, pro quâ solvendâ à viro erudito adfertur responsum Augustini ex libro 3. de baptismo contrà Donatistas desumptum: *quid ante Aggrippinum, à quo ista cepit quasi nova ratio adversus consuetudinem dimicans, numquid non erat Ecclesia?* ante Agrippinum, qui circà initium sæculi tertij sedit Carthagine, Donatistæ numerare non poterant ullum rebaptizationis suffragatorem in Africâ, & Augustinus novitatem à Donatistis introductam ostensurus, respondet: ante Agrippinum fuisse Africanam Ecclesiam, eamque antiquam & numerosam, idque vel ex eo firmatur, quod Agrippinus in suâ Synodo referatur habuisse septuaginta

Augustinus.

ginta Episcopos, quot, ut rectè Christianus lupus, esse non potuerunt in novellâ ac Neophitâ Ecclesiâ. Neque septuaginta illi à D. Augustino enumerati fuerunt omnes totius Africæ Episcopi, cum D. Cyprianus Epist. 73. de ijs testetur, quod *Episcopi plurimi* fuerint. Si enim plurimi dumtaxat Episcopi ad Carthaginiensem Synodum adventarint, alios diris illis persecutionum temporibus abfuisse oportuit, ut ad sæculi tertij initium ultra Septuaginta Episcopos facilè alios triginta aut plures in Africâ fuisse crediderim: hos autem fungorum instar brevi tempore, aut unâ, ut dicitur, nocte per omnem Africam in civitatibus constitutos sub Primate Carthaginiensi Hierarchiam Ecclesiasticam confecisse, cum dici nequeat, putarem Evangelij per Africam prædicationem 100. aut 80. annis Agrippinum præcessisse, & fide paulatim per civitates receptâ, ubi fidelium multitudo segetis instar per dies multos excreverat, Episcopos tanquam messis Christianæ operarios ibidem fuisse constitutos, qui sub Agrippino centenarium numerum, ut jam vidimus, excedebant.

7. Secundo itaque Christi sæculo statim post Apostolorum tempora Africa fidem Catholicam recepit, unde & Justinus Martyr anno 150. exclamans contra Tryphonem, nullum tunc fuisse hominum genus, sive barbarorum sive græcorum, apud quos JESU nomen non invocaretur, etiam locutus est de Afris, qui ante illud tempus fidem à sede Apostolicâ receperant. Constans enim omnium veterum sententia est, Romanam Ecclesiam misso uno aut pluribus prædicatoribus Africam fide imbuisse, & Sacerdotio aut Episcopatu donasse. Tertullianus ipse Afer, qui sub Agrippino presbyter Carthaginiensis fuit, cum hæreticos Afros refelleret, eosque, ut audivimus, ad Traditionem Apostolicarum Ecclesiarum remisisset, hæsit in Romanâ à Petro & Paulo fundatâ, & addit: *Videamus, quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* Ac si diceret: quænam signa religionis tesserarum instar cum Africâ posuerit, quibus Africa cum Româ in unam fidei Societatem confœderatæ sunt. A Romanâ itaque Ecclesiâ, teste Tertulliano, Africa religionem suscepit, dum ab ipsâ missis prædicatoribus ad fidem conversa fuit. Consonat D. Augustinus Epist. 162. ubi loquens de Ecclesiis transmarinis Romanam extollit. *Vnde*, inquit, *Evangelium ad ipsam Africam venit.* Et Augustino æqualis Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum: *cum sit Manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos*

Tertullian.

Augustin.

Innocent. I.

eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut eius successores constituerint Sacerdotes. Et D. Gregorius lib. 7. Epist. 32. ad Dominicum Carthaginiensem Episcopum : *Scientes praeterea unde in Africanis partibus sumpserit ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod sedem Apostolicam diligendo ad officij vestri originem prudenti recordatione recurritis.* Quibus omnibus clariora desiderari non possunt petita ex Africanâ & Romanâ Ecclesia Antiquorum testimonia. Gregor. M.

CAPVT III:

De notitia Provinciarum Africæ, earumque divisione in Imperio & Ecclesia.

1. *Africa pro tertiâ parte orbis sumpta ab antiquioribus Geographis, quibus Africa Australis ignota fuit.*
2. *A recentioribus pro tractu quodam in varia regna diviso, à nobis verò pro tractu maritimo, qui se extendit à freto Gaditano usque ad Cyrenaicam regionem, qui tractus Imperio olim contributus in varias Provincias fuit divisus.*
3. *Provinciarum ordinationem Hadriano Imperatori tribuit Onuphrius Panuinus, qui ab ipsius tempore Sex Provincias in Africâ enumerat.*
4. *Verum tres dumtaxat Provincias in Africâ enumeratas fuisse usque ad tempora Constantini Magni, contrà Onuphrium ostenditur.*
5. *Ex dictis refellitur quoque Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis, qui ex Corrupto Synodi 2. Carthaginiensis loco, Africanam Ecclesiam usque ad tempora Grati sub unâ Metropoli perseverasse existimat.*
6. *Tres Metropoles in tribus Provinciis ante tempora Constantini Magni agnitas fuisse, verbo indicatur : à Constantino verò Africam in sex Provincias fuisse divisam.*
7. *Quo ad Ecclesiasticam Provinciarum distributionem ante medium saeculi quarti quinque dumtaxat enumeratas tuetur de Marca, qui Sitifensem posteà emersisse conscripsit : in corrupto sexti Carthaginiensis Concilij loco septem enumerantur, Numidiâ in duas Provincias partitâ, quas scholiastes gracus veterem & novam edixit.*
8. *Errorem de duabus Numidiis Detegimus, & Sitifensem Provinciam*

quandoque

quandoque Numidiam in antiquis monumentis dictam ostendimus, pro ratione verò, quod Sitifensis Provincia à Numidiâ fuerit avulsa.

1. SI considerare vellemus illa, quæ de Africæ descriptione tradiderunt antiquiores Geographi, exponendus nobis esset Claudius Ptolomeus patriâ Alexandrinus, qui libro 4. Geographiæ, enumerat 12. Satrapias sequentes: *Mauritaniam Tinganicam, Mauritaniam Cæsariensem, Numidiam, Africam, Cyrenaicam, Marmaricam, propriè Lybiam, Ægyptum Inferiorem & Superiorem, Lybiam interiorem, Æthiopiam, quæ sub Ægypto est.* Agit de Africâ Ptolomeus, prout est tertia orbis nostri pars, quam tamen integram non cognovit, omissâ scilicet Æthiopiâ inferiore & terrâ australi ultrà 20. Gradum latitudinis sitâ. Strabo de situ orbis libro 17. Lybiæ meminit, uti & Plinius libro 5. Historiæ Naturalis, ubi Africam in octo Provincias distribuit: *Mauritaniam Tingitanam, Numidiam, Africanam, Cyrenaicam, Lybiam Mareotis, insulas circa Africam, & ex adverso Africæ, demum Æthiopes.* Plures quam Ptolomeus non agnovit Plinius Africæ Provincias, quin imo pauciores, quandoquidem Ægyptum non Africæ sed Asiæ adnumerat. Cæterum per Æthiopes, superiores dumtaxat intellexit cum Ptolomeo, cui, ut diximus, Africa Australis usque ad Promontorium bonæ spei incognita fuit.

Ptolomeus.

Plinius. 2.

2. Si verò consideremus scripta recentiorum, egit de Africâ Ioannes Leo ipse Africanus, qui libro 1. quatuor eius partes exhibuit: Barbariam, Numidiam, Lybiam, & terram nigritarum, quibus in suâ Africâ illustratâ addit Ludovicus Marmolius Ægyptum, & præter Ægyptum Ioannes Baptista Grammaye Æthiopiam superiorem & inferiorem. Verum cum inter hos omnes nemo de Africâ egerit nisi tamquam tertiâ orbis nostri parte, & nos de solâ Africâ agere debeamus, quæ imperio subdita fidem recepit, & à Romanis in certas Provincias Divisa à freto Gaditano ad Cyrenaicam regionem Ægypto contributam porrigebatur, operæ-pretium erit, hanc Africæ partem ad oras maris mediterranei sitam illustrare, & quandonam Imperio subiecta in formam provinciarum redacta fuerit, ex Onuphrio Panuino edifcere, qui in Commentariis Reipublicæ Romanæ parte 2. de Africâ postea proconsularis dictâ, tradit ex Velleio & Strabone, quod eius regio post expugnatam à Scipione Carthaginem in Provinciæ formam redacta fuerit: consentit Sextus Rufus in breviario: *Ter Africa rebellavit, ad extremum deletâ per Africanum Scipionem Carthagine, Provincia*

Sext. Rufus.

vincia facta est. De Numidiâ autem, quæ, ut Sextus Rufus ait, *ab amicis regibus tenebatur*, victo Jugurthâ Numidiæ rege à C. Mario Procos. anno post urbem conditam DCXLIX. ex decem legatorum Sententiâ Provinciæ formam accepit, atque ita, inquit Onuphrius,
Onuphrius. *in Africâ duæ Provinciæ factæ sunt: Africa ubi erat Carthago, & Numidia*. De Mauritaniâ scribit idem Onuphrius, „quum C.Caligula „ Ptolomeum regis Jubæ filium consobrinum suum interfecisset, „ Mauritaniam, quæ regnum eius fuerat, in Provinciæ formam redegit, atque in duas Provincias divisit Tingitanam & Cæsariensem, ut auctores sunt Tacitus, Plinius lib. 5. cap. 1. Dio lib. 58. „ Verum quod Caligulæ Plinius, hoc Claudio potius tribuit Dio lib. 60.
Dio. *Claudius*, inquit, *Mauros divisit in eos, qui ad Tingin, & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent: & duobus equitibus præpositis eos permisit*. Addit Parisiensis Archiepiscopus de Marca in editâ ad Concilium Claromontanum dissertatione, quod paulò post uni præsidi ambæ Mauritaniæ commissæ sunt à Galbâ, ut discimus ex hoc Taciti
Tacitus. loco libro 2. histor. *Luceius Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus additâ per Galbam Tingitanæ Provinciæ administratione haud spernendis viribus agebat*. Mortuus est Galba 16. Ianuarij æræ Christianæ 69. unde clarum fit, ante Africæ conversionem ad fidem tres Provincias factas sub Galbâ, quam dispositionis formam, ut rectè de Marca, posteriores quoque principes secuti sunt usque ad tempora, quibus ordinatæ sunt totius orbis Romani Provinciæ.

3. Quandonam autem Provinciarum ordinatio facta sit in Imperio, meritò queri potest: & si quidem Onuphrio credamus, Hadrianus primus post Augustum novam reipub. formam fecit, quod brevissimè
Aur. Victor. his verbis Sextus Aurelius Victor tetigit: *Officia sanè publica, & palatina, nec non militiæ, in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant*. Ex quo loco concludit Onuphrius, eamdem in Africâ Provinciarum divisionem factam ab Hadriano, qui anno 138. occubuit, quam Sextus Rufus in breviario exhibuit, ex quo potissimum Onuphrius notitiam Provinciarum Imperij sub Hadriano Imperatore factam delibavit. In ea Africæ attri-
Notit. Imper sub. Hadr. buuntur Sex Provinciæ: *Provincia Africa, cuius Metropolis est Carthago Proconsularis, Provincia Numidia Consularis, Provincia Byzacium Consularis, Provincia Tripolitana præsidialis, Provincia Mauritania Sitifensis præsidialis, Provincia Mauritania Cæsariensis præsidialis*.

4. Verum pace Onuphrij dixerim, cum Sextus Rufus tempore Valen-

Valentiniani Augusti floruerit sæculo quarto, malè notitia Imperij sub Hadriano Imperatore ex Sexti Rufi breviario hauritur: cum enim Aurelio Victore testante, pauca quædam in Provinciarum partititione immutata sint per Constantinum magnum ante tempora Rufi, Africæ in primis Provincias mutatas fuisse existimem, & aliter à Constantino magno, quam ab Hadriano divisas: enim verò ipse Appianus Alexandrinus ab Onuphrio allatus in proemio suorum librorum de bellis civilibus ita scribit: *Romanam Historiam scribere instituens, necessarium mihi in primis existimavi terminos ponere, quibus nationibus imperent Romani: ab Herculis igitur Columnis in id mare, quod ad illas demum circumque navigatur, insulæ, littora, populi omnes Romano parent imperio: horum primi in dextra Maurusij quicumque circa mare, omnisque altera Libycorum natio usque ad Carthaginem: his superiores Nomadæ, quos Romani Numidas appellant, & regionem numidiam.* Hæc Appianus Alexandrinus, qui sub Hadriano scripsit, ac trium nominatim regionum aut Provinciarum meminit, quorum prima erat Maurusiorum, altera Libycorum nationis seu Africæ proconsularis, in quâ Carthago, & tertia dicebatur Numidia: nec plures Provincias aut regiones circà maris mediterranei oras in Africâ refert Plinius suprà, nec plures in libro suo Geographico Pomponius Mela, quamvis quatuor Africæ partes distinguat: *Mauritaniam, Numidiam, Africam minorem, & Cyrenaicam.* Si enim ultimam excipias Ægypto contributam, tres omninò restabunt Provinciæ, Mauritania, Numidia, & Africa propriè dicta, quæ non minus in Ecclesiâ obtinebant, quam imperio teste præfatione universalis Concilij totius Africanæ Diœceseos anno 258. sub Divo Cypriano Carthaginiensi Episcopo, ubi: *cum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex Provinciâ Africanâ, Numidiâ, Mauritaniâ cum presbyteris & diaconibus*, quas easdem Provincias designat quoque Cyprianus Epistolâ 45. *Latius*, inquit, *fusa est nostra Provincia* (Africana scilicet sive Carthaginiensis) *habet etiam Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærentes*, id est Tingitanam & Cæsariensem sub Galbâ in unam Provinciam redactas: neque ex aliis quàm ex tribus hisce Provinciis Episcopi memorantur adfuisse primo Arelatensi Concilio.

Appian. Alex.

Pomp. Mela.

Synod. Afric.

Cyprianus.

5. Et ex hisce refellitur non solum, quod dixit Onuphrius de Africâ per Hadrianum in Sex Provincias divisâ; sed etiam deviasse Convincitur Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis, qui in Geographiâ sacrâ existimat, Africanam Ecclesiam primis sæculis sub unicâ Metro-

poli Carthaginiensi perseverasse, idque usque ad tempora celebrati Circà medium sæculi quarti Carthaginiensis sub Grato Concilij, ductus ex eo fundamento, quod in Synodi illius proemio habeatur: *Episcopos ex diversis Provinciis Africanis* convenisse: & postea addatur: „ eos *in universa Provincia Africa Concilium* convenisse. „ per Provincias enim, inquit Abbas Fuliensis, intelliguntur civiles, per universæ Provinciæ Africæ unica Africanæ Ecclesiæ Provincia. „ Verum error est, qui vitio amanuensium irrepsit in textum: loco enim to, *Concilium*, legitur in M.S. Codice Pithœi aliorumque, *Concilij Gratiâ*: Sicque Synodus illa à Luca Holstenio correctior ad vetustum exemplar vaticanum edita, sic habet in præfatione: *Ex Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per universas Provincias Concilia Celebraremus, & universa Provincia Africa hodierno die Concilij Gratiâ ad Carthaginem venirent.* Ex quibus colligitur, hæc verba: *& universa Provincia Africa*, non significare unicam Africæ Provinciam, sed plures, ex quibus Episcopi in unum convenerant sub Grato Carthaginiensi Episcopo.

Syn. Carth. sub Grato. Abbas Fuliens. Syn. Cartha.

6. Quotnam vero fuerint primis Ecclesiæ sæculis ante Synodum Nicænam, certius statui non potest quam ex formâ Imperij, quam religionis nostræ fundatores & Apostoli imitati sunt in Ecclesiâ, ut satis superque probatum est primâ parte antiquitatis nostræ illustratæ. Unde cum Galba Africæ regiones sæculo primo in tres Provincias redegerit, idque ipsum sæculo 2. quo religio Christiana ad Africam venit, firmum permanserit, constat profectò in illis ante tempora Nicæni Concilij tres Metropoles fuisse per Ecclesiam Africæ, quibus Primates suos præfectos fuisse arbitramur, ducti testimoniis Augustini, & Optati, qui Secundum Tigisitanum vocarunt *Numidiæ Primatem*, & testimonio D. Cypriani, qui tres provincias enumeravit Proconsularem, Numidiam, & Mauritanias: duravit verò hæc Africanæ Ecclesiæ distributio usque ad tempora Constantini Imperatoris, sub quo, cum teste Aurelio Victore alia Provinciarum forma facta sit, Africa in Sex Provincias divisa fuit, cuius rei frequens mentio apud prophanæ & Ecclesiasticæ historiæ scriptores: fidem facit antiqua inscriptio tunc posita L. Aradio Valerio Proculo: *Proconsuli Africæ vice sacra judicandi, eidemque judicio sacro per Provincias Proconsularem, & Numidiam, Byzacium ac Tripolim, itemque Mauritaniam Sitifensem & Cæsariensem perfuncto officio Præfecto prætorio.* Accedit Constantini Magni testimonium in epistolâ ad Ablavium, ubi mandat, ut ex parte

Antiqua inscriptio.

parte Cæciliani & Donati ad Synodum Arelatensem se conferrent Episcopi, non solum Provinciæ Proconsularis, sed & *Byzacena, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum.* Consonat Sextus Rufus in breviario ad Valentinianum Imperat. *Per omnem Africam sex Provincia facta, ipsa, ubi Carthago est, Proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis, & dua Mauritania, hoc est Sitifensis & Cæsariensis.* Ipsa demum notitia Imperij ultra tempora Arcadij & Honorij Imperatorum conscripta: *sub Diœcesi Africa Provincia Sex: Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis, Africa Proconsularis.* Et hæc quidem de Civili Provinciarum distributione in Africâ. Constant. M. Sext. Rufus. Notitia Imperij.

7. Quoad Ecclesiasticam Provinciarum distributionem tuetur D. de Marca post Nicænum, quinque tantum numeratas fuisse in Africâ, Carthaginiensem nimirum, Numidicam, Mauritanicam, Byzacenam, & Tripolitanam, ex quibus quinque constabat Concilium Carthaginiense sub Grato habitum anno 349. & quæ solum enumeratæ inveniuntur apud Augustinum explanatione in psalm. 36. ubi refertur inscriptio facta *Collegis per universam Africam. Hoc est, per Provinciam Proconsularem, Numidicam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolim constitutis.* Nec Sextam Provinciam emersisse Mauritaniam scilicet Sitifensem, nisi diu postea, referente Ferrando Carthaginiensi Diacono in Bræviatione Canonum titulo 82. in aliquo Carthaginiensi Concilio Decretum, *ut Primatum Proprium Mauritania Sitifensis habeat.* Unde & in Concilio Carthaginiensi 6. anno 419. mentio facta reperitur *Provincia proconsularis, Numidiarum duarum, Byzacena, Mauritania Sitifensis, & Mauritania Cæsariensis, sed & Tripolis.* Ne verò quisquam cum recentioribus erret ad verbum *Numidiarum duarum,* notandum omninò, quod apud Dionysium Exiguum non legatur, Mauritaniæ Sitifensis, quæ Provinciâ à sciolo aliquo addita fuit ignorante, Mauritaniam Sitifensem sub unâ Numidiarum comprehensam fuisse, quod Sitifensis Mauritania à Numidiâ avulsa Sexta Ecclesiastica Provincia sub Primate Carthaginiensi facta esset: res, quæ benè notanda venit, ut Provinciarum confusio evitetur, quam Scholiastes Græcus ex codice Amerbachiano per Beveregium in notis ad laudata Concilij Carthaginiensis sexti verba relatus hisce verbis introducit: *Sciendum est, quod octo sunt partes Africa, prima quidem est, quam Alexandria & Pentapolis Libya & desertum Tripolitanum dictum complent, Secunda est Byzacena, Tertia Carthaginiensis, qua etiam Proconsularis* Synod. Donat. Ferrandus. Syn. Carth. 6 Schol. Grecus.

 ris

ris dicitur. Deinde Numidia duæ vetus & nova; postea Mauritania tres, Cæsarensia, quæ & Cæsariana dicitur, à Metropoli ipsius nomine Cæsarea, Sitifensia, cuius Metropolis est Sitifensa; & Tingitana, quæ Metropolim habet Tingin. Ad quæ ipse Beveregius in notis ad Carthaginiense Concilium: „ Sic etiam Numidia posteà in duas Provincias „ divisa est, παλαιάν τε ϰαὶ νεάν, ut cum Scholiaste suprà laudato „ Mattheus Blastares, Balzamon, Zonaras, alijque asserunt, quin „ etiam Mauritaniam in tres Provincias posteà divisam esse, Cæsariensem, Sitifensem, & Tingitanam, Geographi testantur. „

Beveregius.

8. Verum error est, quem jam notavimus in omnium recentiorum scripta irrepsisse: Tingitana Provincia Imperij tempore ad Hispaniæ administrationem spectabat, Mauritania Sitifensis eadem est cum unâ Numidiarum, ideoque Numidia quondam vocata, quod, ut diximus, Mauritania Sitifensis à Numidiâ fuerit avulsa. Neque id cum Iustello & Beveregio probamus ex libro 2. De bello Vandalico Procopij Cæsariensis, qui dum c. 20. de Maurusiis scribit, è Numidiâ superatos petiisse Zeben regionem ad Mauritaniam, quæ Sitifim Metropolim habet, pertinentem cum alterius Mauritaniæ caput Cæsarea sit, Nullatenus locutus est de Mauritaniæ divisione, uti loquuntur Patres Africani in Codice, canone 17. petentibus Sitifensis Provinciæ Episcopis *Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cuius cætu separatur.* Idem habes in codice apud Dionysium Exiguum, & apud collectores Græcos, è quibus Aristenus notat, si Canon statutus non fuisset de dando Mauritaniæ Sitifensi Primate proprio, eiusdem Provinciæ Episcopos *Numidicæ regionis Primatem* respicere debuisse.

Cod. Afric. Ecclef.

C A P V T I V.

De Primatibus Provinciarum Africæ.

1. *Vbi cæteræ per orbem regiones Catholicæ habebant in Provinciis Metropolitanos, ibi Africanæ Provinciæ unicâ Proconsulari exceptâ, habebant Primates extrà Metropoles civiles in illis civitatibus, ubi erant seniores Episcopi.*
2. *Confirmatur hæc veritas ex Contentione Victorinum inter & Xantippum motâ, uti & ex aliis quam plurimis factis & testimoniis.*
3. *Rationem huius petit Carolus à S. Paulo ex eo, quod Primates ad medium*

dium

dium quarti sæculi instituti sint tanquam Vicarij Carthaginiensis Episcopi, quem unicum ad illa tempora Primatem fuisse existimat, sed erroneè, cum diu anteà Primates fuerint in Provinciis Africæ.

4. *Ante Constantinum tres Primates fuisse in tribus Africæ Provinciis verbo indicatur, Constantini tempore in Sex Provinciis Sex Primates constitui jussit Nicænum Concilium.*

5. *Omnes tamen statim constitutos fuisse verosimile non videtur, cum de Mauritaniâ Sitifensi constet, serius Primatem suscepisse.*

6. *Corrigitur de Marca circà tempus institutionis Primatis Sitifensis, cuius Provincia ex Numidiâ separata, unde & Numidia altera vocata est.*

1. CUm Primates Africæ in Provinciis constitutos diximus, unum, idque speciale de Ecclesiâ Africanâ annotandum est, in Provinciis Africanis urbes Metropolitanas non habuisse Metropolitanos Ecclesiarum, ut habebant cæteræ per orbem Metropoles, sed urbes illas Primates habuisse, quæ habebant seniorem in Provinciâ Episcopum. Notarunt hoc antè nos Philippus Labbeus, Parisiensis Archiepiscopus de Marca, Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis, Iacobus Sirmondus, & ante hos omnes Leo 9. Pontifex Maximus Epistolâ 4. ad Petrum & Ioannem Episcopos: *De Africa*, inquit, *Primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis eius Provinciis antiquitus Primates instituebantur non secundum potentiam alicuius civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis.* Unde licet in Africâ Metropoles civiles fuerint Carthago in Provinciâ Proconsulari, Cirtha aliàs Constantia in Provinciâ Numidiæ, Cæsarea in Mauritaniâ Cæsariensi, Sitifi in Mauritaniâ Sitifensi, Tingi in Mauritaniâ Tingitanâ, Telepte in Byzacio, & Tripolis seu Leptis Maior in Provinciâ Tripolitanâ: non fuerunt tamen in illis civitatibus Primates, nisi contingeret earum Episcopos Seniores esse totius Provinciæ. Leo. I.

2. Præclarum habemus huius instituti exemplum ex Concilio vulgò Africano, quod refert can. 53. Metropolim civilem à primâ sede fuisse distinctam: *placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut Matricula & Archivus Numidiæ, & apud primam sedem sit, & in Metropoli, id est Constantinâ.* Quia igitur, dum prima sedes nunc apud hanc nunc apud illam urbem esset, Archivum Provinciæ vix conservari poterat, constitutum fuit, ut in Metropoli civili etiam servaretur. S. Augustinus quoque Hipponensis in Africâ Can. Africa.

 Episcopus

Episcopus interrogatus à Victorino & Xantippo de Primatu contendentibus, reponit in epist. ad Victorinum, eos debere convocari, *qui* Augustinus. *Episcopatus Ætate vicini sunt, qui facile, quis vestrum verum dicat, agnoscant.* Si verò Metropolis civilis Numidiæ Constantina, fuisset Metropolis Ecclesiastica, quomodo hi duarum civitatum Africæ Episcopi litigassent de Primatu? Profectò rescribere debuisset Augustinus, Constantiniensem esse Metropolitam: at hoc non scripsit, sed seniores Episcopos ipsis ætate vicinos convocari jubet, quod ex ætate penderet Primatus Provinciæ. 3. Quod Talabrica vel potius Tabraca in Concilio 4. Carthaginiensi, Tagosa in Synodo Africanâ, Casæ nigræ in collatione Carthaginiensi, Calama apud Possidium in vitâ Augustini primæ sedes vocentur, quas civitates numquam Metropoles fuisse constat. Demum ut hoc manifestius pateat, ex Provinciâ Numidiæ Secundus Tigisitanus Cirtensi Concilio ut Primas, teste Augustino lib. 5. contrà Cresconium, præsedit: Megalius Calamensis Episcopus, teste Possidio, tunc Primas Numidiæ erat, cum Augustinus à Valerio cooptatus est in Episcopum: demum Xantippi Tagonensis crebra mentio fit in Conciliis, tanquam Numidiæ Primatis. Et cum hi variarum civitatum Numidiæ Primates extiterunt, sola Cirtha aut Constantina fuit Metropolis civilis in Numidiâ, ut post hæc indubitata sit Sirmondi, Labbei, Abbatis Fuliensis, aliorumque peritorum sententia, Primatis sedem in Africâ non fuisse annexam Metropoli civili, nisi in unicâ Proconsulari Provinciâ, ubi dignitas Metropolitana annexa erat Sedi Carthaginiensi.

3. Querit Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis in Geographiâ sacrâ, quid in causâ esse potuerit, quod Africana Ecclesia non habuerit Metropolitanos in Provinciis, sed Primates dumtaxat Episcopos? ac respondet, unicum Carthaginiensem in Africâ Metropolitanum usque post tempora Grati, qui ad medium quarti sæculi floruit, perseverasse. Posteà Africam in plures Ecclesiasticas Provincias divisam fuisse, id- Abbas Fuliens. „ que ea lege, „ ut singulis Provinciis singuli tantum seniores Episcopi aliis præessent, quasi Vicarij Carthaginiensis Episcopi, nullis aliis Metropolitanis institutis. Non enim aucto numero Provinciarum auctus est numerus Metropoleon Ecclesiasticarum, & Metropolitanorum, ut de aliis regionibus legitur: sed ea mansit authoritas Episcopi Carthaginiensis, ut cunctarum Ecclesiarum sollicitudinem sustineret. „ Plura dicit Abbas Fuliensis, quæ ad trutinam revocata à veritate deviant: Scribit Episcopum Carthaginiensem

sem fuisse unicum in Africâ Metropolitanum usque ad tempora Grati, cum ante Concilium Nicænum circâ finem tertij sæculi Secundus Tigisitanus Episcopus fuerit Numidiæ Primas, ita testantibus D. Augustino Hipponensi, & S. Optato Milevitano Episcopis: Optato quidem libro 3. de Numidis, *Qui venientes cum Primate suo tunc Secundo Tigisitano*: & lib. 1. in Concilio Cirthensi, ipsum præfuisse hisce verbis testante: *Hi Episcopi interrogante Secundo Tigisitano tradidisse confessi sunt.* Ad quæ verba Gabriel Albaspineus: *qui tunc temporis erat Numidiæ Primas.* Idem planè testatur D. Augustinus, cum in breviculo Secundum Tigisitanum vocat *Episcopum primæ Cathedræ.* Refert ibidem querelas Donatistarum, qui Cæcilianum non exspectasse objiciebant, *ut Princeps à Principe ordinaretur*, cui aliud non reponit Augustinus, quam quod aliter habeat Ecclesiæ consuetudo, *ut non Numidiæ, sed Propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent.* Ita in breviculo collat. 3. diei, cui adstipulantur acta Synodi 3. Carthaginiensis ann. 256. sub Cypriano celebratæ, cum hocce exordio: *cum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex Provincia Africâ, Numidiâ, Mauritaniâ, cum presbyteris & Diaconibus. Et lecta essent litteræ Iubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianum.* Ioannes Zonaras auctor Græcus loco *Iubaiani* legit *Ioviani*, & adfert rescriptum Cypriani, πρὸς τὸν Ιοβιανὸν καὶ ἐκείνου συνεπισκόπους, *ad Iovianum eiusque Episcopos*, Pamelius verò & Rigaltius Epist. 70. legunt Ianuarium; unde quis facile suspicari poterit cum eodem Pamelio in notis, *hunc Ianuarium fuisse Primatem Numidiæ.* Consonat apud Zonaram huius epistolæ inscriptio, quæ dum in latinâ illius editione habet: *ad Ianuarium & cæteros Episcopos Numidas*, inscribitur in Græcâ hocce modo: *Cyprianus Liberalis Caldonius, Iunius &c. Ianuario Saturnino, Maximo, Victori, &c.* Quâ ex inscriptione habemus, Ianuarium inter Numidiæ Episcopos primum fuisse nominatum, quod non raro indicat Primatum, quem Ianuarius sicut senior Episcopus inter Numidas Coepiscopos obtinebat: unde & à Cypriano primus nominari meruit, & in Concilio Carthaginiensi litteræ Synodicæ Jubaiani, aut potius Ianuarij nomine scriptæ sunt, quod ultimum non leve primatus indicium est.

S. Optatus. Augustin. Donatistæ. Augustin. Acta Concil. Carthag. sub Cypriano. Zonaras. Pamelius in notis ad epistol. 70.

4. Erant itaque ante Nicæni Concilij tempora plures Primates, tot nimirum, quot numerabat Africana Ecclesia Provincias, quas cum tres in civili distributione enumerant post Galbam Imperatorem Historici

ſtorici prophani, etiam tres numerarunt Scriptores Eccleſiaſtici, quorum unus omnium vice atteſtatur Cyprianus epiſt.45. ad Cornelium Papam. *Quoniam latius fuſa eſt Provincia noſtra, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes.* Provincia Proconſularis primò fidem receperat miſſo ad Carthaginem viro Apoſtolico, qui Evangelium prædicaret: cumque Carthago primum à Romano Pontifice Epiſcopum meruiſſet, paulatim religio ſeſe per alias Provincias diffudit, quas cum duas tunc numerabat Imperium, etiam duos Primates obtinuit, cæteris non niſi poſt partitum in Provincias Imperium Primates accipientibus, quod poſt tempora Nicæni Concilij factum putamus, ſtatuente canone 4. *Vt firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Adfuit illi Concilio Cæcilianus Carthaginienſis Epiſcopus: & hoc decreto Nicænum Concilium juxta formam civilis Imperij Provincias Eccleſiaſticas admiſit, ad quas per Cæcilianum Statuta ſua direxit, Scribente Gelaſio Cyziceno libro 2. Hiſtoriæ cap.27. *Cæcilianus Carthaginienſis Sanctis Dei Eccleſiis in Provinciis Africa Numidia, atque Mauritania utriuſque*, Cæſarienſis nimirum, & Tingitanæ Hiſpaniæ Tributæ.

Cyprian.

Can.4.Nic.

Gelaſius Cyzicen.]

5. Nec refert quod tres tantum Africanæ Provinciæ numerentur, quia tres tantum Primates ante Nicænum Concilium numeraverat Africana Eccleſia, cæteris ex Nicæno decreto primatibus ſuis Donandis, quod an ſtatim poſt Cæciliani reditum fieri potuerit, meritò dubitatur, cum potius ex turbato per Donatiſtas Eccleſiæ Africanæ ſtatu id factum credatur, quod diu in Mauritaniâ Sitifenſi obtinuit, ut ſicut illa ſine Primate ſeniorem habuit præſidentem Epiſcopum, ità ſeniores Epiſcopi aliquamdiu in Tripolitanâ & Byzacena, præſederint, donec Catholici quietius tempus nacti in unum convenire potuerint, & de Dignitate Metropolitanâ plenius tractare: quod & ante Genethlij tempora ſub Grato factum exiſtimem dato ſingulis Provinciis ſuo Primate, quarum una Mauritania Sitifenſis ſerius Primatem recepit, id petentibus eius Provinciæ Epiſcopis, de quo canon. 17. Codicis Africani: *placuit ut Mauritania Sitifenſis, ut poſtulavit, Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cuius cætu ſeparatur: ut ſuum habeat Primatem: quem conſentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis propter longinquitatem habere permiſſa eſt.* Canonem hunc Concilio Carthaginienſi ſexto, quod anno 419. celebratum eſt, attribuunt collectores Canonum Africanorum: ſed errorem eſſe ſuo loco monſtrabitur, & vel ex eo refellitur, quod Concilio Milevitano primo

Canon. 17. Codic.

primo anno 402. interfuerit *Nicetius Episcopus primæ Sedis Mauritaniæ Sitifensis*, ut docent acta. Acta Milev. 1

6. Putat Parisiensium Archiepiscopus de Marca, à tempore Concilij Carthaginiensis 3. Provinciam Mauritaniæ Sitifensis suum habuisse Primatem: sed pace viri eruditi dixerim, id nequaquam subsistere potest cum actis illius Concilij, inter quæ canone 2. statutum legimus: *singulis quibusque annis Concilium convocetur, ad quod Provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis ternos legatos mittant.* Quibus verbis testatum fatetur de Marca, *aliquas tunc fuisse Provincias, apud quas nulli essent Primates.* Cum autem sex tantum Provinciæ in Africâ numeratæ sunt ante Wandalorum invasionem, ita testante Valentiniani temporibus Sexto Rufo, & Arcadij ac Honorij temporibus auctore notitiæ Imperij, de quanam, quæso, locutum fuisset Concilium Carthaginiense tertium, quam de Provinciâ Sitifensi? forsan de Tingitanâ? Aiunt aliqui, at Tingitana ad Hispaniam pertinebat, ut testis est Sextus Rufus in breviario. Quid ergo? de Numidiâ alterâ, quæ à græco scholiaste & Beveregio nova dicitur? at illam à Sitifensi distinctam non fuisse, docetur omnium veterum auctoritate, qui sex dumtaxat Provincias in Africâ enumerant, quod etiam confirmat exorta Victorinum inter & Xantippum controversia. Putat eminentissimus Cardinalis Baronius ad an. 402. Numidiam in duas Provincias fuisse divisam, ob idque altercationem obortam inter laudatos Episcopos de Primatu contendentes. Verum longè alia fuit altercationis ratio, ut suprà vidimus. De Primatu Consularis Numidiæ contendebant ambo Episcopi ex ordinationis ætate, unde Episcopos ipsis ordinatione contemporales ad Concilium evocari postulat D. Augustinus epist. 217. ad Victorinum, qui ad Numidiæ Concilium etiam evocaverat Mauritaniæ Episcopos, quâ de re Augustinus: *Legi in eâdem tractatoriâ etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas Provincias scimus suos habere Primates.* Mauritania, cuius meminit Augustinus, erat Sitifensis, quæ cum ex Numidiæ Provinciâ distracta erat & in hæc usque tempora Numidiæ Primatem respicere solita, Victorinus Primatum Numidiæ invadens ipsos Mauritaniæ Sitifensis Episcopos ad Concilium evocarat, cui aliud non opponit Augustinus, quam Mauritanias jam *suos habere primates.* Quod utique Mauritania Sitifensis post ann. 397. Noviter Primatem receperat, & anno 402. quo scribebat Augustinus, non amplius ad Numidiam spectaret, à qua quia avulsa erat, Numidiæ nomen aliquamdiu obtinuerat.

Canon. 2. Carthag. 3.

Marca.

D. Augustin.

CAPUT V.

De Primatu Carthaginis, tam in civilibus quam Ecclesiasticis.

1. *Civitatis Carthaginiensis descriptio ex Orosio, eius Imperium ex Æmilio Probo, & eius demum interitus ex auctore, qui latet sub nomine Eutropij, exhibentur.*
2. *Civitas à Scipione deleta, Coloniis ex Italiâ missis à Romanis restauratur, & in claritatem Secundæ Carthaginis exurgit Proconsulem obtinens.*
3. *Quem Carthago in imperio, eum obtinuit Primatum in Ecclesiâ per omnes totius Africæ imperio subiectæ Provincias, cuius veritatis testes ex omni antiquitate adducimus.*
4. *Priorum testimoniis alia addimus, inter quæ Duorum Pontificum testimonia comparent.*

1. SI superiori capite egimus de Provinciarum Primatibus, qui ultrà Proconsularem regebant, non abs re futurum arbitror, si nunc ipsius Proconsularis Provinciæ Primatum, qui toti Africanæ Ecclesiæ præeminebat, inquiramus, quod tunc perfacilè innotescet, cum Metropolis principatum exhibuerimus. Ut autem id clarius fiat, audiendus est Tertullianus, qui concives suos vocavit: *Vetustate nobiles*, & *novitate felices.* Nobiles vetustate civitatis, quæ, ut Iustinus in Pompei historiarum compendio, *condita est septuaginta duobus annis antequam Roma:* addunt veteres ferè omnes, à Didone, Cuius mentionem facit in Æneidis Virgilius, fuisse extructam. Situm eius describit Orosius libro 4. Histor. cap.22. *Viginti millia passuum muro amplexa, tota panè mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum triginta pedes latum habuit, saxo quadrato, in altitudinem cubitorum quadraginta. Arx, cui Byrsa nomen erat, paulo amplius quam duo millia passuum tenebat. Ex unâ parte murus communis erat urbis & Byrsæ imminens mari.* Ex qua urbis amplitudine, & situ maritimæ civitatis non malè Herodianus lib.7. Carthaginem instar Alexandriæ fuisse, & nemini nisi Romæ multi-

Tertullian. de Pallio.

Trog. Pompeius lib.8. Hist. Philip.

Orosius.

Herodian.

multitudinem habitantium cessisse. Tantæ olim potentiæ fuisse tradunt Polibius & Strabo, ut totâ Africâ cultiore potiretur, & post extructam orbis Dominam sese æmulam & invisam semper Romano nomini urbem præbuerit. Addit Æmilius Probus in Hannibale, si Roma binos Consules, Carthaginem annuatim binos creasse reges, quorum ultimos Hasdrubales fuisse duos, memoriæ prodidit auctor sub Eutropij nomine latens libro 4. Historiarum, ubi in Tertio bello punico refert, quod in Scipione Africano testatur Plinius 2. *Carthaginem infrà sex menses delevit: cum*, inquit, *sex continuis Diebus noctibusque pugnaret, ultima Carthaginienses desperatio ad deditionem traxit, petentes, ut quos belli clades reliquos fecit, saltem servire liceret. Primum igitur agmen mulierum satis miserabile, post virorum magis deforme descendit. Nam fuisse mulierum triginta quinque millium, virorum trigintà millium, memoriæ traditum est. Rex Hasdrubal se ultro dedidit, suam tantum salutem obtinuit. Transfugæ, qui Æsculapij templum occupaverunt, voluntario præcipitio dati igne consumpti sunt. Quosquos habere potuit Rom. Transfugas, Scipio crucibus affixit. Latinos securi percussit. Vxor Hasdrubalis, cum ardentem Carthaginem aspexisset, occurit viro suo una cum duobus liberis, eique dixit: vive tu, qui superstes esse Carthaginis potius es: nam frustrà pro nobis rogasti. Et tum cum volentibus filiis virili dolore, furore femineo in medium se jecit incendium, eumdem nunc mortis exitum faciens novissima regina Carthaginis, quæ quondam prima* (Dido nimirum) *fecisset. Ipsa autem civitas XVII. continuis diebus arsit, miserumque spectaculum de varietate conditionis humanæ victoribus suis præbuit. Diruta est autem Carthago omni murali lapide in pulverem comminuto.* Hæc Eutropius de excidio Carthaginiensi, quod Livio teste contigit: *Septingentesimo Septuagesimo anno, quam erat condita:* vel teste Solino cap.27. *anno* 737. *quam fuerat constituta:* vel Orosio testante: *Septingentesimo post anno:* vel teste Velleio Paterculo: *Carthago diruta est, cum stetisset annis sexcentis sexaginta septem, abhinc annos centum septuaginta septem, Cneo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio Consulibus. Hunc finem habuit Romani Imperij Carthago æmula.*

Æmilius Prob. — Eutropius. — Plinius. 2. in Scipione. — Eutropius in 3. Punico Bello. — Tit.Livius. — Solinus. — Orosius. — Vell. Patercul.l.1.c.12.

2. Verum si Carthaginienses sub ruderibus suæ civitatis audivimus vetustate nobiles, æquum est in restauratâ urbe ostendere novitate felices. Velleius Paterculus scriptor perantiquus, qui circà Christi tempora sub Tiberio floruit, lib. 1. historiarum cap. 15. ante annos fermè centum quinquaginta octo accidisse testatur, ut *Carthago in* Vell. Paterc.

Africâ prima extrà Italiam Colonia Condita sit. Qui locus, si cum priore ponatur, efficiet, 19. annis post excidium reædificatam à Romanis Carthaginem. Caium Gracchum huius authorem facit Livius in epitome libri 60. *in solo diruta Carthaginis, quo ipse triumvir creatus, Coloniam deduxit*. consonat C. Iulius Solinus cap. 30. Polyhistoris: *deinde à C. Gracco Colonis Italicis data, & Iunonia ab eo dicta, aliquantisper ignobilis, humili & languido statu: demum in claritatem secunda Carthaginis, interiectis 102. annis M. Antonio & P. Dolabellâ Consulibus enituit, alterum post urbem Romam terrarum decus.* Idem Pomponius Mela cum scribit, clariorem emersisse *tam priorum excidio rerum, quam ope præsentium.* Et Orosius lib. 5. cap. 12. *anno ab urbe conditâ 627. Q. Cæcilio Metello & T. Quinctio flamino Coss. Carthago in Africâ restitui jussa, vigesimo & secundo demum anno, quam fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis, quæ eam incolerent, restituta & repleta est.* Unde Strabo lib. 17. de Carthagine. *Hodiè quidem ita à civibus frequentatur, ut urbs Africa nulla melius.* Et sic intelliges, quid Plinius 2. & Ptolomeus sibi voluerint dicentes, Carthaginem restauratam Romanorum factam fuisse Coloniam. Quod si Romani Carthaginem inhabitarunt Africæ quondam Principatum tenentem, novitate suâ felices oportuit viros Carthaginienses, & magistratum Africæ Principem recipere decuit, uti & recepisse Tertullianus graviori testimonio asserere nequivit, quam dum libro de Pallio concives suos allocuturus, *Principes*, inquit, *semper Africa viri Carthaginienses.* Ante divisionem Provinciarum factam in Imperio, notum est, Carthaginem meruisse Proconsulem, cum Tertulliano in Apologetico adversus gentes teste: *infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad Proconsulatum Tiberij*: & ex actis Martyrij D. Cypriani, quorum meminit ipse Pontius Cypriani Diaconus, constet eum comprehensum *Sedente Paterno Proconsule in civitate*: & ex ipso Pontio in vitâ Cypriani, ubi mentio *Sedentis in tribunali Proconsulis.* Ut certum sit, Carthaginem antiquitus habuisse Proconsulem, unde tota Provincia Africæ propriè dictæ Proconsularis vocata fuit, ut ex notitiâ Imperij Arcadij & Honorij temporibus conscriptâ rectè observat Dominus de Marca.

Tit. Livius. C. Solinus. Pomp. Mela. Orosius. Strabo. Tertullian. Acta Passionis D. Cypriani.

3. Hisce autem præmissis, difficile non erit ostendere Primatum Carthaginiensis Ecclesiæ in Africâ: cum enim ex Apostolico instituto Ecclesiæ regimen ordinari quodammodo æquum erat ad formam Imperij, idque successu temporum in Ecclesiâ obtinuerit; æquum quoque fuit, Africæ totius Metropolim obtinuisse sedem totius Africæ Metropo-

Metropolitanam, ut factum esse, plures confirmant: Procopius Cæsariensis locuturus de Ædificiis tam Ecclesiastico usui, quam sæculari à Justiniano Imperatore in Africâ constructis, scribit libr.6. cap.5. *Ducendum autem initium à Carthagine Vrbium, quæ in illis sunt partibus, maximâ & Nobilissimâ.* Salvianus Presbyter Massiliensis libr.7. de providentiâ vocat Carthaginem Urbem *in Africano orbe quasi Romam.* Marius Mercator D. Augustino æqualis in commonitorio nominat *Carthaginem Africæ totius Metropolim.* Et ne civitatis potius quam Episcopatus Carthaginiensis Primatum edocere viderer, in Synodo Africanâ anno 525. edixit Bonifacius Carthaginiensis Episcopus: *Ecclesia Carthaginiensis, quæ est omnium in Africanis Regionibus prima.* Et magnus quondam Hipponensis Episcopus Augustinus de unico Baptismo contrà Petilianum, cap.14. perpendens Carthaginiensem sub Cypriano Ecclesiam, eam cum Romanâ eminentissimam scribere non dubitavit: *duo erant eminentissimarum Ecclesiarum Romanæ scilicet & Carthaginiensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus.* Et sub Ceciliano ex Successoribus Cypriani à Donatistis impetito, testari non omisit epist.162. *erat Carthago civitas ampla & Illustris, unde se per totum Africæ Corpus malum, quod ibi esset exortum, tanquam à vertice effunderet. Erat etiam transmarinis vicina regionibus, & famâ celeberrimâ nobilis, unde non mediocris utique authoritatis habebat Episcopum.*

Procopius. Salvianus. Marius Mercator. Bonifacius. Augustinus. Idem.epist. 162.

4. Auctoritatem illam tempore Augustini coram universâ Africanorum Præsulum Synodo professus fuit Aurelius Carthaginiensis, *Ego enim cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei, ut scitis fratres, sollicitudinem sustineo.* Ita habes in Codice Africanæ Ecclesiæ can.55. indeque Martinus Papa primus ann.649. in Concilio Lateranensi secretario 2. inter omnes Africanarum Ecclesiarum Synodicas, Victoris Carthaginiensis legendam duxit, *Maximè*, inquit, *propter dignitatem sedis eius.* & Leo 9. epistolâ 3. ad Thomam Africanum Episcopum Kalendas Ianuarij, ann.1054. conscriptâ: *primus Archiepiscopus & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus.* Idem repetit epistolâ 4. ad Petrum & Ioannem Africæ Episcopos, & addit: *Nec pro aliquo Episcopo in totâ Africâ potest perdere privilegium semel susceptum à Sanctâ Romanâ & Apostolicâ sede, sed obtinebit illud usque in finem sæculi, & donec in eâ invocabitur nomen Domini nostri IESV Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex Concilio Beati Martyris Cypriani, hoc ex Synodis Aurelij, hoc ex*

Aur.Carthaginiensis. Martinus 1. Leo 9. Idem ep.3.

omnibus Africanis Conciliis, hoc, quod maius est, ex venerabilium Prædecessorum nostrorum Romanorum Præsulum decretis apertè monstratur.

CAPVT VI.

In quonam consistebat Primatus Carthaginiensis, & num fuerit Autocephalicus?

1. *Primatus nomen ab Imperio in Ecclesia usum translatum quid significet: Præsides Provinciarum in Metropoli constituti erant Primates, unde Metropolitani Primates dicti, qualis in Proconsulari Provinciâ erat Carthaginiensis Episcopus.*
2. *Etiam pluribus Provinciis præpositi dicebantur Primates, ut Lugdunensis in Galliâ, & Toletanus in Hispaniâ: Primatum genus istud ex suppostitiis primorum Pontificum decretalibus in occidentem primò invectum putat Marca: fuisse tamen in Africâ longè anteà, Carthaginiensis Primatus evincit.*
3. *Tertium genus Primatum praerat integræ Diœcesi, de quo exponitur canon Chalcedonensis. Erant hi Primates in oriente vel Exarchi Autocephali, vel Patriarchæ.*
4. *De tertio illo genere Primatum fusius agitur, & eorum auctoritati Carthaginiensis auctoritas non absimilis fuisse videtur. Vtriusque Privilegia enumerantur, & juxtà se invicem posita expenduntur.*
5. *Quia Carthaginiensis primas habuit enumerata per Africæ Provincias Privilegia, hinc Autocephalum id est nulli Patriarchæ subiectum fuisse, contendunt græci Schismatici, contra quos ostenditur, Africam à Romanâ Ecclesiâ fidem & Episcopatum obtinuisse, uti Carthaginem Primatum cum suis privilegiis.*
6. *Variis occasionibus aucta fuerunt Episcoporum Carthaginiensium Privilegia, quæ D. Cyprianus suo tempore propugnare studuit, unde turbida Afrorum ingenia ad Autocephaliam in ferendis de minori & maiori clero judiciis aspirarunt.*
7. *Donatistarum hac de re tentamentum ethnici Imperatoris religioso decreto evertitur, dum Constantinus Magnus nondum ad fidem conversus, causam Cæciliani ad Melchiadis tribunal transmittit.*
8. *Tentata de ordinationibus Episcoporum Autocephalia Siricius Papa speciali*

speciali obstitit decreto, quod Quesnellius suppositium putat, Labbeus vero genuinum.

9. *Quesnellius juxta lectionem Codicis Oxoniensis plura suppositionis argumenta adfert: sed alia lectio vulgata in pluribus M. S. Codicibus reperta, & sensus decreti juxta illam lectionem firmatur.*

10. *Sedem Romanam instituisse Episcopatum per Africam, testis est Innocentius primus, qui eo ipso testimonio Patriarchatum suum super Africam confirmat. Huic testimonio suffragantur alia.*

1. ILlustrissimus Parisiensium Archiepiscopus de Marca, dissertatione ad Concilium Claromontanum acturus de Primatu Lugdunensi, questionem instituit de Primatus notione, & observat, Primates in universum dici eos, qui Principem locum in aliquo collegio obtinent: vel proceres alicuius gentis, quemadmodum apud Ammianum dicuntur *Primates Regionis Alamannorum*, apud Ambrosium *Primates Consistorij:* apud Imperatores demum magistratus municipales dici Primates, qui decurionum ordini præsunt, unde vox ista in Ecclesiasticum usum irrepsit ad significandam eorum Episcoporum prærogativam, qui Provinciæ suæ præsunt. Confirmat hæc ipsa ex can. 2. Concilij Taurinensis, quod habitum est anno 397. ubi: *qui comprobaverit suam civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat.* Quo ex loco habemus, non modo in unaquaque Provinciâ eum dici potuisse Primatem, qui Provinciæ Episcopis præerat, sed & illum olim Provinciæ præfuisse Primatem, qui eam civitatem obtinebat, quæ in laterculo Imperij Metropolis dignitate fruebatur. Id quod convenit cum nono canone Antiocheno, ubi huius instituti ratio petitur ex eo, quod in Metropoli à præsidibus Provinciarum agi solebant conventus iuridici, ad quos conveniebant *omnes, qui negotia videntur habere*, ut loquitur canon. Et juxtà hæc necesse non est probare, Carthaginiensem Episcopum, dici potuisse in Africâ Primatem, quandoquidem constet, illum in Metropoli Provinciæ Proconsularis fuisse Metropolitanum, eiusdemque Provinciæ Episcopis jugiter præfuisse. Nec eâ de re ullus, quod sciam, dubitavit, nec umquam dubitare potuit, scribente Leone nono ex antiquis Ecclesiæ monumentis epistolâ 4. Omnibus Africanis Provinciis *praerat unus scilicet Carthaginiensis Archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest Metropolitanus propter Carthaginem Metropolim totius Africæ.*

Marca. | Canon. 2. Taurinens. | Canon. 9. Antiochen. | Leo 9.

2. Metropolitanum vocat Leo nonus, & rectè propter civitatem Carthagi-

Carthaginiensem, quam non solius Provinciæ Proconsularis, sed & totius Africæ Metropolim nuncupavit. Cuius veritatis rationem ex ea, quam Carthago in Imperio jurisdictionem obtinebat, hauriendam putamus: cum enim Imperium non solum in singulis Provinciis haberet civitates Metropoles, ad quas totius Provinciæ populi, qui causas habebant, confluebant, sed & in singulis Diœcesibus extrà Europam constitutis haberet civitates primarias, quæ eminentiorem judicandi potestatem obtinebant, idem in Ecclesiâ factum arbitramur variis ad id sentiendum adducti argumentis: ac præsertim, quod videamus, per Diœceses Orientis id locum habuisse in primarum civitatum Episcopis, ad quorum formam cum Carthaginiensis Episcopus pluribus Provinciis præfuit totius Africæ Primas Constitutus, hærendum non est in dignitate Metropolitanâ, sed ad altiorem dignitatem ascendendum. Enimverò inter varia Primatum genera extiterunt eminentioris auctoritatis, quorum aliqui non uni sed pluribus præerant Provinciis, ut Primas Lugdunensis in Galliâ à Gregorio septimo in privilegio suo firmatus super quatuor Provincias, de quo idem Pontifex lib. 6.

Gregorius 7. epist. 35. *Lugdunensis Ecclesia Primatum super quatuor Provincias videlicet Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem obtinuisse cognoscitur:* Alij verò integro regno præpositi erant, ut Episcopus Toletanus in Hispaniis, de quo Urbanus 2. in rescripto ad Bernardum Toletanum: *Teque secundum quod eiusdem urbis antiquitus constat extitisse Pontifices, & in totis Hispaniarum regnis Primatem privilegij nostri sanctione statuimus, &c. Primatem te universi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent: salvâ tamen ratione, Ecclesiæ auctoritate, & Metropolitanorum privilegiis singulorum.* Putat quidem Parisiensis Archiepiscopus de Marca, hanc Primatum institutionem ex litteris de-

Urbanus 2.

Marca dissert. ad Concil. Clarom.

„ cretalibus primorum Pontificum ortum ducere, „ post editam, „ inquit, Isidori collectionem invecta est in Occidentem nova Pri„ matũ usurpatio, quæ quidem ex Epistolis veterum Pontificum huic „ compilationi insertis profluxit: „ Attamen negare non potuit ex„ cipiendam esse Africam, „ Etenim, inquit, in occidente si de„ mas Africam, nullus Provinciarum Metropolitanis præfectus erat „ Episcopus, præter Pontificem Romanum. „ Ratio autem excipiendi Africam, fuit Episcopus Carthaginiensis, qui omnibus Africæ Provinciis à primis sæculis præfuit, eaque omnia privilegia habuit, quæ Primatibus posterior ætas in ordinationibus, evocationibus, & judiciis singularum Provinciarum concessit.

3. Fuit

3. Fuit & aliud genus Primatum in Ecclesiâ primitivâ, cuius præsertim meminit Anacletus Papa, *quod in maioribus civitatibus Patriarchas vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ & Ecclesiasticæ poni & esse jusserunt.* Idem Anicetus ad Episcopos Galliæ ab Apostolis statutum & decretum tuetur: & quamvis decretales eorum epistolæ suppositiriæ sint, res tamen ipsa antiqua est, & per sacrum Chalcedonense Concilium firmata can. 9. ubi statuitur: *quod si adversus eiusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.* Et can. 17. *quod si quis à Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est.* Diœcesis ibi nihil aliud est, quam administratio multarum simul Provinciarum, ut Primas Diœceseos ille sit, qui plures Provincias in unum corpus redactas administrat: sic Exarchus Ephesinus, qui præfuit Diœcesi Asianæ, Exarchus Heracleæ, qui præfuit Diœcesi Thraciæ, & Exarchus Cæsareæ Cappadociæ, qui præfuit Diœcesi Ponti, de quibus planè intelligendus est canon Chalcedonensis, cum meminit Primatis Diœceseos: Addit quidem sedem regiæ urbis, quod illa tunc temporis contenderet de Primatu in tres illas Diœceses, quem Patriarchatum subsequens ætas vocavit, unde non incongruè per Primatem etiam Patriarchas intellexisse Concilium tuetur eruditus Lupus cum aliis, ut sensus sit: cum Metropolitanis præsint Exarchi tres, & Patriarchæ Duo per omnem Orientem tanquam Diœceseos Primates, & à Metropolitanis provocare liceat ad Primates, privilegium illud etiam concedi novæ Romæ Episcopo, ut ab ijs Metropolitanis, quorum Primatum prætendebat, hoc est Asianis, Ponticis, & Thracicis, ad ipsum provocare liceret. Eos autem Primates, quos Oriens tempore Concilij Chalcedonensis quinque numerabat, scribit Hincmarus Remensis cap. 17. opusculi, fuisse Autocephalos, utpote qui *& convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Provincialibus Coepiscopis sine cuiusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Provincias queunt.*

Anacletus.

Can. 9. Chalcedon.

can. 17. ibid.

Hincmarus Remensis.

4. Et de hoc primatum genere queri posset, cum de Carthaginiensi agitur: enimverò si inter præcipua Patriarcharum privilegia numeretur, toti Diœcesi esse præfectum, & curam gerere plurium Provinciarum in unum corpus redactarum: Carthaginiensis Episcopus hoc ipsum habuit, qui toti Africæ Diœcesi præpositus fuit. Si Patriar-

cha aut Primas Synodos totius Diœcesis convocare poterat, ut Ephesinus Asiæ, Cæsareensis Ponti Episcopos: non minus totius Africæ Episcopos convocare assuevit Carthaginiensis, ut patet ex Agrippini, Cypriani, Grati, Genethlij, & Aurelij Synodis ex omnibus Africæ Provinciis per ipsos convocatis. Si Episcoporum ordinatio pertinebat ad Patriarchas, nec aliquis in Provinciis Ægypti electus censebatur, nisi Decretum Alexandrini Episcopi accederet juxtà Synodicam Ni-

Theodoret. cænam apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. *Sic tamen ut suffragium accedat & confirmatio Episcopi Ecclesiæ Catholicæ Alexandrinæ.* Indeque

Synesius. Synesius Pentapolitanus in Ægypto Episcopus Epist. 97. *Ille unus & solus appellatus est Palæbiscæ Episcopus. Sed nec ut fas est, declaratus fuit, imo verò contrà fas, quantum quidem à senibus audivimus, si nec Alexandriæ constitutus est.* Similia privilegia habuisse Episcopum Carthaginiensem per Africam, indicat Leo 9. Epist. 3. & admittit in „ notis ad can. 6. Nicænum Christianus Lupus: „ sine eius præviâ „ licentiâ nullus per Provincias primæ Sedis Episcopus poterat Epis-

Cod. Afric. Ecclesiæ. „ copum ordinare. „ quin imò *fuit hæc licentia huic sedi, ut unde vellet, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ, ordinare Episcopum*, ut loquitur Numidius Episcopus in Concilio Carthaginiensi relato can. 55. Codicis Africanæ Ecclesiæ, ad quæ verba Christophorus Iustellus:

Iustellus. „ In ordinationibus Episcoporum paria fuerunt τὰ πρεσβεῖα Carthaginiensis Episcopi, atque Alexandrini, cum petentibus daret, quos „ vellet, & unde vellet Episcopos. „ Si prætereà ad Patriarchas à Metropolitanis provocari poterat, ut audivimus ex Canonibus Chalcedonensis Concilij, non minus à primis Provinciarum Africanarum Episcopis provocare licuit ad Primatem Carthaginiensem, cùm canone 28. Codicis Africani statutum sit, clericos provocare posse *ad*

Cod. Afric. *Primates suarum Provinciarum (aut ad universale Concilium.)* ubi per Concilium universale intelligitur plenarium Africæ sub Primate Carthaginiensi adunandum. Unde Leo 9. Epist. 3. expressè cavet, ne quis Episcopus in Africâ deponeretur absque consensu Carthaginiensis Primatis. Si demum ad Exarchos aut Patriarchas spectabat, ut disponere regulariter quæque per suas Provincias queant, idem omninò obtinuit per Africam Carthaginiensis Episcopus, utpote qui generalia ad universos Africæ Episcopos mittebat statuta, Paschatis diem per omnes Provincias observandum nuntiabat, & singulas quoque Provincias annuatim visitabat, id ipsum Honorato & Urbano Mauritaniæ Sitifensis legatis testantibus can. 51. & 52. Codicis Africani: idem

Aurelius

Aurelius Carthaginiensis Episcopus admisit, qui & proindè dicere potuit, sese *Cunctarum Ecclesiarum sollicitudinem gerere.* Aurel. Carth.

5. Quid ergo inquies, Ecclesia Africana Autocephala erat, & unica in omni occidente à Patriarchatus Romani authoritate exempta? absit profectò, ut hoc admittatur. Quod Carthaginiensis Primas plura privilegia habuerit in omnes Africæ Provincias, nemo negavit: sed quod illâ tanquam exarchus aut Patriarcha in occidente obtinuerit, quis rectè admiserit? somnia illa sunt schismaticorum, & prima Græcorum deliria in antiquâ sub Leone sapiente conscriptâ Ecclesiarum notitiâ, quam Gulielmus Beveregius in pandectis canonum ex codice Bodleiano edidit, ubi Episcopus Carthaginiensis à Romano Patriarchatu eximitur, & Provinciæ omnes ὑπὸ τον ἐνδοξότατον ἔπαρχον Ἀφρικῆς, *Sub gloriosissimo Eparcho Africæ* collocantur. Habuit Africana Ecclesia sæculo 2. sua initia, cumque Carthago, ut loquitur Salvianus, in orbe suo esset altera Roma, vix dubium, quin illinc Evangelium ceperit, unde tanquam à capite per corpus Africanæ Diœceseos se poterat transfundere: Carthago est, quæ primum Episcopum non aliunde, quam à sede Apostolicâ obtinuit, ut testantur quatuor scriptores illarum Ecclesiarum, quarum una Episcopos misit, altera recepit. Tertullianus ipse Carthaginiensis doctor antiquissimus, & Augustinus Hipponensis in Africâ Episcopus ac doctorum omnium coripheus testantur, Africam fidem obtinuisse per Romanam Ecclesiam: & Innocentius 1. ac Gregorius Magnus præstantissimi Romanæ Ecclesiæ Pontifices testantur, à prædecessoribus suis transmissos fuisse Episcopos aut sacerdotes, qui Africanam Ecclesiam instituerunt: ut si Carthago Primatem obtinuit, à Romanâ Ecclesiâ cuncta Primatis privilegia promeruerit, prout disertis verbis testatur Leo 9. epist. 4. dum Carthaginiensem Episcopum *maximum Africæ Metropolitanum* privilegium suum *à Sanctâ Romanâ & Apostolicâ Sede* suscepisse asseruit.

notitia Episcopatuum.

Leo 9.

6. Et ex hisce rectè consideratis facile erit de Carthaginiensium Episcoporum privilegiis judicium ferre, quæ licet specialem quamdam Primatus dignitatem sonant, sicut tamen à Romanâ Ecclesiâ originem traxēre, ita ab eâdem paulatim aucta sunt. Ac primò quidem missi aut instituti à Romanis Pontificibus Præsules Carthaginienses potestatem obtinuerunt instituendi Ecclesias, consecrandi Episcopos, aliaque Metropolitanorum munia exercendi per eas, quæ fidem in Africâ susciperent, civitates. Aucta subinde eorum potestas ex indultu

Sedis Apostolicæ in ferendis de rebus Afrorum sententiis ob locorum distantiam & maris interiectionem. Cum enim ceperant non laici sed ipsi clerici circumcursare, & Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere, obstiterunt Africani Episcopi, & signanter Cyprianus epist.55. ad Cornelium Papam. Admittit Cyprianus Privati veteris hæretici factum, qui dum in Lambesitanâ Coloniâ ante multos annos nonaginta Episcoporum sententiâ esset damnatus, Romam ad Occidentis Patriarcham & totius Ecclesiæ Pontificem Fabianum confugerat, sed addit, *Fabiani litteris severissimè* fuisse *notatum*. Subdit Cyprianus factum quinque Schismaticorum, qui Fortunato sibi in Pseudoepiscopũ creato plura mentientes ad Cornelium Papam confugerunt, & *Romam cum mendaciorum suorum merce navigaverunt*. Circumscribere nitebantur Patriarchale Judicium, & hic est, quod contra exclamet Cyprianus: *Oportet utique eos, quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint*. Hisque & aliis prætensa Africanæ Ecclesiæ Privilegia firmare studuit Cyprianus, viamque stravit, ad inferioris cleri causas vindicandas Africæ Conciliis, quin etiam ad tentandam Autocephaliam pro maioris cleri judiciis, quod tamen numquam Africa jure obtinuit.

Cyprianus.

7. Enimverò fuit hoc olim post Cypriani tempora Donatistarum tentamentum, cum exortam de sede Carthaginiensi contentionem ad Constantinum Imperatorem detulerunt, Sed Imperator, qui nondum in fide instructus erat, de regimine Ecclesiæ certior factus rem istam non ad petitum Gallorum judicium, sed ad Romani Patriarchatus tribunal transmisit, & inquit S. Optatus Milevitanus in Africâ Episcopus libro 1. contrà Parmenianum Donatistarum Principem: *Etiam Meltiadis sententiâ ... judicium clausum est*. Adfuit isti judicio Donatus totius factionis antesignanus, ipso facto Patriarchalem potestatem in Melchiade agnoscens, quam adeo revereri debuerunt Donati sequaces, ut orbis Africani oraculum Augustinus epistolâ 162. scriptum reliquerit: *An forte non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis sibi usurpare judicium?* negare id quidem tentarunt Donatistæ, & cum à summo Pontifice duo Episcopi ad Africam missi sunt Eunomius & Olimpius, ut pronuntiarent ubi esset Catholica, *hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est*: sed cum ità loquitur S. Optatus libro 1. ab omnibus per Africam Catholicis

S. Optatus.

Augustin.

S. Optatus.

tholicis Romani Episcopi auctoritatem in veneratione habitam fuisse declarat, uti & firmatur facto Cæciliani, qui cum clero & populo non Schismatico, sed fideli, Melchiadis sententiæ adhæsit semper, & acquievit.

8. Non ignoramus, quam contradictionem Sedes Apostolica in ferendis de gravioribus causis judiciis passa fuit ex prurigine novitatis, eam in Episcoporum ordinationibus, quarum jus aliud Patriarchatus privilegium constituit, passam aliquando fuisse ex turbato rerum statu, vel prætenso Africanæ Ecclesiæ privilegio: sed obstiterunt suo tempore Sedis Apostolicæ Præsules, quorum unius Siricij superest decretum ad Afros transmissum, in quo: *extrà Conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est Primatis, nullus audeat ordinare.* Extat hoc decretum Siricij in tomis Conciliorum, & novissimè ex antiquissimo Codice illud edidit tomo 2. operum Leonis Magni Paschasius Quesnel, ubi verba Siricij sic concepta leguntur: *Vt extrà Conscientiam Sedis Apostolicæ Primates nemo audeat ordinare.* Ita Codex Oxoniensis, de cuius sensu idem Quesnel: „ planus est: per sedem enim „ Apostolicam Romanam intelligit: per Primates verò singularum „ Provinciarum Metropolitanos designat: vultque auctor Epistolæ „ prohibitum esse, ne quisquam Africanorum Metropolitanorum or- „ dinari posset absque consensu & conscientiâ Romani Episcopi, atque „ adeo non dubito, quin hæc genuina sit adulterinæ Epistolæ lectio. „ Huc usque Quesnel, qui Epistolam Siricij adulterinam contendit, motus inter alia ex eo, quod complura huius Epistolæ verba reperiantur in Epistolâ Innocentij 1. ad Victricium Rothomagensem Episcopum, *ut alteram ex alterâ transcriptam esse necesse sit*: verum aliter Labbeus tomo 2. in notis Marginalibus ad hanc Siricij Epistolam: *Eadem ferè reperiuntur in Epistolâ Innocentij 1. Papæ ad Victricium Rothomagensem Episcopum, ideoque quibusdam suspecta minus rectè: cum Innocentius libenter relegat vestigia Siricij, ut patet epist. 3. aliisque.*

Siricius. Quesnel. Quesnel. Labbeus.

9. Sed, inquies, etiamsi ex laudatâ ratione pro Epistolæ suppositione concludi non posset, aliæ rationes quamplurimæ sunt, quarum „ una hæc ipsa de ordinatione verba respiciunt, „ quomodo enim, „ inquit Quesnellius, hæc de non ordinandis extrà Conscientiam Se- „ dis Apostolicæ Primatibus intelligere poterimus? Si enim Prima- „ tum nomine Carthaginiensem Episcopum intelligas, non pluralis „ sed singularis numerus apponi debuerat: cum unicus esset huiusmo- „ di Primas in Africâ. Sed & quam hoc ab Africanis juribus & con-

Quesnel.

 „ suetudine

„ ſuetudine alienum, ut ad Epiſcopum Romanum de ordinando Car-„ thaginienſi Epiſcopo conſultatio vel relatio mitteretur. Quod ſi „ per Primates Metropolitanum uniuſcuiuſque Provinciæ Epiſco-„ pum ſeu primæ Sedis Antiſtitem deſignat, jam verò ineptiſſimum „ eſt ac ridiculum iſtud decretum; quod Primates extrà conſcien-„ tiam Sedis Apoſtolicæ ordinari vetat: cum Primates in Africâ, ex-„ cepto Carthaginienſi numquam ordinarentur, ut ſæpius à viris „ eruditis obſervatum. „ Hæc obiectio, quæ nodis ſuis non careret, ſi lectio, quam ex Oxonienſi Codice profert Queſnellius, retinenda foret: ſed quiſnam certò dicet, lectionem Oxonienſis Codicis eſſe genuinam? editio ſanè vulgata in tomis Conciliorum habet: *ut extrà Conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt Primatis, nemo audeat ordinare.* Sic etiam habet Codex M.S. Bibliothecæ Thuaneæ octingentorum circiter annorum ac optimæ notæ ipſo Queſnellio atteſtante: Sic demum habent alij Codices, inter quos Corbeienſis, quem Chiffletius laudat authoritate venerandum. Nec ſenſus iſtorum verborum querendus, cum Africanis quibuſdam Epiſcopis Donatiſtarum exemplo Autocephaliam inducere tentantibus, & auctoritatem, quam ex mero Sedis Patriarchalis Romanæ indultu in ordinandis Epiſcopis exercebant Primates, Primatibus Africæ vendicare volentibus ſeſe opponere potuerit Siricius Pontifex, illam, quam præceſſores ſui gratioſè indulſerant, authoritatem revocando, & ſibi iterum reſervando, ut oſtendimus ſæpius, quoad alios factum parte primâ antiquitatis illuſtratæ, idque jure Patriarchali Romano Epiſcopo etiam per Africam competiiſſe: & jam intelliges eruditiſſimi viri Scholion ad can.6. Nicænum loquentis de hac eadem Siricij ſententiâ: *Interceſſit Siricius Pontifex, dicens Autocephalum Primatem nullum eſſe, niſi Romanum Epiſcopum, ideoque ſine eius licentiâ non poſſe iſtic Epiſcopos creari.* (Lupus.)

10. Cum Siricij ſucceſſor Innocentius primus Epiſtolâ ad Decentium Eugubinum Eccleſias Sedi Patriarchali Romanæ ſubiacentes enumeraret, manifeſtum eſſe tuetur, nullum in Africâ inſtituiſſe Eccleſias, niſi quos *Petri ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes.* (Innocent. I.) A Sede Patriarchicâ Romanâ Epiſcopos ſuos obtinuerat Africa, & quidquid de cæterorum ordinatione indulſerat Carthaginienſi Primati & aliis Primarum Sedium Epiſcopis, Carthaginienſis in primis ordinationem ſedi ſuæ intimandam reſervarat. Hinc & Cypriani tempore relationem mitti debuiſſe, ipſe Cyprianus variis in locis declarat, & dum contentio

contentio inter Cæcilianum & Maiorinum de Sede Carthaginiensi orta erat, missi à Sede Apostolicâ Episcopi Eunomius & Olimpius, *ut remotis duobus unum ordinarent*, satis ostenderunt, cui Patriarchalis per Africam potestas competebat : id ipsum manifestum reddunt complura in aliis rebus antiquorum testimonia, quibus constat, Romanos Episcopos non modò Concilia per Africam celebranda indixisse, & suas inibi vices aliis mandasse, sed & Africanos Antistites Romanum Episcopum consuluisse semper, & ut speciale caput suum agnovisse, mandando suis ex Africâ ad comitatum proficiscentibus, ut prius Sedis Apostolicæ Pontificem adirent, & suis ei redditis Pacificis, alias ab eo pacificas ad Imperatores obtinerent, ut infrà suo loco fusius ostendetur. Optat. Milev. lib. 1.

CAPVT VII.

De mente Africanæ Ecclesiæ, circà supremam Synodorum suarum auctoritatem.

1. *Sententia Domini de Marca circà supremam Provincialium Synodorum auctoritatem ex Afrorum testimoniis desumpta, ex iisdem sumitur refellenda.*
2. *Primum contrà sententiam illam argumentum subministrant causa Privati ob hæresim Exepiscopi, & Fortunati à Schismaticis creati Pseudo-episcopi : latum de primo à Fabiano Papâ judicium probat Cyprianus, appellationem posterioris ad Stephanum non ita, quod esset minoris ordinis clericus.*
3. *Nec aliam fuisse Cypriani mentem, sed eamdem, evincit causa Basilidis & Martialis, qui à Synodis Hispaniæ depositi ad Stephanum Papam confugerant.*
4. *Accedit causa Donatistarum, quæ Romæ retractata fuit probante D. Augustino, sicque de collegis Episcopis competere Romano Episcopo judicium.*
5. *Etiam appellationem in fidei causâ licuisse minoribus clericis manifestum fit ex causâ Cælestij, ob quam Paulinus ex Africâ Romam evocatus est.*
6. *Obstiterunt appellationi Cælestij certantes pro more suæ gentis Episcopi*

Afri,

Afri, qui tamen postea succubuëre ultrò consentientes, causam coram Zosimo Papâ retractari.

7. *Calestij vestigia insecutus est Apiarius, occasione cuius Zosimus Papa appellationes minoris cleri etiam locum habere voluit per Africam misso hanc ob rem ad Africam Faustino, ut patet ex eius commonitorio* de tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, *quorum verborum sensus inquiritur, & ex canone septimo Sardicensi hauritur, estque ille, ut missi à Sede Apostolicâ legati cum finitimis Episcopis judicent.*

8. *Apiarij historia sensum confirmat, cum primò per Faustinum Zosimi legatum Presbyterio redditus fuit, & in aliâ Ecclesiâ ministerio functus. Appellavit tamen Secundò Appiarius, sed fraude detectâ rogant Patres Africani, ne amplius ad Sedem Apostolicam appelletur.*

9. *Quod de minoris cleri appellatione scripserunt Patres Africani, hoc canone statutum legimus inter Milevitanos, à quo canone post detectam Apiarij fraudem hunc morem Africa retinüit usque ad Gregorij primi tempora.*

10. *Quod de maioris cleri appellatione adferunt, fundamento destitutum est.*

11. *Allata ex Codice Canonum Africanæ Ecclesiæ testimonia nihil evincunt, sed Parisiensis Archiepiscopi Sententiam eo ipso destruunt, quo latum in unâ Synodo judicium, in aliâ retractari permittunt.*

12. *Clausula hac:* sicut & de Episcopis sæpè constitutum est. *Non est alicuius Concilij Africani, sed à sciolo quodam canoni 28. Codicis Africani inserta.*

13. *Pro Appellationum jure ad Sedem Apostolicam spectante adfertur exemplum Antonij Fussalensis Episcopi, & suis momentis expenditur ex verbis Augustini.*

14. *Huic adjungitur testimonium Leonis Papæ de causa Lupicini, ubi an Leonis epistola 87. supposititia sit.*

Baluzius.

1. QUæstionem novissimè proponit D. de Marca lib. 7. cap. 1. cuius mentem Stephanus Baluzius in hoc compendium redegit: „ Episcopos vetus Ecclesia instituit in principalibus urbibus uniuscu„ jusque regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Episcopo „ Metropoleos, ita tamen, ut eas componeret cum Concilio Coe„ piscoporum suorum. Itaque judicia Ecclesiastica uniuscuiusque Pro„ vinciæ supremæ authoritatis erant, nec ab eis provocare licebat. „

Senten-

Sententiam hanc stabilire quidem conatur Dominus de Marca variis Antiquorum testimoniis, sed ut plurimùm ex Africanis scriptoribus, & Africanis Conciliis. In Africâ est, quod Cyprianus clamavit, illic uniuscuiusque causam audiendam, ubi est crimen admissum, & cum ex antiquo suæ gentis privilegio, minorum clericorum causas Concilio suo terminandas defenderet, eo res devenit, ut canone statutum fuerit de presbyteris, & clericis, ut non appellent nisi ad Africana Concilia, *ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communionem suscipiatur.* Tenacior fuit Africa privilegiorum suorum conservatrix, hinc Ecclesia receptam semel consuetudinem abdicare noluit, quin potius, si credere fas est, Episcoporum suorum in Synodis congregatorum supremis judiciis augere tentavit, uti habes in synodicâ ad Cælestinum transmissâ, & in fine Codicis Africani relatâ. Turbidas Africanæ Synodi litteras in sui favorem arripuit Parisiensis Archiepiscopus, ac Iudicia Episcoporum æquè ac inferioris cleri inappellabilia fuisse tuetur, contrà quem res hæc pauld altius repetenda est, & ex ipsâ Africâ refellenda.

Cod. Afric.

Can. Codic.

2. Privatus Lambesitanus in Provinciâ Numidiæ Episcopus in hæresim inciderat, inciderat & in gravia delicta Fortunatus Carthaginiensis Ecclesiæ presbyter: uterque damnatur Synodaliter primus ob Hæresim Exepiscopus, secundus à quinque Hæreticorum Episcopis creatus Pseudoepiscopus: uterque insuper accedit Sedis Apostolicæ Præsulem prior Fabianum Papam, posterior Cornelium Fabiani successorem: hisque positis, Privati Romanam appellationem laudat Cyprianus, cum scribit, epist. 55. Privatum esse *veterem hæreticum in Lambesitanâ Coloniâ ante multos ferè annos, ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatum, Antecessorum etiam nostrorum Fabiani & Donati litteris notatum, qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maij, qua proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus est.* Fortunati verò appellationem ad Cornelium idem Cyprianus improbat epistolâ editionis Pamelij 58. *Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit Pariter ac justum, ut uniuscuiusque Causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus, nec circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere.* & infra: *jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est.* Et iterum: *si judicium nostrum voluerint*

Cyprianus.

luerint experiri, *veniant*. Mirari possent Cyprianicæ mentis ignari, cur venerandus ille Episcopus unum Romam accedentem & latum à Romano Episcopo Decretum laudet, alium vero Romam properantem improbet: at facilis est nodi dissolutio, si antiquum Africanæ Ecclesiæ morem inspiciamus, quo Africa minoris ordinis clerum Romam accedere nolebat, maioris verò ordinis Antistites liberè accedere permittebat. Enimverò Fortunatus erat unus ex quinque presbyteris, qui Cypriano è cathecumeno in Episcopum electo recalcitrarant, & iterùm à Felicissimo Archidiacono Carthaginiensi ob facinora damnati ad novum Schisma resuscitati erant. Cum enim Cypriano repugnarent citati presbyteri, Felicissimus quinque jam pridem ob hæresim & crimina Exepiscopos advocat Carthaginem, in quâ malignantium Synagogâ ex schismaticis supradictis presbyteris Fortunatus eligitur in Episcopum, ipsumque consecrat Privatus, & ideò quod ab Exepiscopis electus & consecratus erat in locum viventis Cypriani, fuit omninò illegitimè ordinatus: unde Cyprianus constanter tuetur, hunc Fortunatum ex gregis sibi commissi portione esse ovem non Pastorem, utique illam, cui præesset. Sicque damnatum à se, cum erat minoris ordinis clericus & falso Episcopatus titulo insignitus, immeritò Romam accessisse, cum & eius & factionis suæ causa cognita erat, & *de eis dicta sententia* fuisset. Quodque hæc sit Cypriani mens, ulterius liquet ex responso ad S. Cornelij expostulationem eâdem in epistolâ:

Cyprian. *quod autem tibi de Fortunato isto Pseudoepiscopo à paucis & inveteratis hæreticis constituto, non statim scripsi, frater carissime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos festinato statim, quasi magna aut metuenda perferri.* De rebus maioribus curam Apostolicæ Sedi incumbere, decens putabat Cyprianus, ideoque addidit: *neque enim ad Catholicæ Ecclesiæ maiestatem pariter ac dignitatem pertinere debet, quid apud se hæreticorum & Schismaticorum moliatur audacia.* Nempè temerarium hæreticorum in promovendo Fortunato ausum existimabat irritum & nullum, indeque Fortunatum mansisse in gradu minoris ordinis, cuius appellationes transmarinas non ita probabat Africa. Aliud quid erat de causâ Privati, qui, cum legitimè ordinatus fuisset, & post Episcopatum dumtaxat in hæresim prolapsus, licet à Numidicâ nonaginta Episcoporum Synodo fuerat damnatus, *Antecessorum tamen Fabiani & Donati litteris notatum* Probat Cyprianus, quod ut rectè observavit Christianus Lupus parte 4. ad can. 10. dictatus Gregorij septimi, à suæ Provinciæ Numidicæ Synodo ad Primatialem totius

Diœce-

Diœcesis Synodum sub Donato Episcopo Carthaginiensi Provocasset, & ab hac iterum ad Apostolicæ Sedis Præsulem Fabianum, à quo uti & Donato eius damnatio erat confirmata.

3. At inquies, planè aliam fuisse Cypriani mentem constat ex causâ Basilidis Legionensis & Martialis Asturicensis, quos ob Idololatriæ crimen cum Episcopi Provinciæ Bœticæ deposuissent, & alios in eorum locum substituissent Episcopos, consultus Cyprianus de confugientibus ad Stephanum Papam Romanum Basilide & Martiali pro Episcopatus recuperatione, reposuit: debere Episcopos Hispanos primo judicio adhærere. Verum respondeo, insigniter deviare petitum ex obiectione argumentum: Scribit Cyprianus ex relatione Episcoporum Hispaniæ, *Basilidem & Martialem libellis Idololatria commaculatos, & nefandorum facinorum conscientiâ vinctos Episcopatum gerere & Sacerdotium Dei administrare non oportere.* Et rescribit idem Carthaginiensis in Africâ Episcopus post habitum desuper Synodicum in Africâ Concilium, ipsos Episcopos propria crimina fuisse confessos, & sic sese indignos Episcopatu reddidisse, nec in tali casu subsidium à Sede Apostolicâ sperandum: *Maximè cum jam pridem nobiscum & cum omnibus omninò Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, Sacerdos Pacificus ac justus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus decrevit, huiusmodi homines ad pænitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Quid manifestius? tales, qui idololatriæ crimine innodati erant, non potuisse ad Sacerdotalem aut potius Episcopalem honorem recipi, ex ipsâ Sedis Apostolicæ constitutione repetit magnus Carthaginiensis Episcopus Cyprianus epistolâ editionis Pamelij & Rigaltij 68. multò magis si crimen Idololatriæ ipsimet fuissent confessi, ut plebs & clerus ad Legionem Asturicæ & Emeritæ consistentes cum Felice & Sabino Episcopis in locum Basilidis & Martialis constitutis retulerant. Neque culpandus erat Stephanus, quod ut Appellantes Episcopos ipsos receperat, sed culpandos tantum edicit Cyprianus depositos Episcopos, quod Stephanum longè positum & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellissent. Enimvero Basilides tanquam justè conqueri posset de judicio Synodi, multa persuaserat Stephano Papæ de judicum injustitiâ, criminis impositione, aliisque causæ suæ faventibus, cum tamen ipsemet crimen suum confessus fuisset: *post conscientiam propriâ confessione nudatam*, inquit Cyprianus, & addit: quod *Basilides adhuc insuper præter libelli maculam cum in infirmitate*

Hispaniæ Episcopi.

Cyprianus.

Cyprianus.

 mitate

nitate decumberet, in Deum blasphemaverit, & se blasphemasse confessus sit, & Episcopatum pro conscientia sua vulnere sponte deponens ad agendum pœnitentiam conversus sit. Quid manifestius? Basilides crimina sua confessus sponte Episcopatu cesserat, & ipsi cedenti legitimè à Provinciæ Episcopis successor datus est Sabinus, etiam plebe præsente & suffragante: & reponit Cyprianus, nihil amplius expostulari posse: *nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam nostrum longè positum, & gesta rei ac tacita veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus.* Non agebatur de Appellatione à judicio Synodico, sed repetitione Episcopatus, quo sponte cesserat Basilides, & licet per fraudem à Stephano Papâ tanquam injustè depositus Episcopatum sibi restitui Postularet, non accusat Cyprianus Stephanum, quod supremam Concilij Provincialis authoritatem infregisset, quod Synodi judicium retractare ausus sit, quod proprij juris terminos excesserit: sed agit contra Basilidem, quod cum ei sponte cedenti legitimus successor datus esset, circumscriptus fraude & dolo esset Pontifex: *neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Similia dicenda esse de Martiali Asturicensis Ecclesiæ Episcopo, consequenter insinuat. Cum & ipse *actis etiam publicè habitis apud procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse, contestatus sit.* Et de idololatris generaliter statuerit Cornelius Papa: Episcopatu indignos *à Sacerdotali honore prohiberi.* Et hæc tantum absunt, supremam Synodorum authoritatem promovere, ut potius confirment, ad Romanos Pontifices spectare plenum post Provincialium Synodorum sententias de Episcoporum causis judicium.

4. Nec solum ex dato ad causam Basilidis & Martialis D. Cypriani Responso, sed ex Donatistarum in Africâ judicio colligere licet, hanc fuisse indubitatam Africanæ Ecclesiæ sententiam, Episcoporum judicia etiam apud judices transmarinos retractari posse: S. Optato Milevitano testante Cœcilianus Synodicè à Donatistis sub Secundo Tigisitano Numidiæ Primate damnatus est, & cum acquiescere nollet judicio, pro ratione dedit, se communicare transmarinis Ecclesiis: nec reponunt primò Donatistæ, Provincialis Concilij judicio standum esse, & supremam authoritatem infringi non posse, sed ultrò trans-

marinos

marinos judices postulant, quos Constantinus magnus Romam misit sub Melchiade papâ in Romano Concilio judicaturos. Idem planè desiderabat Cœcilianus Carthaginiensis Episcopus, & ne quisquam ipsius desiderium illegitimum asserat, scribit magnus Augustinus epist. 162. *Neque enim de presbyteris aut Diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur.* Quod nimirum Episcorum causæ possent tunc temporis retractari appellatione interpositâ, non ita presbyterorum aut inferioris ordinis clericorum querelæ. Quod autem inferior clerus appellare non posset à Synodis Africæ, erat prætensus gentis canon vel consuetudo, cui tamen derogatum fuit ipsis Africæ Synodis consentientibus in causâ Cælestij. Augustinus.

5. Circa annum Domini. 412. Ut colligitur ex epistolâ Concilij Carthaginiensis ad Innocentium, celebratum erat Carthaginiense Concilium in causâ Cælestij, cuius fragmenta extant apud D. Augustinum lib. 2. de peccato originali cap. 2. 3. & 4. ex quibus videmus, Cælestium per Diaconum Paulinum fuisse convictum de negatâ originalis peccati traductione, & ob hunc aliosque errores damnatus fecit, quod scribit Marius Mercator in commonitorio: *à quâ sententiâ ad Romani Episcopi examen credidit appellandum.* Ipsumque Paulinum magni quondam Ambrosii Mediolanensis Episcopi Diaconum, & ipsius Cælestij apud Patres Carthaginiensis Concilij accusatorem non excepisse de supremâ Provincialis Synodi authoritate, sed illicò Romam se contulisse coram Innocentio primo causam dicturum, testatur Paulinus in libello Zosimo Papæ oblato primùm per Cardinalem Baronium ad annum 418. publicato, postea per Philippum Labbeum tom. 2. Conciliorum inserto: *tunc nihil agere potui* (inquit Paulinus de suâ Romanâ per Innocentium evocatione) *quia is qui ad Apostolicam sedem provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita suæ appellationis adstruere.* Enimverò appellatione ad Innocentium interpositâ, Romam non contenderat Cælestius, sed inquit Marius Mercator: *mox idem ipse appellatione neglectâ Ephesum Asiæ urbem contendit,* indeque post aliquot annos Constantinopolim petijt, ubi cum vitiis suis detectus tandem *ad urbem Romam sub sanctæ memoriæ Zosimo Episcopo totâ festinatione perrexit*, ibique errores suos, de quibus apud Carthaginem fuerat convictus, se condemnaturum promittens, à Zosimo papâ ad audientiam admissus est, qui cum epistolâ benignitate plenâ Basiliscum Subdiaconum suum ad Afros misit, & inquit Paulinus in libello jam citato: *me licet sermone Basiliscus Subdiaconus à tua beatitudine*

Marius Mercator. Paulinus. Marius Mercator. Paulinus.

dine cum gestis sedis Apostolicæ directis Carthagine convenit quarto Nonar. Novembr. Die, ut adessem ad Apostolicam sedem & tuæ judicio sanctitatis: ad quam me fugisse suggestum est, nec defuturum fore promittere, si adversum me, & non pro me, fuisset lata sententia. Evocatus fuit secundò Paulinus, nec post latum in Provinciâ judicium conqueritur, appellationem à Zosimo Papâ admissam, seque iterato Romam evocatum, quin imò id laudat, & dato ad Zosimum libello planè extollit. Erat nimirum Paulinus sub D. Ambrosio edoctus, hinc & presbyterorum appellationes ad sedem Apostolicam in fidei causâ negligendas aut culpandas non credidit, licet & Africani in primis Episcopi aliquatenus ob Patriæ morem obsistendum crediderint.

6. Enimvero initio Africanæ Ecclesiæ Præsules aliquatenus obstitisse appellationi Cælestij, ac ægrè tulisse, à Zosimo fuisse susceptum, constat ex ipsius Zosimi epistolâ 10. ad Concilium Carthaginiense transmissâ, in quâ Pontifex non modo meminit rescriptorum, & querelarum, sed quod & scripserant, Cælestium esse illum, *qui apud vos (sicut ipsi per litteras dicitis) fuerat accusatus.* Contendebant nimirum, morem in Africâ observatum de non Appellando à Synodo Provinciali in causis Sacerdotum & minoris ordinis clericorum: at literis per Zosimum de supremâ Pontificiis authoritate exaratis vela verterunt Africani Præsules, feceruntque quod scribit Marius Mercator in commonitorio per Lucam Holstenium ex codice Palatino Vaticanæ Bibliothecæ descripto, & per Philippum Labbeum tomo 2. Conciliorum edito: *Episcopis ex Africâ rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat exponentibus; missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo vel de illo confecta, vocatur ad audientiam pleniorem, & quæ promiserat, festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis capitulis, sententiâ Afrorum Pontificum, quâ fuerat communione privatus, absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memoratâ Romanâ urbe profugit, atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zosimo Episcopo scriptis amplissimis vel longissimis perdamnatus est.* Quibus consonat D. Augustinus libro de peccato originali cap. 6. *Interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est.... sed posteàquam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut justissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.* Succubuerunt nimirum Africani Episcopi, & ultrò consenserunt, rem coram Zosimo Papâ retractari, quod ad eum Cælestij causa per appellationem esset devoluta.

Zosimus.

Marius Mercator.

Augustin.

7. Hisce

7. Hisce in causâ Cælestij peractis, Apiarius presbyter Siccensis ob varia crimina excommunicatus, Cælestij vestigia insecutus Romam ad Zosimum Pontificem appellavit, quâ appellatione occasionem datam esse gravissimæ contentioni de minoris & Maioris cleri appellationibus, notum est apud omnes. At hic sese objicit quædam difficultas, quam an aliquis rectè huc usque perpenderit, planè ignoro: quod occasione Apiarij Zosimus contenderit morem aliarum Ecclesiarum etiam circà minoris ordinis appellationes introducere in Africam, & conveniunt eruditi, & patet ex totâ Africanorum Conciliorum Historiâ, ex qua colligitur, & ipsum Cælestinum id tentasse per Faustinum: *Volens eum* (Apiarium scilicet secundò damnatum & ad Cælestinum appellantem post communionem à Sede Apostolicâ indultam) *à nobis in communionem suscipi*, inquiunt in literis Synodicis ad Cælestinum Africani Antistites: quo posito, meritò quæritur, quid ergo sibi velit Zosimus Papa, dum in commonitorio Faustino & legatis concesso tertio loco posuit: *De tractandis presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint.* Enimverò tractandas inferioris cleri causas in Provinciis consentiebant palam Africani Episcopi variis in Conciliis signanter in illo, quod 2. Milevitanum dicitur, ubi canone 22. *Item placuit, ut presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant: & inter eos, quidquid est, finiant adhibiti ab eis, ex consensu Episcoporum suorum.* Hæc cum planè consentire videantur verbis Zosimi ex commonitorio citatis, quæri meritò potest, quid ergo de judicio minoris ordinis cleri disceptari mandet cum Africanâ Ecclesiâ Pontifex, & quomodo Apiarij appellationem defendere potuerit? fateor hoc mihi quandoque difficile visum fuisse, at re funditus perspectâ, apparuit difficultatem facillimè enodari posse: enimverò judicaverat Cælestij causam Romæ Pontifex Zosimus, sed consideratâ Afrorum Episcoporum querelâ de susceptâ Cælestij Appellatione extrà Provinciam, ubi testium defectu facilis est deceptio, aliud consilium inijt, & Faustinum Potentinæ in Italiâ Ecclesiæ Episcopum cum duobus Romanæ Ecclesiæ presbyteris in Africam misit, ibi cum Provinciæ Episcopis causam retractaturos. Moritur interim Zosimus, & sub Bonifacio Primo eius successore causam prosequuntur legati convocato ad id Concilio Carthaginiensi sexto sub Aurelio eius civitatis Episcopo, quo rogante, ut monitorium Zosimi recitetur, pro appella-

Synod. Afric. ad Cælestin.

Zosimus in commonit.

Canon. 22. Milevitan.

appellationibus Episcoporum allatus est canon 7. Sardicensis sub nomine Nicæni, & pro Appellationibus cleri canon 14. Sardicensis, in quo, cum solum habeatur, abiectum habere potestatem, *ut finitimos interpellet Episcopos*, ne quis inde concludat cum Hincmaro Remensi epist. 47. ad Ioannem 8. Pontificem voluisse, illos dumtaxat Clericos ad se appellare posse, qui vicini adjacent, notandum à Faustino Africanos fuisse monitos, aliqua non modo canone teneri, sed *& consuetudine firmari*: quod nimirum consuetudine antiquitus in Ecclesiis receptâ liceret à Provincialibus Episcopis Romam appellare, ut quod ipsa Africa passa esset in Cælestio, jam quoque pati deberet in Apiario, cuius interpositæ appellationis causâ Faustinum in Africam miserat cum Provincialibus Episcopis sententiam dicturum: & hunc quidem esse genuinum Canonis Sardicensis sensum à Zosimo intentum, lucet ex Patrum Africanorum interventione, qui hunc canonem præeunte D. Augustino admittendum duxerunt ad Concilij dumtaxat Nicæni inquisitionem, & ex rei eventu, cum Africani Episcopi testentur: *adveniente sanè ad nos Sancto fratre & Coepiscopo nostro Faustino, Concilium congregavimus, & credidimus ideò cum illo missum* (Apiariũ) *quoniam sicut per eius operã presbyterio ante redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus à Tabracenis obiectis eo laborante, purgari.*

Faustinus.

Africani in Epistolâ ad Cælestinum.

8. Pro quorum pleniori intelligentiâ notandum omninò, Faustino cum Philippo & Asello presbyteris à Zosimo missis pro Apiarij causâ, ipsum Faustinum, post admissos usque ad Concilij Nicæni inquisitionem laudatos ex commonitorio canones, sub Bonifacio effecisse, quod Apiarius *presbyterio redditus fuerit*, sicque eius operâ factum, fuisse, quod in epistolâ ad Bonifacium primum constitutum scribunt Africani Episcopi: *ut de Siccensi Ecclesiâ retento scilicet honore gradus sui, presbyter removeretur Apiarius, & accepto epistolio, ubicumque alibi vellet & posset, presbyterij munere fungeretur*, quod, addunt Patres, *eidem ipsi per literas proprias postulanti sine difficultate concessimus.* transiit itaque presbyter Apiarius Faustini operâ ad Ecclesiam Trabacenam, in quâ cum novis delictis esset involutus, à Trabacenis accusatus secundam appellationem interposuit ad Cælestinum Bonifacij Papę successorem, per quem communioni redditus fecit Faustinus, quod Concilium Africanum scripsit ad Cælestinum Pontificem: *quantum obstiterit* (Faustinus) *omni congregationi diversas iniurias ingerendo quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum* (Apiarium) *à nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod*

Concilium African. ad Bonifac.

Synod. Africana ad Cælestinum.

quod probare non potuit, communioni reddiderit. Addunt ob Apiarij fraudes afflictissimos fuisse Africanos Episcopos, & cum vario examine inquirerent, nefandas suas turpitudines propriã confessione enudasse: *tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit.* Et hinc est, quod demum supplicarunt, futuras inferioris cleri causas relinquendas Provincialium Synodorum judicio, hocque testimonium emittunt, in quo est tota de Africanæ Ecclesiæ sententiâ contentio: *præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in Communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile advertet venerabilitas tua. Nam & si de inferioribus clericis vel de laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari? ne in suâ Provinciâ à communione suspensi à tuâ sanctitate præproperè vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique Provinciæ providentiæ gratiam Sancti Spiritus defuturam: quæ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.* Addunt, ipsum transmarinum judicium defectu testium circumscribi posse, *nam ut aliqui tanquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eumdem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilij exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæni, ... tale aliquid non potuimus reperire.*

9. Hæc patres Africani ad Cælestinum Papam, quæ omnia reduci possunt ad duo capita, quorum prius est de presbyteris, quos Synodis Provinciæ contentos esse debere, docent ex pluribus. Ac primò quidem ex Nicæno Concilio, ex quo tamen id non magis sequitur, quam Episcopos appellare non posse. Secundò ex antiquo Ecclesiæ suæ more nulla Patrum retractatione abrogato. Et hoc à vero non videri alienum, si definitionem Patrum Africanorum intelligas, ipsi Patres Africani non semel sed sæpius docuerunt, signanter vero cano-

Canon 22. Concil. Milevit. 2. ne 22. Concilij Milevitani secundi canonibus inserto: *Item placuit, ut presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant: & inter eos, quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum, ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communionem suscipiatur.* Quonam tempore hic canon constitutus sit, non adeo constat. Putat Baronius & cum eo plures eruditi, non esse Concilij Milevitani præterquam octo primos canones, de quo postea; cum hic sufficiat, hunc canonem post tempus Zosimi constitutum, idque illo præsertim tempore, quo Patres Afri ob Cælestij & Apiarij fraudulentas appellationes, easdem putarunt non amplius admittendas, sed nec Faustinum legatum, ut cum Provincialibus Episcopis judicaret, uti scripserant ad Cælestinum Papam: *Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesiâ dolendo Apiario) securi sumus, quod eum probitate ac moderatione tua Sanctitatis, salva fraterna Caritas ulterius in Africâ minimè sustinere patiatur.* (Africani epistolâ Synod. ad Cælestin.) Duravitque hæc consuetudo, ut animadvertit Christianus Lupus pte. 1. ad can. 14. Sardicensem usque, ad Gregorium „ Magnum: „ eam vero in manus Gregorij Magni jam pridem Afro- „ rum Episcopi cesserant, ideoque stupenda est Hincmari præsump- „ tio, tentantis resuscitare mortuam, eiusque fœtidos cineres per „ Galliam seminare. In Afras naturâ fuscas, Gallicanæ aut Germani- „ cæ cutis candorem ambientes feminas rectè Tertullianus in libro „ de eârum cultu: *pudet eas nationis, quod non Germana atque Galla* „ *sint procreata.* Ex adverso Hincmarus Gallos quoad Ecclesiastica „ judicia tentabat facere. „ Hæc Lupus respiciens ad locum Hincmari Remensis supra indicatum, quæ sufficiant de minoris cleri appellatione. (Lupus. — Tertullian.)

10. Posterius est de Episcoporum causis, quas & volunt in Synodis Provinciæ terminari debuisse ob dolos & fraudes Antonij Fussalensis, quibus circumveniebat Sedem Apostolicam rei gestæ ignaram. Adferunt in testimonium Nicæni Concilij Canonem, qui Episcopos suis Metropolitis committit; at quis inde concludet, Metropolitanorum judicia esse supremæ authoritatis? Unicuique Episcopo, teste Cypriano, portio gregis est commissa, at quis tam parum in antiquitate versatus, qui inde concludet, Episcoporum judicia esse suprema? adducit

ducit tamen hanc errantium opinionem pro suâ sententiâ Petrus de Marca, cui reponit Christianus Lupus parte 4. ad canon. 20. dictatus „ Gregorij 7. „ Turbida hæc Africanæ Synodi sensa esse jam dudum „ proscripta atque damnata ab omni Ecclesiâ, ideoque nimis indig- „ na, ut vocentur in veritatis testimonium. „ Addunt Patres Africani, de inferioribus & laicis præcaveri à Nicæno, ne à Synodorum judiciis appellent, *quanto magis hoc de Episcopis voluit observari*; at posito quòd clericorum causæ debuerint juxtà Nicænum in Provinciis terminari, quis inde concludere potest, id magis locum habere in Episcopis, cum id minus locum habere suadeat dignitas Episcopalis, & id nullatenus sequi debere, ostendat perpetua Africanæ Ecclesiæ consuetudo, quæ istâ appellatione uti permisit Episcopis, non presbyteris aut minoris ordinis clericis. **Lupus.**

11. Scio quidem opponi à Parisiensi Archiepiscopo canonem Africanum ex codice canonum Ecclesiæ Africanæ tit. 28. *non provocent* (presbyteri) *ad transmarina judicia, sed ad Primates Provinciarum suarum, aut ad universale Concilium, sicut & de Episcopis sæpè statutum est.* Urget hoc testimonium Dominus de Marca libro. 6. cap. 14. §. 4. & lib. 7. cap. 16. §. 5. At quorsum hæc omnia? numquid expressè habetur, presbyteros à Provinciæ Synodis damnatos posse appellare ad universale totius Africæ Concilium? quod si ita, an lucidius testimonium adferri possit ad destruendam supremam Conciliorum Provincialium authoritatem, vix scio. Magis profectò consequenter locutus est Christophorus Iustellus, cujus operâ Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ græcolatinus prodiit, qui animadvertit hæc verba: *aut ad universale Concilium* Confirmari epistolâ Synodicâ ad Cælestinum Papam: *unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.* Et canone. 126. eiusdem codicis ex Concilio Carthaginiensi ann. 418. *si provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum.* Colligit quidem ex illo ultimo Iustellus, juxtà Afros non licuisse appellare ad transmarina judicia à plenario Africæ Concilio, sed ipso adversæ religionis teste, manifestè evincitur ex Canonibus Africanis, Provinciales Synodos esse appellabiles, unde corruit Parisiensis Archiepiscopi sententia ex Afrorum judicio stabilita. **Codex Canonum Africanæ Eccles.**

12. Quoad locum codicis ex titulo. 28. *sicut & de Episcopis sæpè constitutum est*, ex quibus Parisiensium Archiepiscopus tuetur, quod ne quidem licitum fuerit Episcopis Africanis, trans mare appellare,

notandum omninò, hæc verba esse supposititia, ex quibus error tam iniuriosus sedi Apostolicæ stabilitur: tantum enim abest, ne quidem licitum fuisse appellationes transmarinas Episcopis Afris, idque sæpius constitutum fuisse, ut nullus Africanæ Synodi canon id constituerit unquam, nec ipse canon. 22. Concilij Milevitani secundi, quem ibi codex canonum allegat, id ullatenus habeat: signum manifestum, id fuisse additum à quodam æmulo Romanæ Ecclesiæ. Nec juvat dicere cum Parisiensium Archiepiscopo de Marca, hunc codicem esse Concilij Carthaginiensis sexti: nam Concilium illud canonem 22. Milevitanum non retulisse cum hâc clausulâ, *sicut & de Episcopis sæpè constitutum est*, vel exinde apparet, quod si collectio hæc interpolata non sit, editam oportuerit tempore Bonifacij 1. & firmatam ac transmissam anno Domini 419. à Concilio Carthaginiensi 6. ad Sedem Apostolicam: illo autem tempore Patres Africani non potuerunt ita sentire de Episcoporum appellationibus, quia citatis Sardicensis Concilij Canonibus, feruntur omnes 217. Africani Episcopi ibidem congregati consensisse Alipio Tagastensis Ecclesiæ Antistiti dicenti: *de hoc jam superioribus etiam literis Concilij nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur.* Unde patet & in primâ sessione Episcopos Africanos promisisse, se servaturos canones Sardicenses de appellatione, *donec integra exemplaria Nicæna veniant*. Eadem profitentur in epistolâ Synodicâ ad Bonifacium primum, ut exindè constet, usque ad hanc Synodicam anno 419. Bonifacio directam Africanos nihil omninò decidere voluisse contrà Appellationes transmarinas Episcoporum, quin imò illas permisisse, & tunc fuisse amplexos: quâ igitur fronte dici potest, Patres Synodi 6. tunc canoni 22. Milevitano addidisse clausulam contrà Appellationes Episcoporum in Codice Canonum Africanæ Ecclesiæ post primam sessionem ante Synodicam ad Bonifacium epistolam confecto. Sanè vel hoc unum sufficiens indicium est, clausulam illam posteà à quodam fuisse Codici Canonum insertam, ut observat Dominus David de judicio Canonico Episcoporum cap. 12. art. 2. vel si mavis, totum Codicem Concilio Carthaginiensi sexto imperitè à sciolo aliquo & Romanæ potestatis æmulo tributam, ut fusius ostendemus infrà.

Episcopi African.

13. Ne tamen res ista sine exemplo dimittatur, illustrè posteritatis memoriæ consecravit magnus Africanæ Ecclesiæ splendor Augustinus, idque eo ipso tempore, quo Africa jus appellationum putatur voluisse infringere. Antonius Fussalensis in Numidiâ Episcopus ob crimina agente

agente contrà eum Augustino, qui illi sedi ipsum præficiendum curaverat, à Provinciæ Episcopis Synodaliter depositus fuit ab Episcopatus administratione, relicto illi sedis titulo. Appellat hic ad Bonifacium Papam, eique offert Romæ litteras commendatorias à Numidiæ Primate impetratas, ac sententiæ reclamat dicens: *aut in meâ Cathedrâ sedere debui, aut Episcopus esse non debui.* Audito Antonio in favorem eius rescribit Bonifacius, eoque defuncto in tantum favere perrexit eius successor Cælestinus, ut Fussalensibus etiam invitis Episcopum reddere niteretur famâ per Africam vulgatâ, Cælestinum executores missurum, qui Antonium armatâ manu sedi suæ restituerent. Audit hæc D. Augustinus, & epist. 261. ad Cælestinum Papam rationi in primis Antonij Fussalensis reponit, sæpius accidisse, ut Episcopis Africanis honor Episcopatus relinqueretur ademptâ administratione eiusdem: *Existat*, inquit, *exemplo ipsâ Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicia firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore nec relictos omnimodis impunitos: quæ, ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsariensis Episcopus: aut ad Primatum locus sicut cæteris & mihi patere debuit; aut Episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius eiusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eâdem pœnâ, in quâ & Priscus fuit, nusquam nisi in Diœcesi eius ab alio communicabatur Episcopo: clamet inquam, aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius eiusdem Provinciæ Laurentius Episcopus, & prorsus huius vocibus clamet: aut in Cathedrâ, cui ordinatus sum, sedere debui, aut Episcopus esse non debui.* Hæc Augustinus de his, *qui Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum*, ut scribit, *judicia firmante* damnati fuerant, ex quibus verbis habemus manifestum pro jure appellationum Africanæ Ecclesiæ testimonium. Quomodo enim Episcopi Afri damnati fuissent Sede Apostolicâ judicante, nisi appellatione interpositâ? pergit Augustinus precari, ne executores armatâ manu mittantur in Africam. *Subveni hominibus*, inquit epist. ad Cælestinum, *opem tuam in Christi misericordiâ multò avidius, quam ille poscentibus, à cuius inquietudine desiderant liberari: judicia quippe illis & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executores Apostolicæ sedis sententiam, sive ipse sive rumores creberrimi comminantur: ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quam cum essent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi sanguinem,*

Antonius Fussalensis.

Augustinus.

guinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Hæc Augustinus, ad quæ Annalium parens Baronius ann. 419. rectè adnotat, ex ijs intelligi, quidnam ex Concilio Carthaginiensi ad eumdem Cælestinum Pontificem Episcopi rescribentes voluerint, ne *fumosum typhum sæculi* in Ecclesiam Christi induci fineret, de quo loco fusius in notis ad hanc Epistolam Synodicam.

14. Augustino Pontificem Romanum adiungo Leonem scilicet sedis quondam Apostolicæ splendorem: ille enim epistolâ 87. ad Episcopos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos habet inter alia: causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri: *cui multum & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum judicium provocasset, immeritò eum pendente negotio, à communione videbamus suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præsenti positus aut confutatus, aut certè confessus justa posset subiacere sententiæ: ut vacantem locum, quemadmodum Disciplina Ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.* Verba hæc commentario nostro non indigerent, nisi novissimè Quesnellius in notis ad hanc Leonis epistolam eam si non suppositiam saltem interpolatam esse contendisset, ac præcipuè quoad partem, quæ de Lupicino tractat, quam perturbatis persecutionis Africanæ temporibus, & illius Ecclesiæ moribus & disciplinæ contrariam esse tuetur, pro ratione subiungens: „ norunt enim omnes, quantopere abhorrebant Africani ab appellationibus transmarinis, qui in Concilio Carthaginiensi, quod „ sextum vocant, & in epistolâ posterioris etiam Concilij ad Cælestinum Papam ignotæ sibi huic disciplinæ subiicere se recusarunt: „ his adiungit, quatuor manuscriptos codices optimæ notæ hanc Leonis Magni epistolam habere, sed sine illo capite de Lupicino, & demum *palmare* profert *argumentum*, quod *sexcentorum instar* habet, Cresconium nimirum, cum Pontificum decreta refert, ne verbulum quidem ex hac Leonis ad Mauros cæsarienses epistolâ excerpsisse, signum inquit, in Dionysij Exigui collectione, se illam epistolam non invenisse. Sed siste parum amicè lector, & mecum mirare, quam levi fundamento aliqui exurgant in veneranda antiquitatis monimenta. Epistola illa Leonis Magni in omnibus manuscriptis codicibus reperitur, quotquot ex venerandâ antiquitate nostro sæculo superesse noscuntur: ipse Quesnellius epistolam illam ad Mauros ex quatuor M. SS. Codicibus

Leo M.

Quesnel.

cibus operibus Leonis magni inseruit, atque agminis ductricem primo loco posuit, & Epistola hæc supposititia erit? stylus Leonem sapit, & ex verbis tanquam ex ungue Leonem noscimus, & epistola Leonis non erit? Lupicini causa moribus Africanis à Quesnellio prætensis fomenta potius præberet, quam ijs detraheret, & interpolata erit? Lupicini causa, in pluribus & antiquissimis codicibus manuscriptis huc usque reperitur: Hincmarus Remensis in opusculo 55. capitum adversus Hincmarum Laudunensem cap. 5. ex Leonis ad Mauros epistolâ Lupicini causam laudavit: in additione 4. ad Capitularia Caroli Magni & Ludovici Pij habetur titulo XVII. *De causà Lupicini Episcopi ex epistolâ Leonis Papæ Africanis Episcopis directâ*: omnes manuscripti Codices, qui ad exemplar ab Hadriano 1. quondam Carolo magno Romæ oblatum conscripti videntur & in Bibliothecâ Regiâ, in Thuaneâ, in Seguerianâ, in monasterio S. Germani Parisiensis & monasterio sancti Galli inveniuntur, illud de Lupicino continent: Dionysius Exiguus Abbas Romanus, qui 70. tantum annis post Leonem floruit, & ex scriniis Apostolicæ sedis decreta, quæ in unum congessit codicem, mutuavit, hanc Leonis ad Mauros epistolam sub titulo 49. Codici suo inseruit, & *in causâ Lupicini Episcopi* intitulavit: & pars ista supposititia erit? credant, qui velint epistolam hanc sancti Leonis interpolatam esse, illud de Lupicino Episcopo adiectitium non est, sed genuinum Leonis decretum: cum enim Lupicinus Sedem Apostolicam appellasset, & Africani quidam Episcopi ex ignorantiâ Sardicensium canonum, appellanti Episcopo alium superordinassent, facto illi repugnat Leo Magnus, & ex Canone Sardicensi disciplinam Ecclesiasticam proponit, nec dubium, quin Africana Ecclesia ad tanti Pontificis monitum ignorantiam suam agnoverit, & ad temeritatem suam rubore perfusa, vela verterit, & Petri Privilegia postmodum venerata fuerit, cuius successorum jura in Petri Cathedrâ toties venerabundè agnovit.

Capit. Caroli Magni.

Dionysius Exiguus.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quod Africana Ecclesia supremam Romani Pontificis auctoritatem semper agnoverit.

1. *Licet ex motibus Africanis tanquam equo Troiano schismatici armati prodierint contra Sedis Apostolicæ auctoritatem, Africana tamen Ecclesia à suis primordiis eam, Tertulliano & Cypriano testantibus, reverita fuit.*

2. *Post Cypriani tempora exorti Donatistæ, quorum causa ab Imperatore ad Melchiadis tribunal transmittitur, ad eumque spectasse judicium, S. Optatus & Augustinus testantur: nec Romani Pontificis auctoritatem in totum contempsère Schismatici, cum constet eos sibi Episcopum in urbe Româ constituisse.*

3. *Quod Ecclesia inter suas dotes habeat Primam de Cathedrâ, asserebant Donatistæ & contra eos urgebat S. Optatus Donatistarum malleus, cujus locus expenditur de successione Episcoporum in Cathedrâ Romanâ.*

4. *S. Optato accedit testimonium D. Augustini, qui successioni Pontificum à Petro descendentium opponit successionem Donatistarum à Victore Garbiensi inchoantium.*

5. *Auctoritatem Pontificiam varia Africanorum monimenta exhibent, & Afrorum in causâ Pelagij ad Sedem Apostolicam transmissâ venerationis testimonia laudat Innocentius Primus.*

6. *Post Augustinum illustre testimonium de Romanâ Ecclesiâ tanquam* capite omnium Ecclesiarum *dedit Eugenius Carthaginiensis Episcopus à Victore Vitensi laudatus, cui non ignobile adijciunt 217. Episcopi ann. 534.*

7. *Aliud testimonium exhibet observantia Africanæ Ecclesiæ in Pyrrho Sedi Apostolicæ sistendo, & alia Synodica trium Provinciarum Africæ anno 646. ad Theodorum Papam transmissa.*

1. ETiamsi Africanam Ecclesiam tenaciorem privilegiorum suorum conservatricem fuisse clament exortæ toties in rebus Ecclesiasticis difficultates, in vanum tamen ex turbato sæpius rerum statu

Africana

Africana arma in sui defensionem sumere conati sunt novatores hæretici. Africana Ecclesia est, quæ numquam Sedi Apostolicæ nisi cum errore restitit, & postremò ignorantiam suam semper erubuit. Africana Ecclesia est, quæ illustria suæ erga Sedem Apostolicam submissionis documenta fræquentissimè exhibuit, & à suis Primordiis devoti animi signa posteritati consecravit. Florebat parum post ipsius exordia perantiquus Carthaginiensis Ecclesiæ presbyter Tertullianus, qui nondum hæreticus libros de præscriptionibus edidit, in quibus hæreticos omnes ad Romanam Ecclesiam remisit, ut ab illà tanquam fidei magistrâ traditiones ediscerent, & puncta religionis Catholicæ mutuarent: verba Tertulliani dabimus infrà initio dissertationis sequentis, contenti hic addere testimonium primitivorum in Africâ fidelium, quibus decretum Stephani Papæ, quod emiserat in causâ mœchorum tanquam ***Pontifex maximus***, & ***Episcoporum Episcopus***, erat ***peremptorium***. Expositione verba non indigent, Tertulliani sunt ex libro de pudicitiâ desumpta, quibus in causâ lapsorum æquè præclarè concinit D. Cyprianus, cum post Cornelij ad Pontificatum assumptionem in causâ lapsorum agnoverit eum, qui cum authoritate & consilio potuerit habere rationem, quamobrem statutum suum de recipiendis in Ecclesiam lapsis secundò Romam misit adjungens: ***quod credimus vobis quoque paternâ misericordiâ placiturum***. Cornelium Patrem, non collegam solum, indigitat, quod sicut præ magnitudine suâ Carthaginem Roma præcessit, ita auctoritate Carthaginiensem Romanus Pontifex antecelleret: unde & Romam ex Africâ navigantes sese admonuisse fatetur in epistolâ ad Cornelium Cyprianus, ***ut Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent***. Et in epistolâ 55. Cornelij sedem vocavit ***Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est:*** & libro de unitate Ecclesiæ hæreticos refellit à Sedis Apostolicæ communione separatos: ***qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse confidit?*** agit contrà Novatianos schismaticos, & cum ipse Cyprianus cum suis Afris ob errorem de rebaptizatione hæreticorum à Stephano excommunicationis sententiâ terrerentur, palam, teste Augustino, professus est, se à Sedis Apostolicæ communione nolle divelli, & in maximo suo Zelo constitutus aliud non edixit ad Episcopos Carthaginiensis Concilij, quam: ***neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.***

Cyprianus.

adigit. Quibus verbis alludit ad Stephani Papæ decretum, quo ut Episcoporum Episcopus sub excommunicationis terrore Afros à rebaptizationis errore jussit resipiscere, & antiquam Ecclesiæ consuetudinem iterum amplecti, prout Cyprianum fecisse cum suis existimat Augustinus epist. 48.

2. Proruperunt post Cypriani tempus in schisma Donatistæ, ac Maiorino contrà Cæcilianum substituto egerunt cum Imperatore Constantino pro judicibus transmarinis: causam verò istam Constantinus anno 313. remisit ad Melchiadem Papam, jubens Cæcilianum cum. 10. suæ partis, & 10. adversæ partis Episcopis Romam properare causam coram Melchiade dicturos, *quemadmodum*, inquit Constantinus epistolâ ad Melchiadem versionis Valesianæ, *sanctissimæ legi convenire optimè nosti*. Sciebat Imperator nondum baptismo initiatus, Petri successores obtinere Primatum Ecclesiæ: nec Afri obstiterunt, sed Romam coram Melchiade causam dixère, ubi & sanctissimus Pontifex sententiam in Donatum protulit, & Cæcilianum *communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum meritò esse* censuit, post quæ S. Optatus Milevitanus lib. 1. *sufficit ergo & Donatum tot sententijs esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum*. Addit Augustinus epist. 162. *qualis ipsius Melchiadis ultima prolata est sententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica? .... ô Patrem Christianæ plebis*. Et suprà: *an forte non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis sibi usurpare judicium, quod ab Afris 70. ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum?* lucidè testatur, Pontificem Romanum ut communem plebis Christianæ Patrem potuisse de rebus etiam in Africæ Concilio terminatis assumere judicium, & in eo obtentâ pro sese sententiâ Cæcilianum Carthaginiensem Episcopum jam potuisse *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesiæ .... per communicatorias litteras esse conjunctum*. Scribit de conspirante inimicorum multitudine, pro quâ sedandâ, *duo Episcopi*, teste S. Optato Milevitano lib. 1. *ad Africam missi sunt Eunomius & Olympius, ut remotis duobus unum ordinarent*. Et ubi legatorum Sedis Apostolicæ auctoritatem plebs Catholica Cæciliani agnovit, *hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est*. Hæc enim cum cerneret, Cæcilianum à Romano Pontifice & Constantino Imperatore in Sede Carthaginiensi firmatum, seipsam à communione fidelium separavit, Ecclesiam Donati in meridie constitutam unicam superesse somnians,

Constant. M.

S. Optatus.

Augustin.

S. Optatus.

somnians, cui in urbe Româ Episcopum præfecit. Qua in re illud dumtaxat notandum existimo, tam indubium fuisse antiquioribus Afris, Sedem Apostolicam caput esse totius Ecclesiæ, ut Donatistæ suam Ecclesiam non existimarint sine Romano partis suæ Episcopo rectè ordinatam: *Isti haretici*, inquit D. Augustin. lib. de hæresibus cap.69. *in urbe Româ montenses vocantur, quibus hinc ex Africâ solent Episcopum mittere, aut hinc illuc Aphri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset.* D. Augustin.

3. Clamaverint itaque post Cæciliani tempora Donatistæ cum Parmeniano suo Principe, Ecclesiam dotes suas habere, *inter quas Cathedra est prima. Negare non potes*, reponit, S. Optatus lib.2. contrà Parmenianum, *Scire te, in urbe Româ Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cateri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contrà singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, qua est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus. ... Siricius hodiè, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in unâ communionis Societate concordat. Vestra Cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. Sed & habere vos in urbe Româ partem aliquam dicitis: ramus est vestri erroris, protentus de mendacio non de radice veritatis.* Sic nimirum Donatistarum insaniam refellit S.Optatus, & constitutum suo tempore à Donatistis Romæ Macrobium Episcopum ramum docet erroris protentum de mendacio, non de *radice veritatis.* Radicem enim veræ successionis à Petro Apostolorum Principe desumit, in cuius unâ Cathedrâ unitas ab omnibus erat servanda, id est, inquit Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus in notis, „ Romanam Cathedram à summo Pontifice occupari; „ ab eâ cæteras vim suam & potestatem accipere debere, in eâ & cum eâ omnibus adhærendum esse, & qui cum eâ non communicarent, schismaticos esse. „ Audiant hæretici nostri temporis, & rubore perfusi ignorantiam temeritate coniunctam oculis sanguineis deplorent, quod sectam suam in Romanum Pontificem rabidam, ad discerpendam Sedis Apostolicæ auctoritatem cernant proclivem, ubi Africanæ Ecclesiæ Episcopi primis sæculis Sedem Apostolicam respiciebant ut matricem fidei, & communionis Ecclesiasticæ centrum ac radicem. S.Optatus. Gabriel Albaspin.

4. Cum S. Optato ex successione Romanorum Pontificum Dona-

tistas debellavit totius Ecclesiæ lumen Hipponensis in Africâ Episcopus Augustinus, ita enim scribit epist. 165. contrà cuiusdam Donatistæ Augustin. litteras: *si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeraremus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, &c... Siricio Anastasius, in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africâ ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Aphris in urbe Româ Montensium vel rupitanum vocabulum propagaret.* Quæ S. Optatus sub Siricio, hæc S. Augustinus sub Sirici j successore Anastasio contrà Donatistas urgere perrexit: gloriabantur in Episcopo suo Romano Donatistæ, qui tempore Cæciliani primum miserant Victorem Garbiensem, post eum Bonifacium Ballitanum, tum Encolpium, deinde Macrobium, posteà Priorius. „ Lucianum, & ultimò Claudianum, „ qui omnes (ut ex S. Optato „ partim colligit Philippus Priorius,) Donatistæ fuere. „ & contrà hos insurgit Augustinus docens, ordinem succedentium Episcoporum non à tempore Victoris Garbiensis sæculo quarto, sed à S. Petro Apostolorum principe sæculo primo esse inchoandum, tuncque petram positam fuisse, suprà quam extructa est Ecclesia, dum Petro & successoribus Episcopis regimine suo Ecclesiam sustentantibus commissa fuit Augustin. multitudo fidelium: unde S. Augustinus serm. 49. *in Petro uno Christus firmat Ecclesiam.* Et epist. 162. rationem redditurus, cur Cæcilianus, videns se Romanæ Ecclesiæ communione coniunctum, dicit, potuisse Augustinus. non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quod *in eâ semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* Verba, quæ lucem meridianam excedunt, & Romani Pontificis super Africam Principatum in terminis evincunt.

5. Auctoritate istâ non semel, sed sæpius usi sunt Romani Pontifices à tempore Sirici j, cuius extat epistola Synodica, in quâ plura constituit, quæ ad Africæ Episcopos servanda direxit: data est hæc Synodica post Consulatum Arcadi j Augusti & Bautonis annô Domini 386. & quamvis aliqui velint, eam epistolam esse supposititiam, recitata tamen putatur in Concilio Thelensi coram universis Byzacenæ Provinciæ Episcopis, & etiamsi ibidem recitata non fuisset, citatur à Ferrando Carthaginiensi Diacono, & ab undecim sæculis breviationi canonum ad usum Africanæ Ecclesiæ conscriptæ magnâ ex parte inseritur, ut Sirici j auctoritatem admittere debuerit Africa, cuius venerata

rata fuit & admisit decreta. Idem planè contigit in causâ Pelagianorum, pro quâ ad initium sæculi quinti cum Aurelio Carthaginiensi Episcopo totius Consularis Provinciæ Antistites rogarunt Innocentium primum, ut post damnatum Pelagium, eiusque hæresim *etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuendâ salute multorum, & quorumdam etiam auctoritate corrigendâ.* Vestigia Proconsularis Provinciæ insecuti sunt Sylvanus primæ Sedis Numidiæ Episcopus, Augustinus Hipponensis, alijque 57. Numidiæ Episcopi, & scriptâ ad Innocentium Papam epistolâ Synodicâ hisce verbis ordiuntur: *quia te Dominus Gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolicâ collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiosè vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi, Pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris.* Ad quæ ipse Innocentius I. epistol. 25. *Diligenter ergo & congruè consulitis honoris arcana: honoris (inquam) illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse servatam.* His verbis nihil addo, quia quod totus orbis tempore Innocentij servabat, hoc submissi animi indicium Africa non negabat.

Synod. Provinciæ Proconsularis.

Synodica Mllevitan.

Innocent. I.

6. Innocentium I. subsecuta sunt persecutionum tempora, quibus Wandalorum rabies Africanam vastabat Ecclesiam. Vivebat tunc S. Eugenius totius Africæ Primas & Carthaginiensis Episcopus, & rogatus ab Hunerico rege, ut cum suis Arianis de fide disceptaret, reposuisse fertur: *si nostram fidem, quæ una & vera fides est, potestas regis agnoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam & ego fratribus meis, ut veniant coepiscopi, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.* Hæc S. Eugenius Carthaginiensis, cuius testimonium posteritati consecravit Victor Vitensis in Africâ Episcopus testis coetaneus lib. 2. historiæ persecutionis Wandalicæ. Cui aliud addo de S. Fulgentio Ruspensi in Africâ Episcopo, qui cum sæviente Wandalorum tyrannide cogitaret de vitâ eremiticâ in Ægypto ducendâ, ad Siciliam appulit, & per B. Eulalium Syracusanum Episcopũ ab inceptâ peregrinatione deterretur: *Terras*, inquit Eulalius, *ad quas pergere concupiscis, à communione B. Petri perfida dissensio separavit: omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum*

Victor Vitensis.

Ferrandus Carthagin.

Altaris Sacramenta communia, quid ergo proderit affligere ieiuniis corpus, ubi solatiis spiritualibus indigebat anima, quæ multo melior est corpore. Revertere fili, ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. Audivit hæc S. Fulgentius, & à Petri communione separari abhorrens, intentionem mutavit, & non ad ultimas Thebaidæ regiones à Sedis Apostolicæ communione avulsas, sed ad ipsa Apostolorum limina perrexit, illic conmunicaturus, ubi centrum & radix erat Ecclesiasticæ communionis: refert hoc, qui Fulgentium videre potuit, & ab ipso rei seriem addiscere Ferrandus Carthaginiensis Diaconus cap. 12. Vitæ tomo 9. Bibliothecæ SS. PP. novissimæ editionis Lugdunensis Floruit circà idem tempus Reparatus Carthaginiensis Episcopus, qui una cum ducentis septemdecim Episcopis in Synodicâ suâ an. 534. Sedem Apostolicam consulunt de recipiendis Arianis, addentes, se sensum suum in medium non prolaturos, *nisi prius, vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesiæ proderetur.* Palam profitentur, se judicium Romani Pontificis secuturos, quem habebant ut caput, & summum in rebus Ecclesiasticis judicem. Sequebantur hunc Episcopum Afri in trium capitulorum defensione, quamdiu Vigilius Papa Iustiniani & Acephalorum conatui non obstitit, & licet ab eo recesserint post damnationem, venalitatem in ordinatione intercessisse obiecit Facundus Hermianensis Episcopus in libro adversus Mocianum, ne videretur Sedis Apostolicæ contemnere auctoritatem: eam melius à Gregorio Magno edocti venerati fuerunt omnes Afri, ut lucet ex Dominici Carthaginiensis, Adeodati Numidiæ Primatis, Columbi aliorumque creberrimis ad Gregorium litteris, & eiusdem Pontificis responsis, ex quibus apertissimè constat de Afrorum causis ad Sedem Apostolicam relatis, & juxtà eius præceptum in Africâ compositis.

Synodic. 21. Episcop.

Gregor. M.

7. Illustre verò huius veritatis testimonium deducitur ex causâ Monothelitarum: cum namque Pyrrhus ann. 645. Carthagine cum S. Maximo in conventu & consessu sanctissimorum Episcoporum disputationem iniens victus fuisset, damnatus non fuit per Africæ Episcopos, sed teste Teophane *hunc redargutum & persuasum Romam ad Papam Theodorum duxerunt, qui Orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo receptus est.* Ad quem locum rectè observat Christianus Lupus, ab Afris ideò non damnatum aut absolutum fuisse Pyrrhum, sed Romam ad Pontificem deductum, quod scirent, ad illum tanquam supremum Ecclesiæ principem spectare, Patriarchas ab hæresi absolvere. Firmius id ipsum roborarunt trium Africæ Provinciarum Episcopi in eâ, quam ad Theodorum

Teophanes.

dorum

dorum Papam scripserunt anno 646. cum hac epigraphe Synodicâ : *Domino Beatissimo Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri Patrum, Theodoro Papa, & summo omnium Præsulum Pontifici.* Et in ipsâ Epistolâ de Sede Apostolicâ : *cui etiam in honore Beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevère reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò & sollicitè debent, maximè verò justèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum. Vt huius auctoritate, juxtà quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cætera Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium &c.* Extat epistola illa græco-latina, & actis Concilij Lateranensis Romæ anno 649. sub Martino 1. celebrati habetur inserta, uti & alia Victoris Carthaginiensis Episcopi, in quâ Theodorum *Beatissimam Paternitatem indigitat*, & ipsius esse asserit *Canonica discretione solitè contrariis Catholicæ fidei obviare.* Nec post hæc ulterioribus indigemus testimoniis, cum omnes totius Africæ Episcopi sæculo 7. quod ultimum fuit Africanæ Ecclesiæ, in eamdem conspirarint sententiam, agnoscentes in Romano Pontifice eam, quam omnis Orthodoxa sub cælo Ecclesia hucusque veneratur, supremam auctoritatem.

Synod. trium Provinciar.

Victor Carthaginiens.

DISSER-

DISSERTATIO II.

DE

FIDE ET RITIBVS

AFRICANÆ ECCLESIÆ.

1. *Quod Africana Ecclesia semper Romanum Pontificem agnoverit ut caput suum, & Romanam Ecclesiam ut fidei magistram, ipsis rebus comprobatur, adducto hanc in rem Tertulliani testimonio.*

1. QUod Africana Ecclesia Romanum Pontificem pro speciali occidentis, & generali totius orbis catholici capite agnoverit, evicimus dissertatione præcedenti ex ijs Patrum Africanorum testimoniis, quæ nemo prudens contempserit. Restat nunc rituum Arcana, & religionis mysteria evolvere, ut ex ipsis rebus veritatem comprobemus, sicque ex testimoniis Patrũ ritibus Ecclesiæ & actis fidei luce clarius demonstremus illam, quam erga Romanam Ecclesiam habuit venerationem. Cum prurigo novitatis schismaticorum animos occupasset in Africâ, & exinde frequens eorum turba ad fallendam sedem Apostolicam trans mare Romam Navigaret, Romanorum fidem eam esse exclamat S. Martyr Cyprianus epist. 55. ad Cornelium, *quæ Apostolo prædicante laudata est*. Romanosque, *ad quos perfidia non possit habere accessum*. Unde & navigantibus se consuluisse testatur epistolâ 45. *ut Ecclesiæ Catholicæ Matricem & radicem agnoscerent, & tenerent*. Tenerent, inquam, in summo Pontifice radicem unitatis, & agnoscerent in Sede Apostolicâ matricem religionis: matricem, quæ teste Augustino transmissis in Africam prædicatoribus & teste Innocentio primo Episcopis, regionem illam fide imbuit, & Evangelicâ luce donavit. Et hoc erat, quod Tertullianum, qui vel primos religionis prædicatores noscere poterat, aut certè cum ijs conversatus est, qui eos noverant, fecit exclamare contrà hæreticos Romanæ fidei osores cap. 36. præscriptionum. *Habes Romam, unde nobis quoque*

Cyprianus.

Tertullian.

quoque authoritas præsto est, ista quam felix Ecclesia; cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt. Vox *authoritas*, hic significat originem, ut notat eruditus Lovaniensium Doctor Christianus Lupus, idque juxtà phrasim Tertulliano familiarem, ut hæc verba: *Vnde nobis quoque authoritas præsto est*, nihil aliud significent, quam Africanam Ecclesiam ex propagine Romanæ Ecclesiæ fundatam, eiusque originem præsto esse tamquam omnibus notam. Audite hæc, qui animo fluctuatis, dumque de religione capescendâ anxiè hæretis, perantiquo acris ingenij Afro, quem Magistrum suum appellare consueverat S. Carthaginiensis Antistes Cyprianus, aures præbete dicenti: *Videamus, quid* in materiâ fidei Romana Ecclesia *didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.*

CAPVT I.

De libris Canonicis in Africâ receptis, & signanter duobus Machabeorum.

1. *Synopsis statuti Hipponensis de scripturis Canonicis non est Canonis* 38. *Hipponensis, sed Canonis* 47. *Concilij Carthaginiensis tertij, quod habitum fuit anno* 397. *tempore Siricij.*
2. *Epocha Carthaginiensis istius Concilij obstat Baronius, quod ad finem Canonis* 47. *jam citati mentio fiat Bonifacij Papæ, cui tamen satisfit duplici responso Cardinalis Perronij.*
3. *Canonem ad Sedem Apostolicam relatum fuisse, signum est debitæ venerationis, cumque consulta Sedes Petri de libris Canonicis in unam fidei Societatem conspirare visa est, decretum de libris Canonicis amplectitur Augustinus, & habet ut indubitatum.*
4. *Inter libros canonicos à Canone Carthaginiensi memoratos reperiuntur* Machabeorum libri duo, *qui cum non reperiantur in Codicibus græcis & collectione Cresconij Africani Episcopi, Canoni posteà insertos putat Iustellus, contrà quem adfertur authoritas Dionysij Exigui, & ante Dionysium Divi Augustini.*
5. *Libri Machabeorum per novatores ex Canone expunguntur ob locum de curâ pro mortuis, qui tamen locus à D. Augustino laudatur, ante*

quem libros Machabeorum Canonicos putarunt Cyprianus , & Tertullianus Afrorum antiquissimi.

1. EXtat in breviario canonum Hipponensium titulus 38. De scripturis canonicis : *scriptura canonica in Ecclesiâ legenda quæ sint , & præter quas alia non legantur*. eiusque tituli integrum canonem renovatum fuisse in Concilio Carthaginiensi tertio , pluribus tuetur Galliæ splendor Perronius cap.48. contrà Angliæ regem. Verum pace Perronij dixerim , cum breviarium Hipponensis Concilij non sit genuinus Synodi fœtus , sed potius eidem suppositus , neque sacrum Carthaginiense Concilium ordine tertium breviarium Hipponense confecerit , quod illi attribuitur ; mallem ego canonem ipsum Concilio Carthaginiensi tertio attribuere , utpote quod titulo 47. eum exhibet hisce verbis. *Item placuit , ut præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ , id est Genesis , Exodus , Leviticus , Numeri , Deuteronomium , IESV nave , Iudicum , Ruth , Regum libri 4. Paralipomenon libri 2. Iob , Psalterium , Salomonis libri 5. Libri duodecim Prophetarum , Hesaiâs , Hieremias , Ezechiel , Daniel, Tobias , Iudith, Esther , Esdræ libri 2. Machabeorum libri 2. Novi testamenti Evangeliorum libri 4. Actuum Apostolorum liber 1. Epistolæ Pauli 14. Petri Apostoli epistolæ 2. Ioannis Apostoli 3. Iacobi Apostoli 1. Iudæ Apostoli 1. Apocalypsis Ioannis Apostoli liber 1.* Meminit huius Canonis D. Augustinus epist. 235. Ad Quintianum , ubi dicit , eodem Concilio statutum de libris Canonicis , quo cautum fuit , ne clericos alterius alter Episcopus reciperet , quod reperitur canone 21. Concilij Carthaginiensis 3. Cui adfuere Aurelius Carthaginiensis , Augustinus Hypponensis , alijque quadraginta quatuor Episcopi tempore Syricij Papæ anno 397.

Canon. 47. Carthag. 3.

2. Scio Annalium Parentem obstare epochæ huius Synodi , quod habeatur in quodam vetusto codice : *de confirmando isto Canone transmarina Ecclesia consulatur.* Editio autem vulgata habeat istorum verborum loco : *hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesiâ legenda.* Ex quibus collegit Baronius,nõ sub Siricio,sed Bonifacio potius hunc Canonem statutum fuisse sæculo quinto. Verum Baronio se opponit Cardinalis Perronius, qui in replic. contrà Angliæ regem cap.48. duo reponit, quorum unum

Codex M. S.

unum est, loco *Bonifacij* legendum esse *Siricij*, ut patet ex Canone 48. Carthaginiensis tertij immediatè sequenti: *de Donatistis placuit, ut consulamus fratres & consacerdotes nostros Siricium & Simplicianum.* Aliud verò, si *Bonifacij* nomen retinendum sit, hoc de consulendâ Romanâ Ecclesiâ additum non fuisse in Carthaginiensi 3. sed aliquo posteriore Concilio, quod Canonem repetens eum, ut omni dubitatione obviam iret, ad Bonifacium primum mittendum duxit, cui obesse non debet, quod ante Bonifacium primum Innocentius Papa similem catalogum librorum Canonicorum epistolæ 1. Ad Exuperium inseruisset, quandoquidem notum non erat in Africâ, quid Romanus Pontifex ad Gallicanum Episcopum scripserat in speciali epistolâ.

3. Ad quem autem Pontificum relatus sit Canon de libris Canonicis, parum interesse existimem, dummodò constet, ab Africanorum Præsulum Concilio Sedem Apostolicam desuper fuisse consultam: per illud enim verificant Patres, Africam in fidei quæstionibus retulisse ad Romanam Ecclesiam, ut ad suum originem recenseretur Traditio, & unde fides advenerat, illinc & fidei regula repeteretur. In libris Canonicis, qui verbum Dei scriptum continent, primum intuemur Afrorum ergâ Sedem Apostolicam venerationis signum, illudque tantò magis admiramur, quantò instantius Romanæ Ecclesiæ sensus & judicium ab Afris expostulabatur: si non duo, unum saltem fuit ex Provinciis Africæ circà initium quinti sæculi collectum Concilium, quod Canonem de libris Canonicis ad Romanæ Ecclesię Traditionem recenseri jussit: dumque Synodum illam sub Aurelio Carthaginiensi Episcopo, & Augustino omnium Sanctorum Patrum Coripheo celebratam agnoscimus, de consulendâ in rebus fidei Romanâ Ecclesiâ ne in posterum dubitemus. Statuerat hoc Canone Africana Ecclesia de libris Canonicis, & statutum amplectitur libro 2. de Doctrinâ Christianâ cap.8. magnus Augustinus, qui enumerans veteris testamenti libros tam historicos, quam legales, & Propheticos in canone suprà relatos, subdit: *His quadraginta quatuor libris veteris testamenti terminatur authoritas.* Augustinus. Eadem sese scripsisse attestatur S. Doctor libro 2. retractationum, cap.4. *Dixi: his quadraginta quatuor libris testamenti veteris terminatur authoritas.* Neque hoc dicit Augustinus, ut dictum retractet, sed ut *veteris testamenti* vocabulum exponat. *Ex consuetudine*, inquit, *quâ jam loquitur Ecclesia, vetus testamentum appellavi: Apostolus autem non videtur appellare vetus testamentum, nisi quod datum est in monte Sinai.*

 4. Irre-

4. Irrefragabile huius Canonis argumentum sese infringere non potuisse agnovit vir quidem doctus, sed adversæ partis Christophorus Justellus, ideoque in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Græcè-latinè à sese edito ad illa verba Canonis 24. *Machabeorum libri 2.*

Justellus. notat: *Hic canon Carthaginensis Concilij extat in Collectione Canonum Cresconij Africani Episcopi nondum editâ, sed ibi Machabeorum libri non recensentur, nec in omnibus græcis Codicibus editis, & M. SS.* Solos Machabeorum libros impugnandos ducit Christophorus Justellus, sed ex quibus fundamentis, quam ex vanis coniecturis. Græci Codices tam manuscripti, quam per Zonaram, Balzamonem, aliosque græcos editi, non habeant hoc ipsum *de duobus Machabeorum libris*, parum interest, cum non græcè sed latinè per annos septingentos & plures ante Balzamonem fuerint conscripti. Speciosius quidem videtur, quod ex Cresconio desumitur, qui cum Africanus fuit Episcopus, in editâ nunc temporis tomo 1. Bibliothecæ juris Canonici collectione Canonem 24. Carthaginiensis Concilij de scripturis canonicis citat, omissis duobus Machabeorum libris. Sed Cresconio antiquior Dionysius Exiguus, qui sub Justiniano Imperatore primus, quod sciam, Canones Africani Concilij sub certis numeris Canonum collectioni inseruit, & canone 24. hoc de duobus Machabeorum libris expressit? Cresconius sanè Codice illo Dionysij Exigui usus fuit, ut constat ex versione omnium græcorum Canonum, & numerorum citatione, quæ à Dionysio Exiguo mutuavit: & cum in collectione Cresconij illud desit de libris Machabeorum, vel vitio exscriptoris, vel ipsius Cresconij inadvertentiæ adscribendum venit, cum & omnes latinorum Conciliorum editiones in Concilio Carthaginiensi 3. eadem illa contineant. Quod si dubitandum existimes, dubitari saltem non sinit, qui Canonis constitutioni interfuit D. Augustinus, cuius hæc est decantata toties lib. 18. de civitate Dei, cap. 36. sententia:

Augustinus. *Libros Machabeorum non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

5. Cæterum si inquiratur, cur adversæ religionis viri in libros Machabeorum calamum præcipuè constringant, notum est apud omnes in controversiis versatos, id potissimum fieri ob locum ex libro. 2. cap. 12. de argento à Iuda Machabeo Hierosolymam transmisso, ut offerretur exinde sacrificium pro peccatis mortuorum, unde auctor istius Libri concludit: *sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Hic nodus, quem dum novatores solvere non potuerunt, librum Machabeorum inter apocryphos reiecerunt:

reiecerunt: nempe eo devenire debuit adversantium Romanæ Ecclesiæ miserum in rebus fidei effugium, cui ut viam occludamus, nullo alio quam magni Augustini testimonio egemus, quod libro.1. de curâ pro mortuis gerendâ cap.1. hisce verbis concipitur: *in Machabeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio mortuorum.* Quod liber de curâ pro mortuis Augustini sit, ex secundo Augustini de retractationibus libro indubitatum efficitur, ut ex præcipuo totius Africanæ Ecclesiæ lumine non modo libri Machabeorum, sed & ipse locus de oratione pro mortuis, ob quem à novatoribus impetuntur, maneant stabiliti. Addunt Dionysius Exiguus & collectores Greci in collectionibus Africanorum Canonum, hunc de scripturis Canonem antiquæ Patrum Traditioni esse conformem: *quia à Patribus ista accepimus in Ecclesiâ legenda.* A Patribus, inquiunt Præsules Africani, qui cum initio quinti sæculi florebant, libros Machabeorum per manus receperant maiorum, inter quos eminuerat S. Cyprianus, qui libros Machabeorum in Canone suo tempore receptos docuit, ut constat ex epistolâ 56. ad Thibaritanos, & libro exhortatorio ad Martyres cap. V. & XI. ubi loca ex ijs laudat, uti & Tertullianus primis Africanæ Ecclesiæ temporibus contra Iudeos cap. 4. Augustin.

CAPUT II.

De Traditionibus in Africâ receptis, ubi de jejunio, oblationibus pro mortuis, ac crucis signo.

1. *Traditiones reÿciuntur ab hæreticis, sed probantur à Catholicis, & signanter à D. Augustino, cuius testimonium adfertur.*
2. *Augustino antiquior Tertullianus, qui ab initio Africanæ Ecclesiæ pro Traditione non scriptâ pugnavit, ut testimonia eius luce clariora evincunt.*
3. *Primum Traditionis exemplum de Sacramento Eucharistiæ tempore*

victus sumendo ex Tertulliano adfertur, & Africana Ecclesia consuetudo in abstinendo à sacrâ Eucharistiâ tempore jejunij usque ad vesperam.

4. *Excepta erat in quadragesimâ dies cœna, sicut & dies stationum, quibus horâ nonâ sacrificium offerebatur in Africâ.*

5. *Secundum Traditionis exemplum sumitur ex oblatione pro mortuis, pro quâ adferuntur testimonia Tertulliani, Cypriani & Augustini.*

6. *Tertium Traditionis exemplum sumitur ex signo Crucis, quod semper in Africâ adhibitum, & numquam olim omissum.*

1. INter devia novatorum somnia unum est, idque longè absurdissimum, quo contrà Traditiones calcaneum erigunt. Scribebat quondam Tertullianus de carne Christi cap.2. *Si tantum Christianus es, crede, quod traditum est.* Sed priscæ huic doctrinæ repugnat erronea Lutheri in com. ad cap.1. ad Galatas, Brentij in prolegomenis, Calvini lib.4. institut. cap.8. §.8. aliorumque sententia, quod nulla Traditio prçter testimonia scripturç agnoscenda sit pro dogmate necessario: Et si Apostoli quædam instituerint præter scripturam, hæc ad ritus & ordinem Ecclesiæ pertinere, ac libera fuisse, neque hodie certò agnosci posse. Falsa veris permiscent, quo incautos facilius decipiant, quæ tamen subtiliter distinxit magnus Africanæ Ecclesiæ Doctor Augustinus epist.118. ad Ianuarium, cum illas traditiones liberas dixit, quæ variant in regionibus catholicis, illas verò necessariò observandas agnoscit, quæ per universam sub cælo tenentur Ecclesiam: operæ-precium erit eius verba referre: *Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ celeberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio & resurrectio & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus Sancti anniversariâ solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universâ quacumque se diffundit Ecclesiâ. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut est, quod alij jejunant Sabbato, alij verò non: alij quotidiè communicant Corpori & Sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico, & si quid aliud huiusmodi animadverti, totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit*

Augustin.

derit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit. Hæc Augustinus, quo testimonium de Traditionibus perhibente, obstructa manere oportet hæreticorum ora, quæ in debellando tam firmo religionis nostræ fundamento potius insaniunt, quam verisimile quidquam in lucem proferunt.

2. Augustino antiquiorem addimus idque ex Carthaginiensis Ecclesiæ clero Tertullianum, qui libro de coronâ militis agens de Traditione, quæ ex authoritate scriptâ ortum ducere credebatur, pergit de non scriptâ: *Ergò quæramus, an & Traditio non scripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento solius Traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesiâ sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & angelis eius, dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, exque eâ die lavacro quotidiano per totam hebdommadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annuâ die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à Die Pascha in Pentecostem usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies, Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinituram aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces.* Et infrà alio de velamine virginum proposito exemplo: *His igitur exemplis*, inquit, *renunciatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine idoneâ teste probata tunc Traditionis ex perseverantiâ observationis.* Hæc Tertullianus, quo scriptore Africana Ecclesia non habet antiquiorem, & orbis catholicus desiderare nequit illustriorem Traditionis non scriptæ confirmatorem. Exempla ex Traditione laudata primævam Africanæ Ecclesiæ spirant in ritibus consuetu-

Tertullian.

consuetudinem, & quia pleraque faciunt ad fidei Catholicæ maiestatem contrà novatores tutandam, omissis ijs, quæ de baptismo scripsit inferius à nobis attingenda, cætera parum latius hic exponemus.

3. *Eucharistiæ Sacramentum*, inquit, *& in tempore victus*, sumimus, nec ratione caret addita de tempore victus particula, ut enim

Albaspineus. „ observat Gabriel Albaspineus libro. 1. observ. 14. „ primis sæculis „ Christianos iniectâ quadam religione, metuque proposito videmus „ prohibitos tangere, videre, sumere, atque adeo sacrosanctum „ Domini nostri Corpus consecrare, quo tempore jeiunium celebra„ rent: propterea planum est diebus illis, quibus jeiunia integra „ exercebant, hoc est, quibus abstinebant, usque ad auctoritatem „ demorantis stellæ, ut loquitur Tertullianus, numquam missas ce„ lebrasse, neque Eucharistiam præbuisse manducandam, consue„ tudinemque ac morem illum missas celebrandi, diebus jeiuniorum „ non usurpari solitum, nisi cum dimidiato die, non autem pleno „ atque integro jeiunium observandum judicarint. „ præclarum est hoc Gabrielis Albaspinei documentum, quod ut clarius exponamus, notandum ex Augustino epist. 119. inter illa jeiunia, quæ integro die

Augustin. observari consueverunt, reputandam esse quadragesimam: *quadragesima sanè jeiuniorum habet auctoritatem*. Addit ex quadraginta dierum jeiunio per Moysem & Eliam in veteri, & per Christum in novâ lege observato consuetudinem in Ecclesiâ roboratam: *nam ut quadraginta illi dies ante pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit.* Ex quibus conficimus, observatum fuisse in Africâ, quod Canon 49.

Canon. 49. Laodicen. Laodicenus statuit pro Phrygiâ: *non oportet in quadragesimâ panem offerri*, excipit Dominicam, ut & Tertullianus supra, *namque*, inquit,

Tertullian. *Die Dominico jeiunium nefas ducimus*. Unica excipiebatur in hebdommadâ sanctâ feria quinta, quæ memoriam ingerebat cœnæ dominicæ,

Ianuarius. de quâ Ianuarius epist. 118. quæsierat ab Augustino: *quid per quintam feriam ultimæ hebdommadis Pascha fieri debeat, an offerendum sit manè, & rursus post cœnam tantummodo offerendum, an etiam jeiunandum & post oblationem sicut facere solemus, cœnandum.* Quo ultimo D. Augustinus morem Africanæ Ecclesiæ jeiunandi usque ad vesperam, & post missam tunc celebratam Afros cœnare solitos innuit, de quo lib. 2. Ad uxorem Tertullianus loquens de ethnico, cuius uxor Christiana est:

Tertullian. *quis denique solemnibus Pascha abnoctantem uxorem securus sustinebit? quis ad convivium Dominicum illud, quod infamant, sine suâ suspicione dimittet?*

4. Erat

4. Erat cœna Domini excepta in quadragesimâ, quod esset similis dies illis, qui stationum dicebantur, quibus dimidiata servabantur jejunia. Unde Tertullianus libro 2. ad uxorem facit distinctionem inter jejunium & stationem: *ut si statio facienda sit, maritus de die condicat ad balneas, si jejunia observanda sunt, maritus eâdem die convivium exerceat*. Jejunium in primitivâ Ecclesiâ observabant fideles eundo summo manè ad Ecclesiam, horrido, inculto, cinereque consperso sacco squalidi, sese prosternebant ante conspectum Domini, ac omni genere præcum, orationum, jejuniorum armati manantibus ubertim ex ore lacrymis Dominum exorabant, idque extrà tempora consueta, etiam ijs, quibus pro inclementiâ aëris deprecabantur, & ita Tertull. testatur, *quando geniculationibus & jejunationibus nostris depulsa non sunt siccitates?* & tunc in communi fidelium luctu moris non erat sacrificium offerre, Zonara namque testante: *Sacrificare Deo festivæ celebritatis est, ea verò celebritas hilaritatis atque lætitiæ*. Aliud est de die stationis, quæ ut lib. de oratione Tertullianus testatur, *de militari exemplo nomen accepit*, nam quemadmodum, inquit Albaspineus, excubiæ militum, & eorum præ foribus palatij standi, excubandive functio, statio vocabatur: ita verisimile est, Christianos moram illam, quam in Ecclesiâ faciebant pro fidelium tutelâ, excubias & stationem vocasse, fiebatque à summo manè usque ad horam nonam, intereà quod fideles precibus & rerum divinarum contemplationibus vacabant, corporaque jejuniis, adgeniculationibus, lachrymis, pœnis, & laboribus exercebant: denique horâ nonâ sacris peractis, & Eucharistiâ acceptâ (nam numquam à statione nisi eâ acceptâ recedebant) stationem solvebant, domumque revertebantur. Unde illud quorumdam apud Tertullianum lib. de oratione: *quod statio solvenda sit accepto corpore Domini*. Nec aliud reponit Tertullianus, quam post acceptum Corpus Domini stationem durare posse, licet aliqui velint perseverare non debere: *Ergo*, inquit, *devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? accepto Corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificij, & executio officij*. Atqui ad exemplum stationum, quæ diebus Mercurij & Veneris observabantur in Africâ, frigescente posteà fidelium Charitate ordinata sunt jejunia, quibus horâ nonâ finientibus Sacrificium subsequebatur, donec & decrescente fervore Christiano sacrificium promiscuè omnibus anni diebus celebrari consueverit, idque ante horam sextam, quæ cum duode-

Tertullian. Zonaras. Tertullian. Tertullian.

duodecimâ nostrâ seu meridie coincidit, finito celebrationis tempore.

Tertullian. 5. Pergit Tertullianus loco superius relato: *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.* Idem Tertullianus libro de monogamiâ loquens de muliere, cuius vir obiit: *pro animâ eius oret*, inquit, *& refrigerium interim adpostulet ei, & in primâ resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius, nam hac nisi fecerit, verè repudiavit, quantum in ipsâ est.* In annuis illis oblationibus, quæ ad epulas aut agapas spectant, infrà tractaturus, hic non moror, sed solum *in oblationibus pro defunctis*, & *oratione pro animâ defuncti*, cui refrigerium vivens adpostulet, & in primâ resurrectione consortium, quod certè locum non habebit, nisi ut ante ex libris Machabeorum vidimus, salubris, & sancta cogitatio esset, pro mortuis

Cyprianus. exorare. Sanctus Cyprianus prædecessorum statuta considerans, *censuerunt*, inquit epist.66. Ad presbyteros & Diaconos Furnis consistentes, *ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Pergit de Victore: *cum contrà formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium, Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesiâ frequentetur.* Ex quibus non solum habemus præclarum ex Synodo Africanâ testimonium, sed & D.Cypriani sensum de oblatione & oratione pro mortuis indubitatum: id quod B. Monica Augustini mater pro comperto ha-

Augustinus. bens *imminente die resolutionis suæ*, inquit B. Augustinus lib.9. confess. cap.13. num.3. *non cogitavit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus: aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium: non ista mandavit nobis, sed tantummodò memoriam sui, ad altare tuum fieri desideravit.* Matris præces excepit Augustinus, & eodem cap.13. pro matre defunctâ orat, *Fundo*, inquiens, *tibi deus noster pro illâ famulâ tuâ longè aliud lachrymarum genus &c.* Et eos, qui negabant sacrificandum pro mortuis, ut hæreticos damnandos in Aerio ostendit libr. de hæresibus Augustinus, cuius solius perlectione, cum nobilissima quædam matrona ministros rogasset, an negare possint Augustinum de orationibus pro defunctis testantem? sectam novatorum abjuravit, & ad Catholicæ religionis castra transivit.

6. Omitto triginta alia Traditionis capita ab authoribus Afris posteritati

steritati consecrata, hoc caput, cum verbis Tertulliani finio: *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Consonat Cyprianus epist. ad plebem Thibari consistentem: *Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur.* Et auctor in opere de Baptismo Christi, quod est inter cætera Cypriani: *In cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.* Loquitur omninò auctor, cum D. Augustino tract. 118. in Ioannem. *Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aqua, quâ regenerantur; sive oleo quo Chrismate inunguntur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Si ullum, hoc saltem signum erit religionis nostræ hucusque incorruptæ, cum, quod Africana Ecclesia signum Crucis semper adhibuit, nostra in occidente ad Romanæ Ecclesiæ Traditionem numquam prætermisit. Et dum hoc signum veræ religionis contrà vicinos hæreticos erigimus, dicimus cum Basilio Græcorum Imperatore, hoc ipsum in scripturis expressum non inveniri, *Quæ enim* inquit, *scriptura salutifera crucis signaculo fideles docuit insigniri?*

Tertullian. Cyprianus. Augustin. Basilius Imperat.

CAPUT III.

De Ecclesiis Africæ seu memoriis Martyrum, ubi & de epulis ad memorias Martyrum fieri consuetis.

1. *Cum olim super Martyrum corpora erigebantur altaria, postmodum in Italiâ nulla dedicata sunt Basilica sine reliquiis Martyrum.*
2. *Vti Romæ, ita Carthago in Africâ, ubi primo in cæmeteriis conveniebant, & pace Ecclesiis redditâ altaria sine veris Martyrum reliquiis erant prohibita. Adducti hanc in rem canon Codicis, & D. Augustinus.*
3. *Ex Martyrij loco aut Martyrum sepulchro Basilicæ in Africâ vocata sunt Martyria, in quorum altaribus inclusæ reliquiæ, per quas plurima fiebant miracula, quæ ex D. Augustino repetuntur.*

4. ***Epula per Africam in memoriis Martyrum fieri consueta usque ad tempora Beatæ Monicæ, hacque ex traditione antiquâ in Ecclesiis recepta esse, & olim quidem vesperè in Africâ celebrata teste Tertulliano.***
5. ***Quod B. Monica in Africâ Agapas instruere solebat, hoc à D. Ambrosio in Italiâ facere vetabatur, ratio ex abusu desumpta & à D. Augustino allata occasionem quoque dedit Agaparum usum auferendi ab Africâ.***
6. ***Faustus Manicheus Agapas rejiciebat, quod parentalibus gentilium similes essent, nec negat Augustinus, sed consentit. Parentalia gentilium exponuntur, & in Africâ durasse usque ad tempora Augustini ex Canone 60. Codicis stabilitur, ex quo & Agaparum usus Imperatorum rescriptis sublatus colligitur.***

1. Mirabitur forsan aliquis, quid in causâ esse potuerit, quod Ecclesiæ apud antiquos Afros vocarentur memoriç Martyrum. S. Augustin. lib. 22. de civitate Dei, c. 10. *nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus:* huius autem nominis originem indagaturus Cardinalis Bona lib. 1. de rebus liturgicis, cap. 19. num. 5. eum repetit ab antiquo Christianorum more, quo fideles ad effugiendam persecutorum tyrannidem primo & secundo sæculo in areis & cæmeteriis, in quibus Martyrum corpora quiescebant, ad synaxim peragendam convenirent, unde sæculo tertio statuit Felix 1. *supra sepulchra Martyrum missas celebrari.* Et sæculo quarto, cum Dei nutu extinctis tyrannis, & profligato ethnicismo jam liceret ubique in Italiâ Christo Deo templa erigere, castè custoditum fuit, nullam omninò Basilicam sine Martyrum reliquiis consecrari, unde Ambrosius epistolâ 54. ad Marcellinam sororem: *cum Basilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare cœperunt dicentes: sicut in Romano, sic Basilicam dedices. Respondi, faciam si Martyrum reliquias invenero.* Addunt „ Christianus Lupus, & Cardinalis Bona: „ reperit verò Sanctorum Martyrum Gervasij & Protasij reliquias, atque ita Romano „ more dedicavit. „

[Margin: Augustin.] [Margin: Felix 1.] [Margin: Ambrosius.] [Margin: Lupus.]

2. Quod Romæ in Italiâ, hoc Carthagine tamquam in alterâ orbis Africani Româ observatum fuit: cum S. Cyprianus in Carthaginiensi civitate à Paterno Proconsule de presbyteris suis interrogatur, referunt acta Martyrij, quorum meminit Pontius Cypriani Diaconus, Proconsulem dixisse de edicto in Africâ contrà fideles publicato: *jussum est, ut nulla Conciliabula faciant, neque cœmiteria ingrediantur.* Nec cœmite-

[Margin: Acta Passionis Cyprian.]

cœmiteriorum ingressum sacerdotibus Afris obiecisset Proconsul, nisi, eos una cum plebe suâ in cœmiteriis frequentius convenisse, denunciatum fuisset. Si perantiquum Carthaginiensis Ecclesiæ presbyterum Tertullianum consulamus, libro de coronâ militis loquitur *de antelucanis cœtibus*, qui in locis à gentilium conspectu remotis, qualia cœmeteria erant sub terrâ, per noctem vel summo mane cogebantur, & quia illis in locis martyres suos sepelire consueverat non Roma solum sed etiam Africa, ad antiquæ Romæ consuetudinem Afri super sepulchra martyrum sacram liturgiam celebrabant, & florescentis Ecclesiæ initio in ijs solum locis templa erigebant, in quibus Corpora martyrum condita agnoverant, aut passionem eorum peractam receperant. Egregius est Canon Carthaginiensis cuiusdam Concilij *de falsis memoriis martyrum* relatus tit.83. Codicis Africanæ Ecclesiæ: *item placuit, ut altaria, quæ passim per agros, & per vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur: si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententur, ut qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione devincti teneantur, & omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnimodò improbentur.* Falsæ memoriæ martyrum erant sacella & oratoria per agros & vias in Africâ sine reliquiis martyrum erecta, eaque cum altaribus suis everti mandat Synodus Carthaginiensis, quod sciret hæc ex somniis & inanibus quorumlibet hominum revelationibus tanquam martyria ubicumque fuisse extructa, cũ juxta Romanæ Ecclesię morem, quem Africa sequebatur, ibi solum altaria essent erigenda, ubi vera martyrum extabat memoria. *Populus Christianus*, inquit D. Augustinus lib.20. Contrà Faustum, cap.21. *Memorias martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria.*

Tertullian. Canon.83. Cod. Afric. Augustin.

3. Ex locis ubi Martyres sanguinem suum fuderant, aut eorum corpora sepulta erant, templa ibidem constructa memoriæ Martyrum vocata fuere in Africâ, unde templa illa, quorum meminit Victor

 Vitensis

Vitensis libro.1. in honorem D. Cypriani extructorum, unius quidem, ubi sanguinem fudit, alterius verò ubi corpus eius sepultum erat, dici poterant memoriæ Martyrum, & si Procopio testante Carthaginienses Cypriano templum magnificum ante urbis mœnia ad littus maris statuerint, id dedicari numquam potuit, nisi Martyrum reliquiis in eo collocatis, ut memoria Martyris non minus esset, quam nuncuparetur. Observatione dignissimum est, quod Baronius tomo 5. annalium in huius rei confirmationem adfert de reliquiis S. Stephani Martyris. Scribit Marcellinus in Chronico de Orosio hispaniæ presbytero; *missus ab Augustino Episcopo idem Orosius, pro discendâ animæ ratione ad Hieronymum presbyterum, reliquias Beati Stephani nuper inventas rediens, primus intulit occidenti.* Addit Severus Minoricensis Episcopus in epistolâ encyclicâ per Baronium ex Codice vaticano ad ann.418. primùm publicatâ, Orosium ad Minoricam insulam appulisse, *qui postquam transvehi ad Hispanias sicut desiderabat, nequivit, remeare ad Africam denuo statuit.* Sicque factum est, S. Stephani protomartyris reliquias in Africam allatas, in quorum honorem memorias seu Ecclesias ubique per Africam fuisse exstructas plur bus enarrat D. Augustinus lib.22. de civitate Dei, cap.8. *Nondum est autem biennium*, inquit, *ex quo apud Hipponem-regium cœpit esse ista memoria: ... Calamæ verò, ubi & ipsa memoria prius esse cœpit.... Vzali etiam, quæ Colonia Vticæ Vicina est, multa præclara per eumdem Martyrem facta cognovimus, cuius ibi memoria longè priusquam apud nos ab Episcopo Evodio constituta est.* Alias plerasque civitates enumerat Baronius ex Africâ, quæ de sanguine cum tenuissimis fragmentis ossium S. Stephani per Orosium allatis receperant, & in eorum honorem memorias construxerant, ac sub altari in ijs erecto per fenestellam, ut loquitur Evodius, aut *foramen*, ut appellat Hormisda, easdem reliquias recondiderant. Scribit Evodius de Miraculis S. Stephani lib.1. cap.12. de muto ex paralysi facto: *exuens sibi manicam tunicæ suæ, eo quod orarium non haberet, per fenestellam memoriæ ad interiora loca sanctarum reliquiarum manu iniecta mittebat, atque exindè rursum dexteram reducens ori suo admovebat, & linguam contingendo paulatim nodos loquendi gratiâ fidei persolvebat.* Quo ex loco non modo constat de fenestellâ altaris, sed etiam de miraculo obtento ex cultu reliquiarum, quod ne solitarium quisquam existimet, D. Augustinus lib.22. cap.8. Addit alia miracula per attactum reliquiarum S.Stephani obtenta, ut mulieris cæcæ ad Aquas Tibilitanas, ubi memoria eiusdem Martyris

Marcellinus.

Severus Episcopus.

D. Augustin.

Evodius.

Martyris constructa erat: Lucilli Episcopi in Castello Synicensi, qui in eo memoriam Martyris fabricare fecerat: mortuorum quam plurium per oleum S. Martyris, aut exanimi Corporis super altare Martyris collocationem ad vitam revocatorum: unde Baronius occasionem desumit invehendi in perfrictâ fronte Hagiomachos adversus sanctorum reliquias bella gerentes, & contrà impetrata sanctorum ope miracula impiè debachantes. Ne verò hanc ex genuinis Africanæ Ecclesiæ actis per Augustinum præcipuum Ecclesiæ Doctorem descriptis partam contrà novatores Victoriam eminentissimo Annalium parenti eripuisse videar, & cultum reliquiarum, & invocationem sanctorum, & impetrata ope Martyrum miracula relinquo, & ad memorias Martyrum reverto, in quibus epula speciali consuetudine apud Afros fiebant.

4. Curiosum est quod magnus Augustinus libro 6. Confessionum, cap. 2. de matre suâ Monicâ Mediolani secum demorante testatur: *cum itaque ad memorias sanctorum, sicut in Africâ solebat, pultes, & panem & merum attulisset.* Addit id fieri consuevisse, ut partim sumeret, partim largiretur alijs: *sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multa essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat: quod jam non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum, cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur.* Nec novum hoc fuit in Africâ sed ex antiquo agaparum more à temporibus Apostolorum introducto sumebat originem. Scribit S. Judas Apostolus cap. 1. suæ Epistolæ, *hi sunt in Agapis*, sive ut vetus interpres vertit, *epulis vestris maculæ, dum vobiscum epulantur, sine timore se ipsos pascentes*, ad quem locum Oecumenius, & S. Eligius Noviomagensis Episcopus Sermone 15. quod tunc temporis mensæ essent in Ecclesiis, quæ parabantur: unde Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit. Vocatur Agape, id quod dilectio penes græcos est, quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Si quidem inopes quosque refrigerio isto juvamus.* Et infrà: *non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis utile, ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.* Ad quæ verba Gabriel Albaspineus lib. 1. observ. 18. rectè annotat, hanc

Augustin.

Iudas Apost.

Tertullian.

hanc Agapem ut cœnam vesperè fieri tunc solitam: nisi enim nocti proximum fuisset hoc convivium, non dixisset Tertullianus, eos meminisci debuisse, dandam de nocte operam orationi. An hoc semper in Africâ vesperè fieri consueverit, haud habeo dicere, nullum enim apud scriptores Afros de hisce conviviis invenio testimonium, præterquam apud D. Augustinum, quod tamen de continuatâ epulorum consuetudine in Africâ extat indubitatum. B. Monica ipsius mater cum canistro fructibus pleno ad memorias Martyrum ire consueverat, & ubi pultes, panem, & merum in templo mensâ ad id erectâ posuisset, ipsa prægustabat pocillum, & tunc adstantibus pauperibus largiebatur, sique aliæ essent Martyrum memoriæ hisce epulis honorandæ, reliquum quod ex cibo & potu supererat, secum capiens ad alias Martyrum memorias deportabat, ibique mensâ extructâ post gustatum cibum circumstantibus erogabat.

5. Quod B. Monica in Africâ facere consueverat, hoc in Italiâ Mediolani cum peragere tentasset, ab ostiario facere prohibita fuerat, & *ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit*, inquit D. Augustinus, *tam piè atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.* Quod ab Apostolorum tempore Agapæ non minus Romæ, & Mediolani, quam aliis in regionibus fuerint observatæ, ex eo colligere licet, quod D. Ambrosium suo tempore eas primum prohibuisse dicat Augustinus, cumque Africa fidem suam cum ritibus ab Italiâ mutuarit, facile colligere licet, agaparum morem cum cæteris Christianorum ritibus exinde susceptos. Unde consueta ante Tertulliani tempora epula, libro 20. contra Faustum, cap. 20. adhuc viguisse attestatur Augustinus: *Agapæ nostræ pauperes pascunt, sive frugibus sive carnibus.* Et infrà: *quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis mortuorum.* Et capite 21. cum Faustus Manicheus dixisset: *nos vertisse idola in Martyres, quos votis, inquit, similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis & dapibus.* Respondet Augustinus, populum Christianum memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrare, *qui autem*, inquit respiciens ad Agapas, *se in memorias Martyrum inebriant, quomodo à nobis approbari possunt, cum eos etiam si domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet?* Agapas quidem religiosè institutas tuetur Augustinus, sed quosdam exinde occasionem sese ingurgitandi sumpsisse non diffitetur, unde & Concilium Carthagi-

Augustin.

Faustus Manicheus.

Augustin.

Carthaginiense 3. sub Aurelio statuit Can.30. *ut nulli Episcopi vel clerici in Ecclesiâ conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur, populi etiam ab huiusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.* Adfuit D. Augustinus huic Carthaginiensi Concilio, nec ex obiectis modo à Fausto scandalis, sed ex Ambrosij quoque decreto edoctus, *ista fieri non debere nec ab eis, qui sobriè facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis.* Unde consensit demùm anno.397. Morem illum Episcopis & clericis Afris interdicendum esse, populum vero ab huiusmodi conviviis, quantum fieri poterat, prohibendum. Canon. 30. Concilij Carthag. 3. Ambrosius.

6. Aliam rationem obiecerat Faustus, Agapas Christianorum similes fuisse Sacrificiis mortuorum, ad quod D. Augustinus nihil aliud reposuit, *quam quorum nonnullis in hoc quoque similes estis.* Ac si dixisset, id quidem verum esse, sed non ex eo, quod aliquis ritus Christianorum similis sit ritui paganorum, ideo statim esse explodendum. Nec similitudinem illam negare potuit Augustinus, cum sciret, convivia illa in memoriis Martyrum celebrata eis fuisse planè similia, sic enim scribit libro 6. Confess. cap. 2. de matre suâ Monicâ ab Agapis abstinente: *quia illa quasi parentalia, superstitioni gentilium essent simillima.* Parentalia teste Calepino, nihil aliud erant quam *convivia, quæ in parentum aut propinquorum funeribus fieri consueverunt.* D. Hieronymus autem in Hieremiam exinde parentalia dicta tuetur, quod hoc officij genus filij parentibus præstarent. Et revera habet Ovidius 2. Fastorum: Augustinus. Calepinus.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus author,
Attulit in terras juste latine tuas,
Ille Patris genio solemnia dona ferebat.
Hinc populi ritus edidicère novos,
At quondam dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruère dies. Ovidius.

Parentalium ritus tandem desiisse Romæ scribit Ovidius, & Cicero Philippicâ primâ: *an me censetis, P.C. quod vos inviti secuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rempublicam inducerentur? ut decernerentur supplicationes mortuorum?* plura addit, neque adduci se posse, ut quemquam mortuum cum Deorum religione conjungat: *ut cuius sepulchrum nusquam extet, ubi parentetur, ei publicè supplicetur.* Ex quibus, quidquid colligi possit de Parentalibus Romæ sublatis, ea tamen in Africâ Cicero.

L perseve-

perseverasse, non ex Augustino dumtaxat colligimus, sed ex canone 60. Codicis Africani *de paganorum conviviis*, ubi: *illud etiam petendum, ut quoniam contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, ita ut nunc à paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occultè videatur: vetari talia Iubeant, & de civitatibus, & de possessionibus impositâ pœnâ prohibere: maximè cum etiam in natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant: ut matronalis honor & innumerabilium feminarum pudor devotè venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur: ut etiam ipsius sanctæ religionis penè fugiatur accessus.* Quo ex canone non modo constat, quibusdam in Africæ locis convivia parentalia à paganis fuisse instructa, sed & Christianos in Africâ per paganos ad convivia in memoriis Martyrum retinenda fuisse coactos, quibus dum impij fideles saltationes, choreas, & lascivias quam plurimas superadderent, nec Ecclesiasticis statutis obedirent, visum est, ad brachium seculare recurrere, & Imperatorum rescripto pœnis armato omnem conviviorum in Ecclesiis ritum ex Africâ tollere.

Canon. 60. Cod. Afric.

CAPVT IV.

De pace à Martyribus petitâ, & Afrorum Episcoporum auctoritate in eâ concedendâ.

1. *Antiqua Martyrum in Ecclesiâ auctoritas erat considerabilis.*
2. *Eam exercebant in dandâ lapsis pace, quam pœnitentiâ functis dari permiserat Zephyrinus, contra quem declamat Tertullianus in hæresim lapsus.*
3. *Tertulliani locus exponitur, & sicut ille ita Lucianus Martyr & Celerinus Confessor pacem à Martyribus datam fuisse testimoniis suis confirmant: in ijs tamen excessum quemdam arguit Cyprianus.*
4. *Excessus ille non erat, quod Martyres pacem dabant sine Episcopi absolutione,*

solutione, cum constet lapsos & Mœchos à Martyribus ad Episcopos cum litteris Pacis remissos fuisse, ut exomologesi factâ Pacem haberent ab Ecclesiâ.

5. *Exomologesis ista etiam apud Diaconos fieri poterat tempore necessitatis, nec tamen Diaconi absolvebant, sed uti Episcopi, lapsus remissionem Deo relictam Martyrum meritis obtineri credebant.*

6. *Hinc elucet Martyrum auctoritas, quàm Lucianus aliique excedebant, dum suo non Christi nomine libellos Pacis passim omnibus concedebant, qui & facto tumultu Pacem ab Episcopis extorquebant.*

7. *Ex Martyrum indulgentiâ subsecutus Episcoporum contemptus, quem graviter tulit D. Cyprianus, qui Episcopis reconciliationem vindicavit.*

8. *Refellitur error Albaspinei existimantis Martyres olim absolvisse, cum potius interventione meritorum suorum pro lapsis Deum exorabant, & etiam post mortem suam veniam delicti impetrabant.*

9. *Profuerunt libelli Pacis dati à Confessoribus tam viventibus quam defunctis.*

1. OBservavit jam dudum Gabriel Albaspineus doctissimus Aurelianensium Antistes lib. 1. tit. 20. „ quod antiquitus Ecclesia nihil rarum aut prætiosum habebat, quod non impertiretur „ Martyribus, de omni quasi eius jure, ac authoritate illi succurrebant: etsi nullum ordinem, nullumve characterem haberent, tamen & solvebant, & ex laicis Episcopi, si non dignitate ac munere, saltem potestate fiebant, eoque æstimationis apud homines „ pervenerant, ut plus propemodum authoritatis & ponderis, quam „ vel presbyteri, vel Episcopi haberent. Tertullianus: *Quid ergo?* „ *si Episcopus, si Diaconus, si Viduà, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr* „ *lapsus à regulâ fuerit:* ubi pluris facere Martyres, quam Episcopos, „ & presbyteros, atque aliquid suprà Episcopum addere videtur. „ Huc usque Albaspineus, cui consonat Christianus Lupus in laudatum Tertulliani locum capitis 3. ex libro de præscriptionibus desumptum tradens, Martyrum seu Confessorum summam olim fuisse in Ecclesiâ dignitatem, eumque titulum ab ipsis Episcopis fuisse assumptum, ut habet famosa S. Cypriani Synodus, in quâ legitur: *Confessor Iambus à Germaniciâ, Confessor & Martyr Iader à Midillâ. Martyr Secundianus à Thambeis. Confessor & Martyr Cyprianus à Carthagine.* Quin imò Tertullianum in libro ad Martyres ita ipsos allocutum: *Benedicti* „ *Martyres designati.* Ad quæ verba idem Christianus Lupus. „ Vox

Albaspineus.

Tertullian.

Synod. Carthaginiens. 3.

Tertullian.

Lupus.

„ Benedictus, erat olim titulus adeo eminens, ut etiam Romanus „ Pontifex non haberet eminentiorem : „ quibus verbis alludit ad Tertullianum de pudicitiâ, ubi scribit de Zephyrino : *Benedictus Papa.*

2. Neque Martyres solo titulo, sed re ipsa quoque fuerunt auctoritate insignés, id quod præcipuè elucebat in pace, quam lapsis dare consueverant tum in aliis regionibus, tum etiam in Africanis. Tertullianus libro ad Martyres in principio agens de bello eorum cum dæmone, asserit illos pacem habere cum Ecclesiâ : *quam Pacem*, inquit, *quidam in Ecclesiâ non habentes à Martyribus in carcere exorare consueverunt.* Erant Tertulliani temporibus graves in Ecclesiâ persecutiones, ob quarum evitationem plerique lapsi à communione Ecclesiæ separabantur, alij in fide constantes professionem illius etiam in exilio & carcere tuebantur : commeabant vero lapsi ad carceres pacem à Confessoribus petentes, antequam pro Christo mortem obirent ; „ Ille verò vicissim, inquit Ferdinandus Mendoza in can.25. Illiberitani Concilij, petentium desideria ponderantes singulorum rationes & merita, delictorumque genera expendentes, pacem nonnullis concedebant, eamque libello seu litteris à se subscriptis signatam ad Episcopum destinabant, qui diligentius examinatis singulorum desideriis, pœnitentiâ, exomologesi, & manus impositione præviâ, ad communionem eos admittebat. „ Nec aliud indulserat Martyribus Zephyrinus Papa, contrà quem Tertullianus jam in hæresim lapsus declamat libro de pudicitiâ : *at tu jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione vincula induit, adhuc mollia in novo custodia nomine, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymæ circumstagnant maculati cuiusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt. Violantur viri ac fœminæ in tenebris planè ex usu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de suâ periclitantur : alij ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud Martyrium neccessarium est delictis post Martyrium novis.*

Tertullian.

Mendoza.

Tertullian.

3. Ut verò laudatus Tertulliani locus rectè intelligatur, notandum omninò, tria olim in Ecclesiâ fuisse nominatim delicta, ob quæ delinquentes ab Ecclesiæ communione separati ad finem usque sine pace manebant, ob mœchiam nimirum, Idololatriam, & homicidium, quæ peccata Tertulliano erant ad mortem, & *donare, Deo reservanda*, ut loquitur eodem de pudicitiâ libro. Cum autem Tertulliani tempore S. Zephyrinus Pontifex pacem mœchis pænitentiâ functis dari

Tertullian.

dari permiserat, edito Romæ indulgentiæ decreto ad Africam statim absolutionis usus permeavit, nec ab Episcopis solis, sed & ab ipsis Martyribus in exilio aut carceribus constitutis, qui litteras pacis dare consueverant, mœchi & fornicatores cum lacrymis & præcibus pacem expostulabant. Addit alios ad carceres, alios ad metalla confugisse, unde communicatores revertebantur, & attestantur Lucianus cum alijs Martyribus epistolâ ad Cyprianum inter opera eius XVII. *Scias*, inquiunt, *nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem: & hanc formam per te & aliis Episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum sanctis Martyribus pacem habere. Præsente de Clero, & exorcistâ, & lectore, Lucianus scripsit.* Et idem Lucianus epistolâ inter opera Cypriani 22. ad Celerinum scriptâ: *scire debuisti, quid circà nos actum sit. Cum Benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi: Luciane coram Christo tibi dico, ut si quis post arceßitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo: sed & omnes, quos Dominus in tantâ tribulatione arceßire dignatus est, universi litteras ex compacto universis pacem dimisimus.* Idem à Luciano petierat Celerinus epistolâ 21. *Rogo itaque Domine, & peto per Dominum nostrum IESVM Christum, ut cæteris collegis tuis meis Dominis referas, & ab eis petas; ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeria & Candida tale peccatum remittant.* Hunc Celerinum fuisse quemdam in Africâ Confessorem, colligimus ex litteris D. Cypriani ad clerum Romanum: Lucianum autem fuisse Africanæ cuiusdam civitatis Episcopum, ex Celerini de *collegarum mentione* colligimus, additque Cyprianus epistolâ 23. *Frater noster Lucianus, & ipse unus de confessoribus, fide quidem calidus, & virtute róbustus, minus Dominicâ lectione fundatus, quædam conatus est imperiti jam pridem se vulgi auctorem constituens.* Ex quibus non solum de Episcopatu Luciani constat per titulum fratris, quo Episcopi collegæ se invicem nuncupare solebant, sed etiam de quodam Luciani in concedendâ pace excessu, de quo anxiè quæsitum fuit à peritis.

Lucianus Martyribus. Celerinus. Cyprianus.

4. Audivimus quidem à Tertulliano suprà, mœchos à Martyribus *communicatores reverti.* Additque Cyprianus epist. 23. de Luciano, quod epistolam scripserit omnium nomine, quæ omne evangelium solvere videretur: *scripsit enim omnium nomine*, inquit, *universis eos pacem dedisse, & hanc formam per me aliis Episcopis innotescere velle.* Ex quibus omnibus colligi videtur, mœchos & lapsos pacem accepisse

Tertullian. Cyprianus.

à Martyribus, nec lapsos quidquam petere debuisse ab Episcopis; quam pacis litteris ostensis ab eis in communionem recepi: sed non ita existimandum est insaniisse sanctos Martyres, & Confessores Afros Episcopos. Lucianus, cum respondet ad Celerinum epistolâ editionis Pamelij 22. illo de Pauli litteris pacem continentibus per-

Lucianus. tractato, addit: *secundum praeceptum Pauli & nostrum tractatum, expositâ causâ apud Episcopum, & factâ exomologesi, habeant pacem.* Datâ itaque à Martyribus pace, debebant ad Episcopos accedere lapsi & mœchi, ibique causâ expositâ & confessione delictorum factâ, pacem reverà accipiebant id est Communionem, à quâ per delicta sua separati fuerant. Nec aliud à lapsis requirit Cyprianus epistolâ 13.

Cyprianus. *Quoniam tamen video*, inquit, *facultatem veniendi ad vos nondum esse, & jam aestatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperant, & praerogativâ eorum apud deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint non exspectatâ praesentiâ nostrâ apud presbyterum quemcumquè praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* non dabant pacem Martyres, sed eam per litteras ab Episcopis desiderabant, cumque litteras illas pacis ad Episcopos lapsi aut mœchi deferebant, exomologesim facere debebant suae conscientiae, & per manus impositionem Episcoporum ab excommunicatione soluti pacem accipiebant.

5. Addit D. Cyprianus, hoc ipsum tempore necessitatis non

Cyprian. solum Episcopis, & presbyteris licuisse, verum *& apud Diaconum exomologesim delicti sui facere* potuisse: quae verba cum difficultatem pariant, enodari possunt ex ijs, quae in sequenti ad eosdem presbyteros & Diaconos scripsit epistolâ: *ut qui libellum à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliquâ & periculo cœperint, exomologesi factâ, & manu eis à vobis in pœnitentiam impositâ, cum pace à Martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur. Caeteri vero, qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum nec Ecclesiae unius, aut unius Provinciae, sed totius orbis haec causa est, exspectent ante de Domini protectione Ecclesiae ipsius publicam pacem* &c. Quibus ex verbis uti & sequentibus de expectandâ Concilij hac in re sententiâ, colligi-

colligimus, lapsos nondum ab Ecclesiâ ad pœnitentiam fuisse admissos, sed ut ante Zephyrinum mœchos, ita ante scriptas hasce à Cypriano litteras lapsos relictos fuisse benignitati divinæ, à quâ per actum contritionis elicere poterant remissionem peccatorum, quam Episcopi nullatenus concedebant. Et ex hisce intelliges, quid Diaconi in extremâ necessitate circâ lapsos ex indultu Cypriani poterant, quid verò Martyres cum lapsis pacem petentibus agebant. In extremo periculo lapsi tunc solum ad communionem admitti poterant manum imponente Diacono, cum à Martyribus pacem susceperant, quod Cyprianus cum totâ Africanâ Ecclesiâ crederet, remissionem lapsus soli deo reservatam per merita Martyrum à divina bonitate impetrari potuisse, cumque in eius rei signum lapsorum aliquis pacis libellum afferebat, non absolvebat eum Ecclesia, sed Episcopus eum tamquam à Deo Martyrum intercessione absolutum ad communionem admittebat, & manus impositione post exomologesim conscientiæ factam reconciliabat, quod idem defectu presbyteri, Diaconus in extremo mortis periculo poterat.

6. Magna quidem censeri debet hæc Martyrum auctoritas, utpote à quibus petebatur peccatorum remissio, juxta illud Celerini confessoris Afri epistolâ inter Cypriani 21. Ad Lucianum, *ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriæ & Candidæ tale peccatum remittant.* Remissionem peccati lapsus, quam Ecclesia negabat, à Martyribus Afri expostulabant, eo nimirum sensu, ut per Martyrum merita apud Deum interposita à divinâ bonitate peccati remissio impetrari crederetur. & cum hæc esset Martyrum auctoritas parum huc usque à peritis animadversa, excedebat Lucianus, quod suo & Pauli Confessoris nomine, non Christi, à quo veniam peccatorum obtinebat, libellos pacis concedebat, quod primum est à D. Cypriano epistolâ 23. in Luciano notatum: *Lucianus verò*, inquit, *circà intelligentiam Dominicæ Lectionis, ut dixi, minus peritus, & circà invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate suâ molestus. Nam cum Dominus dixerit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti gentes tingui, & in baptismo præterita peccata dimitti; hic præcepti & legis ignarus mandat pacem dari & peccata dimitti in Pauli nomine.* Secundò excesserat Lucianus, quod sine delectu gregatim omnibus lapsis pacem dedisset, unde in eâdem epistolâ conqueritur Cyprianus, quod cum non animadverterit, quid post lapsum singuli egerint, res hæc maiorem conflaverit Episcopis invidiam, *ut nos*, inquit,

Celerinus.

Cyprian.

inquit, *cum singulorum causas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare; quod se nunc omnes jactant à Martyribus & Confessoribus accepisse.* Addit exinde ortum in Provinciâ Carthaginiensi tumultum: *nam in Provinciâ nostra per aliquot civitates in præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem quam semel cunctis à Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis & subactis præpositis suis.*

7. Graves erant hi Martyrum excessus, sed & gravior lapsorum exindè subsecutus: cum enim jam ab Episcopis ad Communionem passim non admitterentur ob illa, quæ post lapsum egerant à Martyribus non considerata sed ab Episcopis animadversa, rudiores quidam è plebe non petebant amplius veniam illam ab Episcopis, sed quasi jam data esset à Martyribus, communicabant cum fidelibus, & oblata afferebant communicaturi de sacrificiis. Et contrà hos est, quod D. Cyprianus meritò insurrexit epistolâ 27. Ait in Petro Episcopatum institutum, & Episcopis competere, ut solvant & ligent, *Inde*, inquit, *per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Laudat proindè lapsos illos, qui, *quamvis libello à Martyribus accepto, ut tamen à Domino satisfactio sua admitti possit, orantes scripserunt mihi, se delictum suum cognoscere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temerè, aut importunè properare, sed exspectare præsentiam nostram.* Arguit verò epistolâ 28. Gaium Diddensem presbyterum, & eiusdem Diaconum, qui communicabant lapsis, & eorum dona offerebant absque eo, quod Episcopi ipsos ad communionem admiserant: unde & conqueritur epistolâ 29. ad clerum Romanum *de quorumdam prospectâ temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant; litteras ad me fecerunt; pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant, Paulum omnibus pacem dedisse.* Addit se contrà hæc quam plura reposuisse, utique illa toties à Cypriano petita, Martyres antehac lapsos ad Episcopos remisisse, unde & clerus Romanus in dato ad Cyprianum responso: *nam si dandam illis pacem Martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad Episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt?* Urget hoc sæpius & firmat hanc Episcoporum auctoritatem, & *de honore debito in Dei Sacerdotem servando* adhortatur. Enimverò reconciliatio pœnitentis, quæ ob publicum lapsus crimen publicè fiebat in Ecclesiâ, ad solos Episcopos spectabat

Cyprianus.

Clerus Rom. epistolâ 30.

spectabat tamquam ordinarios, eamque authoritatem & sibi, & collegis vindicabat Cyprianus in Africâ.

8. Et ex hisce lucet, admitti non debere, quod de peccatorum absolutione observavit Gabriel Albaspineus lib. 1. cap. 20. scribens, „ quod Martyres etsi nullum ordinem nullumve characterem habe- „ rent, tamen & solvebant, & ex laicis Episcopi, si non dignitate „ ac munere, saltem potestate fiebant. „ Quamvis enim verum sit illud Albaspinei, Martyrum quantumvis laicorum auctoritatem merito Martyrij innixam fuisse, hæc tamen sese non extendebat ad absolutionem, quæ solis Episcopis & presbyteris ex communi Ecclesiæ Traditione competebat, sed valebat solum ad obtinendam à Divinâ bonitate remissionem, quàm illi Ecclesia reservarat, ut jam ante ostendimus: & hinc provenit, quod Albaspineus annotat: Marty- „ rum commendationem post eorum mortem profuisse, „ quod ni- „ mirum consummato per mortem Martyrio meritum illius jam esset „ in tuto collocatum, & per coronam Martyrij vehementer adau- „ ctum. Unde & Celerinus confessor non petit pro Numeriâ & Can- „ didâ à Martyribus pacem, nisi quisquam eorum coronatus fuerit. „ Et Lucianus testatur epistolâ 22. quod Paulus jusserit *post arcessitionem suam* pacem dari ipsius nomine: & Cyprianus scribit epistolâ 23. à Luciano libellos pacis datos nomine Pauli & Aurelij *adolescentis tormenta perpessi.* Albaspineus. Lucianus. Cyprianus.

9. Coniecit quidem Albaspineus, has pacis literas nemini nisi post mortem Martyrum profuisse: sed nec hoc existimem admittendum, quod constet ex Cypriani epistolâ 23. Lucianum cum Martyribus adhuc in carcere positis pacis litteras dedisse, & Lucianum Pauli nomine non modo post excessum, *sed Paulo adhuc in carcere posito* dedisse: *Aurelij quoque adolescentis tormenta perpessi nomine libelli multi dati sunt eiusdem Luciani manu scripti, quod litteras ille non nosset.* Neque enim hoc scripsisset Cyprianus de ignorantiâ litterarum Aurelij, nisi ipso adhuc in vitâ existente Lucianus litteras dedisset ob merita tormentorum, quæ pro fide Aurelius subierat, & quæ tanta credebantur apud Dominum, ut eorum interpositione Deus veniam lapsis indulgeret. Et illi opinioni innixi Episcopi communionem ad preces Martyrum indulgere poterant, donec Ecclesia mitigando rigorem circà lapsos, quos divinæ bonitati reliquerat, jam celebratis sub Cypriano Carthagine & sub Cornelio Romæ Conciliis lapsos inquam ad pœnitentiam admittebat, qui jam non solum ab Episcopis jus commu- Cyprian.

 nionis

nionis obtinebant, sed & peractâ pœnitentiâ, & exomologesi conscientiæ factâ lapsi absolutionem quoque à peccato impetrabant.

CAPVT V.

De Sacramentorum numero, & usu in Africanâ Ecclesiâ.

1. *Diabolus cultum divinum imitatus umbram Sacramentorum nostrorum idolatris suis præscribit, signanter verò Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, quæ Tertullianus enumerat, & Augustinus omissâ Confirmatione, quam tamen cum reliquis Sacramentis agnovit.*
2. *Primum Sacramentum Baptismatis, cuius materia, forma, & minister à Tertulliano proferuntur una cum ritibus circà Baptismum in Africâ receptis.*
3. *Nec Tertullianus solum sed & D. Cyprianus Baptisma Sacramentum vocavit, & varios eius ritus posteritati consecravit, uti & S. Optatus, Victor Vitensis, & D. Augustinus.*
4. *Meminit Cyprianus epist. 70. Chrismatis seu unctionis, quam Pamelius non ad Baptismi sed Confirmationis Sacramentum spectare putat. Baptizatos statim ab Episcopis in Africa non unctione solum, sed & manuum impositione confirmari solitos fuisse, ex Tertulliano, Cypriano, aliisque deducitur: ritus tamen impositionis manuum non fuit adhibitus tanquam essentialis.*
5. *Tertium Sacramentum est Eucharistia, quod Tertullianus, Cyprianus, Optatus, & D. Augustinus uno ore celebrarunt.*
6. *Quartum Sacramentum Pœnitentiæ agnoscit Augustinus, & fideles Afri tempore Victoris Vitensis insigne de illo testimonium posteritati consecrarunt, aliud quoque D. Cyprianus libro de lapsis.*
7. *Quintum Sacramentum extremæ unctionis in Africâ notum fuisse, deducitur ex D. Augustino, & testatur Auctor cuiusdam operis Augustino adscripti.*
8. *Sextum Sacramentum ordinis à D. Augustino in pluribus locis prædicatur.*
9. *Septimum Sacramentum Matrimonij à D. Augustino assertum. Adducitur*

citur hanc in rem locus Tertulliani de uxore petendâ ab Ecclesiâ, qui etiam exponitur.

1. Quod falsitas sit veritate posterior, & Diabolus divina æmuletur mysteria, insigniter demonstrat perantiquus Africanæ Ecclesiæ presbyter Tertullianus, ac scribit contrà hæreticos cap.40. Tertullian. Diabolus *ipsas quoque res Sacramentorum divinorum in Idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam: utique credentes & fideles suos. Expiationem de lavacro repromittit. Et si adhuc initiat Mithra, signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem.* Diabolus ut simia cultum divinum imitatus, Sacramenta Ecclesiæ in idolorum mysteriis exprimebat, Baptismum in lotione aquarum additâ promissione expiationis per lavacrum, quod Augustinus *paganorum Baptisma* vocavit: Augustinus. confirmationem in frontis unctione, quâ milites suos Mithræ Persarum numini consecrabat: Eucharistiam denique per panis oblationem, quam in Mithræ mysteriis observabant ethnici, idque Justino Martyre attestante, *per imitationem pravi demonis.* Tria Sa- Justin. Mart. cramenta imitata fuit schola diabolica, nec plurium libro de præscriptionibus cap.36. meminit Tertullianus pro Ecclesiâ. Remittit hæreticos ad Ecclesias Apostolicas, signanter verò ad Romanam, quæ inquit, *aquâ signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit.* Paucio- Tertullian. ra enumerat D. Augustinus epistolâ 118. ad Januarium: *Christus*, Augustin. inquit, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis Societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur.* Quibus ultimis verbis alia Sacramenta novæ legis indicat, quæ quamvis nullibi septem simul depredicet, ex eo tamen quod Africanam Ecclesiam Romanæ communione coniunctam, ab eâque fidem mutuasse fatetur, facili negotio concludimus, septem quoque numero habuisse Sacramenta, quæ sparsim scriptores Afri agnoverunt, & inter eos omnium coripheus S. Hipponensis Episcopus & Ecclesiæ Doctor Augustinus.

2. Ne vero hæc ipsa gratis quisquam dicta existimet, ut suo quæque ordine demonstrentur, habet Romana Ecclesia pro januâ Sacramentorum sacrum Baptisma à Christo institutum, ab Apostolis traditum, ab ipso Tertulliano allatum ordine primum, nec negatum à recentioribus hæreticis, neque neglectum à schismaticis in Africâ Donatistis, sed veneratum potius, & in pretio habitum. Baptisma

Tertullian. est, quod Tertullianus quarto contra Marcionem libro *Sacramentum Baptismatis* vocat in terminis. Et libro de coronâ militis Traditionem non scriptam de eius ritibus expositurus, *aquam*, inquit, *adituri ibidem sed & aliquanto prius in Ecclesiâ sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur.* Ultimum hunc ritum libro adversus Praxeam repetit idem Tertullianus, additque à Christo mandatum Apostolis: *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum: nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Scribit item libro de Baptismo de speciali Africæ consuetudine, quod dies Baptismo solemniores fuerint Pascha & Pentecostes: *cæterum*, inquit, *omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratiâ nihil refert.* & supra: *dandi quidem Baptismum habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem.* Addit, parvulos tingi potuisse, sed non sine sponsoribus, quos patrinos vocamus, quamvis, inquit Tertullianus, cunctatio Baptismi utilior sit circà parvulos: *quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli.* Hæc Tertullianus de materiâ, formâ, & ministro baptismi in omnibus Romanæ Ecclesiæ sensui consona, uti & pleraque de ritibus, in quibus quædam non substantialia reperiuntur nunc temporis mutata, ut de trinâ immersione, quæ jam fit per trinam aspersionem: de tempore Baptismi, quod non servatur paschatis & pentecostis diebus, sed sicut Tertulliano teste *omne tempus habile Baptismo*, ita & nunc omni tempore baptisantur parvuli, exoleto illo cunctationis more, quo adolescentes catechumeni exspectare jubebantur ætatem, & festum Paschatis ac Pentecostis diem.

3. Nec solus Tertullianus est, qui in Africâ de Baptismo testatur: Cyprianus. S. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus Baptisma sæpius *Sacramentum* vocavit, ac epistolâ 23. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti gentes tingi fatetur, cui consonat S. Optatus Milevitanus S. Optatus. Episcopus, cum libro 1. adversus Parmenianum *in Trinitate Baptismatis unionem* à catholicis tuetur defensam. Aquam prius à sacerdote sanctificandam colligit ex Cypriano Pamelius, & reverâ in Concilio Concil. Carthagin. Carthaginiensi sub Cypriano *Sedatus à Tuburbo* loquitur *de aquâ sacerdotis prece in Ecclesiâ sanctificatâ*: ac subscribit Victor Vitensis lib. 2. De persecutione Wandalicâ, ubi agit de quodam miraculo in Baptismo Epipha-

Epiphaniorum die circà cœcum facto, cum illâ die *Episcopus postquam fontem, quo Baptizarentur accedentes ad fidem, benedixisset, oculos à naturâ clausos contingeret, atque aquâ ablutos aperiret: quod perinde accidit, atque revelatum fuerat universis, qui ad solemnem Baptismum confluxerant, stupentibus ad tantum miraculum.* Quo ex loco non solum fontem Baptismalem ab Episcopo benedictum, sed, ut notat Garnerius, habemus & Ecclesiam Carthaginiensem à speciali suo more recessisse de duobus Paschatis & Pentecostis diebus, ac alios solemnis Baptismi dies admisisse, qualis unus erat epiphaniorum. Exorcismi quoque ante Baptismum meminiscunt Cæcilius à Bilta, & Crescens à Cirtâ in Carthaginiensi sub Cypriano Concilio: ac D. Augustinus vel quisquis auctor est libri de dogmatibus cap. 31. *Cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exufflationibus clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.* De interrogatione symboli habet Cyprianus epist. 70. *Ipsa interrogatio, quæ fit in Baptismo testis est veritatis. Nam cum dicimus: credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per S. Ecclesiam?* quod Baptizandi signum domini in fronte accipiebant non Cyprianus solum, sed & Tertullianus lib. de resurrectione carnis confitetur, dum scribit: *caro signatur ut & anima muniatur; caro abluitur, ut & anima emaculetur.* Oleo quoque unctos fuisse Baptizatos, auctor de ablutione pedum tradidit, cum Deum *misericorditer ablutione & unctione medicinali corruptionis primitivæ fermentum expurgantem* introducit. Adstipulatur Augustinus de Trinitate lib. 15. loquens *de Visibili unguento, quo Baptizatos ungit Ecclesia.* Victor Vitensis. Augustin.

4. Meminit & S. Cyprianus in Synodicâ inter epistolas eius 70. cum disertis verbis scripsit: *ungi quoque necesse est eum, qui Baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia & unde Baptizati unguntur, oleum in altari Sanctificatur.* Verum in notis ad hunc „ locum refert Pamelius, eorum sententiam verisimiliorem esse, „ qui „ locum hunc non tam de ritu illo Baptismi, quam de Sacramento „ Chrismatis sive Confirmationis seu manu impositionis intelligunt.„ Et revera trium illorum Sacramentorum meminit Cyprianus, quorum meminerat Tertullianus loco superius notato, & quorum secundum est confirmationis Sacramentum, de quo Tertullianus: *S. Spiritu vestit.* Phrasi utitur Tertullianus, quâ Christus usus est resuscitatus à mortuis: *sedete in Civitate, quousque induamini virtute ex alto:* Cyprianus. Pamelius. Tertullian. Lucæ 24.

 „ uti

Lupus. ,, uti enim Christum Dominum per *Baptisma*, inquit eruditus Lupus, ,, ita per Confirmationem propriè induimus Spiritum S.,, De utroque hoc Sacramento loquitur Tertullianus libro 1. Adversus Marcionem:
Tertullian. *creator aqua suos abluit, oleo suos ungit*: unctioque illa fiebat per signum Crucis in fronte, unde non solum. Libro 3. adversus Marcionem Sacramentum hoc vocat. *Signaculum frontium*, sed & libro de præscriptionibus testatur, diabolum ritum illum imitatum fuisse, cum *signa in fronte milites suos*. Præclarum est hac de re testimonium Augustini
Augustin. enarratione in psalm. 141. *Multa Sacramenta atque aliter accipimus. Quadam, sicut nostis, ore accipimus, quadam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur*, Ibidem crucem Domini accipi testatur, loquens manifestè de Sacramento Confirmationis, quod per unctionem cum crucis signo in fronte confertur. Addit Tertullianus libro de Bap-
Tertullian. tismo, id statim post Baptismum fuisse collatum: *egressi de lavacro perungimur Benedictâ unctione*. Subdit D. Cyprianus per præpositos
Cyprian. Ecclesiæ factum: *queritur*, inquit epistolâ 73. ad Jubaianum, *ut qui in Ecclesiâ Baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*. Eiusdem manus Impositionis meminit Tertullianus libro de Baptismo, & annotat in cap. 36. libri de præscriptionibus Christianus Lupus, non Africanam solam, sed Orientis quoque & Occidentis Ecclesiam utroque ritu, unctionis & manus impositionis usam. Unde non solum colligitur, cur antiquiores tradiderint, hoc Sacramentum cum manus impositione conferri, sed etiam verum esse, quod auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus Augusti-
Augustin. no adscripti testatus fuit: *Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui Doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui illos offerunt, juxtà morem Baptizandi, & sic manus impositione, & Chrismate communiti, Eucharistia mysteriis admittantur*. Auctor ille licet Augustinus non sit, est tamen perantiquus, & morem primitivæ Ecclesiæ luculenter expressit, quo post Baptisma Confirmationis Sacramentum conferebatur additâ manus impositione Episcopi tamquam ritu non essentiali, utpote quam à plerisque sæculis omisit occidentis Ecclesia, & jam pridem orientalis, ut fusius demonstrat Iacobus Goar in notis ad Euchologium Græcorum.

5. Eucharistiam auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus addidit duobus aliis Sacramentis, imitatus hac in re perantiquum Carthaginiensem presbyterum Tertullianum; qui libro de præscriptionibus lo-
quens

quens de Deo ait, quod Ecclesiam suam *Eucharistiâ pascit.* Sensum suum clarius exprimit libro de pudicitiâ: *opimitate Dominici Corporis vescitur, Eucharistiâ scilicet.* Et libro de resurrectione carnis: *caro Corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Et libro de oratione: *Domini Corpus in pane censetur. Hoc est Corpus meum.* Ac libro de animâ: *Dominus vinum in sui sanguinis memoriam consecravit.* Consecrari namque Dominus jussit in sui commemorationem, quod faciens S. Cyprianus Carthaginiensis in Africâ Episcopus, per Diaconum puellæ cuidam de Sacramento calicis fuit infusum, quod libro de lapsis *sanctificatum in Domini sanguine potum* vocavit. Enimverò calicem sanguine Christi repletum singulis diebus bibi solitum alibi declarat, in Sacrificio utique, cuius frequentem mentionem facit epistolâ 63. ad Cæcilium, & de quo ibidem testatur: *tunc Sacramentū spirituale & Caleste perficitur.* Atqui Sacramentum hoc est, quod Cyprianus plerisque in locis corpore & sanguine Domini constare asseruit, unde libro de lapsis eorum ora laudat, quæ gustatis *Calestibus cibis post corpus & sanguinem Domini prophana contagia ... respuerunt.* Et S. Optatus Milevitanus l.2. adversus Donatistas eosdem detestatur, *quod jusserunt Eucharistiam canibus fundi:* additque insigne miraculum ab ultrice omnipotentis manu desuper factum. *Nam ijdem canes*, inquit, *accensâ rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.* Nec mirum Donatistas in altari Corpus Domini invenisse, quod canibus effunderent, *quid enim est altare* petit S. Optatus libro 6. *nisi sedes Corporis & sanguinis Christi?* De hoc Sacramento est, quod D. Augustinus centena testimonia posteritati consecravit, quorum unum extat lib.3. de trinitate, cap.4. *Corpus Christi & sanguinem dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mysticâ consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ Passionis.* Quid ultrà proferam, cum habeamus Cypriano teste veritatis confirmatricem totam Africam, in qua primævo quidem tempore quotidiè Eucharistia sumebatur: *Eucharistiam* inquit Cyprianus lib. de oratione, *quotidiè ad cibum salutis sumimus.* Sequentibus verò sæculis nonnihil hac de pietate remissum est, scribente ad Januarium, epistolâ 118. magno Ecclesiæ Doctore Augustino: *alij quotidiè communicant Corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt.*

Tertullian. Cyprian. S. Optatus. D. Augustin. Cyprianus. Augustin.

6. Quartum Sacramentum, quod agnoscit Romana Ecclesia, est Pœnitentiæ à Domino institutum, cum potestatem ligandi & solvendi

di

di Apostolis concessit: unde D. Augustinus enarratione in ps. 146. ad illa verba: *alligat contritiones eorum scribit: quæ sunt ista alligamenta? temporalia Sacramenta: alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem.* Additque alligamenta esse, cum *imponenda est manus ab aliquo præposito*, quod propriè ad Sacramentum Pœnitentiæ spectat. Unde apud Victorem Vitensem lib. 2. De persecutione Wandalicâ, fideles Afri clamabant ad presbyteros & Episcopos, qui in exilium abducebantur: *quibus nos miseros relinquitis? qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cœlis.* De hoc est, quod Tertullianus loquitur libro de pœnitentiâ, cum asserit, à Deo *collocatam in vestibulo pœnitentiam secundam.* eam confessione fieri, quam græci exomologesim vocant, innuit infrà, & addit, exomologesim esse *prosternendi & humilificandi hominis disciplinam*, in quâ & satisfactio comprehenditur. Paucis hæc omnia comprehendit D. Cyprianus lib. de lapsis: *confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum; dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est; dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Ubi duas planè Sacramenti Pœnitentiæ partes adducit Cyprianus, additâ absolutione per Sacerdotes impertiendâ, quam nec ipsi Donatistæ negarunt scribente contra Parmenianum sancto Optato lib. 2. *Dum manus imponitis & delicta donatis.* Quod ipsum à fidelibus Afris prædicari apud Victorem Vitensem audivimus suprà.

Augustin.

Victor Vitensis.

Tertullian.

Cyprian.

7. Sequitur quintum Sacramentum, quod est extremæ unctionis de quo locutus fuit S. Augustinus enarrat. In psalm. 141. cum scriptum reliquit, *multa Sacramenta, atque aliter accipimus: quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus.* Quodnam enim Sacramentum per totum corpus accipimus, quam extremæ unctionis, quod Sacerdos administrat Chrismate ungendo oculos, aures, nares, manus, aliaque membra? de extremâ unctione reverà locutus est auctor tractatus de beatitudine Catholicæ conversationis: *qui ægrotat, in solâ Dei misericordiâ confidat, Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum ab Ecclesiâ petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum oratio salvabit infirmum.* & lib. 2. de visitatione infirmorum: *effectum huius Sacramenti exprimit ipse Iacobus, dum ait: si in peccatis sit, dimittentur ei. Materiam designavit*

Augustin.

Auctor anonym.

oleum

oleum sacrum. Quibus dandum sit Sacramentum, *insinuavit dicens: infirmatur quis* &c. Extant libri inter opera Augustini, cuius licet non essent, sunt tamen scriptoris perantiqui.

8. Sextum Sacramentum est ordinis, quod auctor libri de operibus cardinalibus D. Cypriano adscripti inter ea Sacramenta enumerat, quæ iterari non possunt: cum enim capite de ablutione pedum auctor anonymus ageret *de Sacramentorum stabilitate*, addit infra: *nemo sacros ordines semel datos renovat.* Idem omninò D. Augustinus libro. 2. contrà epistolam Parmeniani agens de non iterando Baptismo & ordine ab hæretico collato: *utrumque enim*, inquit, *Sacramentum est, & quâdam consecratione homini datur, illud cum Baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholicâ utrumque non licet iterari.* Et libro. 1. De Baptismo contrà Donatistas cap. 1. appellans, *Sacramentum ordinationis.* Idem planè libro de bono coniugali cap. 24. *si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis.* Plura habet D. Augustinus, & Concilium Carthaginiense 4. Quod ordinationis ritus posteritati consecravit, ut fusius suo loco infrà.

Auctor anonym.

Augustin.

9. Septimum & ultimum est matrimonium, quod Sacramentum esse novæ legis, post Apostolum testatur Augustinus, cum scribit de bono coniugij cap. 4. Quod nuptiæ, quoad populum Dei pertinent, *etiam in Sanctitate Sacramenti* sint. Et libro 1. De nuptiis ac concupiscentiâ lib. 1. cap. 10. Testatur de Paulo Apostolo: *quoddam Sacramentum nuptiarum commendat fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus: viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam.* Et diu ante Augustinum Tertullianus libro de monogamiâ, cap. 5. Christus *unam habens Ecclesiam sponsam, secundum Adam & Heva figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur, in Christum & Ecclesiam competisse Carnali Monogamia per spiritalem.* Et ex hisce jam intelligemus, quid sibi voluerit idem Tertullianus libro de monogamiâ: *ut igitur in Deo nubas secundum & Apostolum (si tamen vel hoc curas) qualis es id matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas, non licet habere, ab Episcopo monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem Sacramenti, à viduis, quarum sectam in te recusasti.* Agit de hoc loco Gabriel Albaspineus libro 1. observ. 24. Et ait nihil aliud esse, mulieres ab Episcopo, presbyteris, & viduis maritum petere, quam eis nubendi consilium, & futuri coniugis vivendi consuetudinem & mores exponere: quod ipsum statutum fuit & præceptum in Africanâ

Augustinus.

Tertullian.

Albaspineus.

N Ecclesiâ,

Ecclesiâ, ne fidelium quisquam gentili nuberet vel Iudeo, aut hæretico; cum durante persecutionum tyrannide fideles sic facile prodi contigisset: unde & Tertullianus lib. 2. Ad uxorem, non modo eam mulierem increpat, quæ gentili nupserat, verum etiam eos, qui eiusmodi nuptiarum authores extiterant: *miror consiliariorum prævaricationem.* Hæc Gabriel Albaspineus, cuius ratio licet bona sit & vera, aliam tamen addere libet ex ratione Sacramenti, ob quam Ecclesia Africana sese nuptiarum causæ immiscuit, ne quod Sacramentum Paulus à Christo institutum asseruit in Ecclesiâ, per fidelium cum infidelibus nuptias prophanaretur. Et hisce jam habes septem Sacramenta à Romanâ Ecclesiâ huc usque asserta, & vel ex solis Africanæ Ecclesiæ scriptoribus, contrà omnes novatorum calumnias roborata & firmata.

Tertullian.

CAPVT VI.

De sacro supellectili ad sacrificium requisito & missâ Africanâ.

1. *Romana Ecclesia ritus in sacrificio observati per omnem Patriarchatum occidentis paulatim introducti, nec Africani à ritibus Romanis alieni.*
2. *Romana Ecclesia habuit pro sacrificio peragendo altare ad orientem in templo collocatum, quod linteamine cooperiebatur cum candelis & cruce superpositis, quæ eadem habebat Ecclesia Africana.*
3. *Habuit insuper Africa libros liturgicos vasa, aurea & argentea, urceola nimirum, & calices.*
4. *Vsus sacrarum vestium à Petro in Romanam Ecclesiam introductus, & à Stephano Papâ pro ministerio sacro præscriptus, unde & apud Africam vestes sacræ tempore sacrificij usitatæ.*
5. *Sacrificium à D. Augustino missa vocatur, quod nomen etiam lege Wandalorum continetur. Suus erat ritus missæ Africanæ, quem similem Mozarabico putavit Cardinalis Bona.*
6. *Fundamentum Cardinalis Bona videtur, quod Arabes in Hispaniis missâ Mozarabicâ utebantur, eamque ex Africâ secum attulerant.*

Verum

Verum Africana Ecclesia stetit ante Arabum in Africam irruptiones, & primis saculis non Mozarabicâ sed Romanâ utebatur liturgiâ.

7. *Missa Cathecumenorum ex Tertulliano & Augustino descripta. Ostenditur ex eodem Augustino Dominicam orationem in fine recitari solitam apud Afros, quod ne quis à Romana Ecclesia more alienum fuisse existimet. idem Roma observatum fuit usque ad Gregorium magnum.*

8. *Aliud testimonium petitur ex psalmis ante missam dici solitis in Ecclesiâ, cumque Calestinus Pontifex antiphonatim psalmos dici statuisset ante altare, uti nunc fit ante introitum, statim hoc ipsum amplexa est Ecclesia Carthaginensis obganniente quidem Hilario, sed laudante Augustino, unde clarum fit, Africanam Ecclesiam ritus sacrificij à Romanâ mutuasse.*

1. ACcuratè observavit ante nos eminentissimus Cardinalis Bona libro. 1. Rerum liturgicarum, cap. 7. Cum Romana Ecclesia præter summum orbis catholici principatum, specialem habuerit „ in universum occidentem, „ hoc summorum pontificum, hoc „ Episcoporum piorumque principum studium, hanc curam fuisse, „ ut omnes gentes, quæ in occiduis partibus sunt, traditiones & „ ritus Romanæ Ecclesiæ in ordine missæ sequerentur; ex quo paulatim factum est, ut propriis, si quos habebant, usibus abrogatis „ Romanos receperint, adeo ut in plerisque Ecclesiis veterum consuetudinum, non solum nulla remanserint vestigia, sed ipsa etiam „ memoria evanuerit. Africanam Ecclesiam ut fide, ita & ritibus cum „ Romanâ convenisse, ex scriptis Tertulliani, Optati, Cypriani, „ Augustini non obscurè colligimus. „ huc usque vir eruditus & purpurati cœtus gloria Cardinalis Bona, qui dum Africanam Ecclesiam cum Romanâ in ritibus convenisse scribit, de primævâ Africæ Ecclesiâ intelligendus est, quod quam verum sit, & antiquorum sententiæ consonum de ritibus in missæ sacrificio, tunc ostendemus, cum prius egerimus de sacro altaris ornamento, ac vasis & vestibus sacris ad ministerium sacrificij requisitis. Card. Bona.

2. Ut itaque à primo incipiam: si Romana Ecclesia olim altare suum habebat collocatum in medio partis istius, quæ orientem respicit: D. Augustinus serm. 46 cap. 1. scriptum reliquit. *Mensa Christi illa in medio posita.* Augustin. Et Tertullianus in Apologeticò, cap. 16. *Inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari.* Tertullian. Si Romæ altaria linteamine cooperiebantur; petit S. Optatus Milevitanus libro 6. *Quis*

fidelium

S. Optatus. *fidelium nescit, in peragendis mysterijs ipsa ligna linteamine cooperiri?* si Romæ candelæ accendebantur in usum liturgiæ, acta purgationis

Gesta purgation. Cæciliani & Felicis edita in appendice post S. Optatum habent: *cum ventum esset ad domum, in qua Christiani conveniebant* sedente Paulo Episcopo.... *Data sunt lucernæ argenteæ septem, cereofala duo: candelæ breves aneæ cum lucernis suis septem, item lucernæ aneæ undecim cum catenis suis.* Et apud Victorem Vitensem lib. 2. de persecutione

Victor Vitens. Wandalicâ: *Vidit quidam Fausti Ecclesiam solito in ornatu fulgentem, & dum lataretur tanti fulgoris candore, cereis quoque fulgentibus, pallijsque velaminum ac lampadibus rutilantem.* Si Romæ crux in altari ponebatur (cum Tertulliano teste, Christiani ad omnem fere actum crucis signo uterentur, & teste Augustino tractatu 118. in Ioannem, nisi adhibitum fuisset sacrificio, quo credentes aluntur, illud ipsum ritè non perficiebatur) quis dubitare poterit, quin crux aliqua materialis etiam super altaribus Africanis fuerit collocata? Tertullianus sanè in Apologetico gentiles refellens, qui nos cul-

Tertullian. pabant ob crucis cultum: *Sed*, inquit, *& qui crucis nos religiosos putat, consectaneus noster erit, cum lignum aliquod propitiatur.* Non negat Tertullianus Christianos religiosè crucem venerari solitos, quin imo fatetur teste Beato Rhenano adversæ religionis fautore, *eius tem-*

Rhenanus. *poris Christianos nihil in templis habuisse præterquam crucis insigne super aram ad orientem versam.* Quod ipsum expressit Gulielmus Beveregius in iconographia templorum primitivæ Ecclesiæ, ubi videmus unicum altare cum cruce in bemate collocatum.

3. Præter hæc omnia altaris ornamenta, usum librorum liturgicorum fuisse in Africâ, ex omnibus illis lucet, quæ de traditione sacrorum codicum Donatistas inter & Catholicos agitata fuerunt. Deplorat S. Optatus, lib. 1. contrà Parmenianum, quod persecutione exor-

S. Optatus Milevitanus. tâ plerique *instrumenta divinæ legis impiè tradiderunt.* Et Gesta purgationis Cæciliani habent de Eugenio: *protulit codices quatuor.* Et de

Gesta purgation. Cæciliani. Felice Sarsore: *protulit codices quinque. Et cum ventum esset ad Domum Victorini protulit codices octo. Et cum ventum fuisset ad Domum Proiecti, protulit codices quinque maiores, & minores duos.* Inter hos autem codices aliquos fuisse rituales & liturgicos vel exinde colligitur, quod omnes hi codices ad Ecclesiam pertinerent, quæ sine liturgicis libris sacrum perficere non poterat. Succedunt vasa aurea & argentea, quæ Romana Ecclesia nunc temporis in usum sacrificij adhibet, & Ecclesia Africana à suis primordiis adhibuit. S. Optatus Milevitanus libro 1.

contrà

contrà Parmenianum agit de Mensurio ab Imperatore ad comitatum evocato, & scribit illo proficiscente ob timorem persecutionis ornamenta commendata cuidam aniculæ. *Erant enim Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terra, nec secum portare poterat.* Illis autem annumeranda fuisse urceola, patenas & calices non solum ex Concilij Carthaginiensis quarti Canone quinto evincitur, ubi Subdiaconum de manu Episcopi patenam & calicem vacuum, ac de manu Archidiaconi Urceolum cum aquâ accipere debere, præscribitur, sed ex actis quoque purgationis Cæciliani, ubi Felice curatore reipublicæ exigente traditi sunt à Paulo Episcopo eiusque Clero: *Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea.* S. Cyprianus quoque epistolâ 63. sese admonitum fatetur, *ut in calice offerendo Dominica traditio servetur:* quod ipse Dominus in ultimâ cœnâ calicem adhibuisset. Tertulliani tempore fideles in calicibus suis figuram pastoris depictam habebant, unde illud libro de pudicitiâ, cap.7. *procedant picturæ calicum vestrorum*, & cap. 10. *si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.*

S. Optatus.

Acta purgation.

Cyprian.

Tertullian.

4. Demum ad ipsas sacerdotum & ministrorum vestes accedamus, quas sacras fuisse & à communi usu distinctas, ex traditione habemus, cuius dum originem ignoramus, eamdem ab Apostolis ex regulâ per Augustinum traditâ descendisse dicimus cum eminentissimo Cardinali Bonâ, qui & refert Honorij Augustodunensis desumptum ex gemmâ animæ cap.89. Testimonium: *sed Clemens tradente Petro Apostolo usum sacrarum vestium ex lege sumpsit; & Stephanus Papa in sacris vestibus missas celebrari constituit.* Habet hoc ultimum Honorius Augustodunensis ex Anastasio Bibliothecario, apud quem tamen verba illa longe aliter concepta sunt in vitâ Stephani Papæ: *hic constituit, Sacerdotes & levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, & nisi in Ecclesiâ tantum.* Quæ eadem comparent in secundo Catalogo summorum Pontificum tempore Iustiniani Imperatoris conscripto: Stephanus *constituit Sacerdotes & levitas vestes sacratas in usum quotidianum non uti, nisi in Ecclesiâ tantum*, quæ verba planum reddunt sensum, ab Honorio depravatum. Ubi enim ille innuit à Stephano decretum cum sacris vestibus missas celebrari, ibi Anastasius Bibliothecarius & auctor 2. catalogi innuunt, à Stephano vetitum, ne extrà liturgiam aut Ecclesiam sacris vestibus uterentur, quod supponit usum antecedentem sacrarum vestium, prout quoque tradiderat Honorius, narrans eum in Romanam Ecclesiam introductum ex Petri traditione, & Cle-

Honor. August.

Anastas. Biblioth.

Catalog. M.S

mentis instituto. Quod si extunc fuerit in Romanâ, quid ni & in Africanâ Ecclesiâ, quæ ritus suos à Romanâ mutuavit? huc infulas trahit Cardinalis Bona libro 1. cap.24. quarum meminit Tertullianus lib. de monogamiâ, cap.12. *deponimus infulas*, loquens de clericorum ordinationibus. Gesta purgationis Felicis & Cæciliani testantur à Traditoribus persecutionum tempore inter alia data fuisse vasa Ecclesiæ: *tunicæ muliebres* 82. *mafortea* 38. *tunicæ viriles* 16. *caligæ viriles paria* 13. *calligæ muliebres paria* 47. Et etiamsi de hisce vestibus dubitari posset, an ad sacrificium pertinerent, dubitari tamen non sinit canon 41. Concilij Carthaginiensis 4. quin ministri sacris vestibus induti offerrent, cum illo cautum sit: *ut Diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis albâ utatur.* Quod præcisè convenit cum ijs, quæ pro Romanâ Ecclesiâ statuisse Stephanum Papam, audivimus suprà. Et de his alijsque Sacerdotum & altaris ornamentis intelligendus est Victor Vitensis libro 1. de persecutione Wandalicâ, dum scribit, missum à Geiserico *Proculum quemdam in Provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos Domini sacerdotes ... quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis altaris (proh nefas) camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustratim sibi commedens linguam in brevi turpissimâ consumptus est morte:* Et hæc quidem de sacro supellectili ad altare & ministerium sacrificij dicta sufficiant.

Tertullian.

Gesta purgation.

Canon. 41. Carthag.

Victor Vitensis.

5. Nunc de ipso sacrificio agendum, quod Africana Ecclesia usitato apud nos vocabulo missam nuncupavit: præclarum huius veritatis habemus testimonium in Concilio Carthaginiensi 2. Quod sub Genethlio Carthaginiensi ab Africanis variarum Provinciarum Episcopis anno 397. celebratum fuit, & canone 2. Statuit: *reconciliare quemquam in publicâ missâ presbytero non licere.* En totius Africanæ Ecclesiæ judicium de missâ nostrâ posteritati consecratum, cui suum testimonium adiungit ad initium sæculi 5. Augustinus Africæ lumen præcipuum, cum Sermonem 91. de tempore his verbis intonat: *in lectione quæ nobis ad missas legenda est... fratres Charissimi, audituri sumus, quod filij Israel post transitum maris rubri* &c. Accedit quod Victor Africanæ Ecclesiæ Episcopus l.2. Wandalicæ persecutionis eam passim usu receptam insinuat, cum hanc Wandalorum legem pro Africâ latam describit: *liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris missas agere.* de missâ illâ in Ecclesiis Africanis celebrari solitâ contrà Donatistas

Augustin.

Lex Vandalorum.

Donatistas testatur S. Optatus Milevitanus Episcopus in fine libri 3. *Nihil probavit aspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. cum viderent divinis sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec oblatum: pax à Deo commendata volentibus est.* Et si queras, cuinam ritus ille solitus & solemnis in divinis sacrificiis erat consonus? eminentissimus Cardinalis Bona libro 1. de rebus liturgicis, cap.6. existimat, quoad præcipua cum iis convenisse, in quibus nulla dissentiebat Ecclesia, cuiusmodi sunt panis & vini præparatio, oblatio, consecratio, consummatio, & ipsius Sacramenti communicare volentibus distributio. Si verò de modo & ritu controversia est, quibus certæ preces, psalmorum modulationes, ministrorum apparatus, thurificationes, & similia peraguntur, ea ex Augustini regulâ variari potuisse in Africâ: addit cap.7. Marium Victorinum Afrum lib. 1. adversus Arium, sententiam citare ex liturgiâ Africanâ, quæ in ordine Romano non extat: *sicut*, inquit, *& in oblatione dicitur, munda tibi populum circumvitalem, æmulatorem bonorum operum circà tuam substantiam venientem.* Fulgentium quoque Ruspensem in fragmentis editis à Sirmondo c.14. in epistolâ 1. ad Corinth, quodam testimonio liturgiæ Africanæ uti, „ quod in Romanâ non reperitur. „ Ex quibus, inquit, & ex aliis „ quibusdam coniecturis suspicor, ritum Africanum illi similem tunc „ esse, qui in Hispaniâ Mozarabicus dictus est.

S. Optatus. Victorinus Afer. S. Fulgentius Card. Bona.

6. Quod si quæras, undenam hanc coniecturam desumpserit Cardinalis Bona, aliud profectò invenire nequeo, quam Arabes ex Africâ ad Hispaniam transiisse, & regno illo occupato ritus suos simul introduxisse, unde non Afri solum sed Hispani mixtarabes vocati teste Iacobo de Vitriaco Acconensi Episcopo, ut quam missam Mozarabicam fideles in Hispaniâ habebant, eamdem ab Afris mutuarant: idque attestari videtur Ioan bapt. Grammaye Africæ illustratæ libro 2. cap.6. cum dicit: se nolle referre de Veteribus Christianis tam Marocci quam Tuneti & in Lybiâ degentibus, qui *Mozarabum translatâ in Arabicum missâ utuntur.* Verum cum Arabes primis Ecclesiæ sæculis, si qui in Africâ latebant, sub Romanorum imperio constituti essent, illique ante tempora Christi nati, usque ad ævum Augustini Romanis legibus parerent, cum pace eminentissimi Cardinalis Bona dixerim, quatuor primis sæculis missam Mozarabicam in Africâ non fuisse susceptam, sed potius antiquam Romanam, de qua intelligendus S. Optatus Milevitanus lib.3. loquens contra Donatistas: *visa est puritas & ritu*

Grammaye.

ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. Cum viderent divinis Sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum, pax à Deo commendata volentibus est. Quænam autem hæc missa fuerit, si de modo & ritu controversia est, potuit in aliquibus precibus fuisse varia, ut preces à Victorino Afro & Fulgentio Ruspensi ex liturgiâ Africanâ citatæ aliæ quædam sint, quam hodiernæ: si tamen de præcipuis liturgiæ partibus controversia est, eadem omnino fuit, quæ hodierna Romana, idque ne gratis dixisse viderer, ex authoribus Afris antiquissimis Africanam liturgiam repetemus, & cum Romanâ componemus.

7. Perantiquus Tertullianus de missâ Cathecumenorum acturus
Tertullian. libro de animâ, *jam verò*, inquit, *prout scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur.* Et S. Augustinus serm. 10.
Augustinus. de verbis Apostoli: *primam lectionem audivimus Apostoli, deinde audivimus psalmum: post hæc evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.* Quæ omnia non ita intelligenda veniunt, tanquam ad altare more hodie recepto à sacerdote hæc omnia recitarentur, sed à lectore
Cyprianus. in pulpito, & ut de Celerino lectore epist. 34. scribit Cyprianus, *super pulpitum... legat præcepta & evangelia Domini.* Ibique psalmi canebantur in Ecclesia *sobriè*, ut loquitur Augustinus epist. 119. cap. 18. Id est voce submissâ. Post Evangelium verò Tertulliano testante *adlocutiones proferuntur*, seu homiliæ ab Episcopis fiebant ad populum, & tunc dimittebantur Cathecumeni, quibus dimissis convertebat se ad
S. Optatus. altare sacerdos, juxtà illud Optati Milevitani: *inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta Donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Non quod S. Optatus velit, statim orationem Dominicam fuisse à Sacerdote inchoatam, ut plerique contendunt volentes cum Eminentissimo Cardinali Bona, more Africano post canonem Pænitentes fuisse absolutos, sed solum, orationem Dominicam inter cætera recitandam: unde S. Augustinus epistolâ 59. distinctionem facturus inter precationes, orationes, & pe-
S. Augustin. titiones in canone contentas, *precationes, inquit, accipimus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum antequam illud, quod est in Domini mensâ incipiat Benedici: orationes cum Benedicitur & Sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit.* Ubi vides more Africano Dominicâ orationem fuisse finem sacrificij, quin imò more per omnem ferè Ecclesiam recepto teste Augustino, ut intelligeremus, non nisi post

Sanctifi-

Sanctificationem aut consecrationem, & non nisi post fractionem ac distributionem etiam Romæ orationem Dominicam fuisse recitatam, unde & intelliges, quid sibi voluerit Ioannes Syracusanus Episcopus ad Gregorium magnum, *quia orationem Dominicam mox post Canonem dici statuistis*. Ad quod S. Gregorius nihil aliud reposuit: *orationem autem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Fuit S. Gregorius magnus, qui liturgiam quoad ritus & preces in alium ordinem redegit, & missas de anni circulo illum ad modum, quo nunc Romana legit Ecclesia, composuit, plura quidem ex antiquo ritu relinquens, alia vero mutans: Quam mutationis sortem quoque passa est oratio Dominica, quæ, cum in fine liturgiæ omnium esset ultima, mox post canonem ante hostiæ confractionem fuit collocata. Quâ ex re lucidè colligimus, missam antiquam Romanam eo ordine celebratam, quo vidimus celebratam fuisse Africanam.

Ioan. Syracusan. Gregor. M.

8. Aliud huius veritatis testimonium habemus ex antiquo ante 900. annos conscripto & hactenus inedito Pontificum catalogo, ubi legitur in Cælestino I. *Hic constituit, ut antiphona ante sacrificium caneretur, quod non ante fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli recitabatur & sanctum Evangelium.* Desumpsit verò ea ipsa auctor catalogi ex alio antiquiore sub Justiniano Jmperatore confecto, qui habet in Cælestino: *Hic fecit ut psalmi centumquinquaginta deberent ante sacrificium psalli, quod ante non fiebat, nisi tantum epistola Pauli Apostoli & sanctum evangelium, & sic missa celebrabantur.* Eadem ferè verba ex hoc catalogo libro Pontificali inseruit Anastasius Bibliothecarius, ex quibus habemus, ante quintum sæculum Romæ lectis epistolâ & Evangelio missas fuisse inchoatas, sub Cælestino autem non omnes 150. Psalmos, ut habet corruptus catalogi & libri Pontificalis textus, sed aliquos antiphonatim, ut scribit Anastasius Bibliothecarius, legi debuisse, prout nunc introitus inchoante presbytero: *Introibo ad altare Dei.* Et respondente ministro: *ad Deum qui lætificat Iuventutem meam, &c.* Hisce verò positis, considerandum testimonium D. Augustini ex libro 2. retract. cap. 11. desumptum, ubi scribit Hilarium Tribunitium in ministros Carthaginiensis Ecclesiæ fuisse irritatum, *& morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de psalmorum libro sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum, maledicâ reprehensione, ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere.* Et inquit Augustinus:

Catalog. M.S

Catalogus 2.

Augustinus.

Huic respondi jubentibus fratribus, & vocatur liber ipse, contra Hilarium. Hic liber sic incipit: qui dicunt mentionem. Meminit huius libri Possidius in indiculo: *contra Hilarium de canticis ad altare liber unus.* Periit vero hic liber, aut latet, quod occasionem tribuit Cardinali Bona exclamandi libro 2. cap. 3. „ atque utinam hic extaret, multa „ enim in ipso haberemus, quibus hic tractatus illustrior redderetur. „ Et ratione illius plura quoque tradit de introitu non satis antiquitati consona. Veritas autem, ut elucescat, quæro ego, quid sibi voluerit Augustinus, dum apud Carthaginem morem incœpisse testatur, quo ante oblationem dicerentur psalmi ante altare? an forsan Hilarius arguat psalmorum ante sacrificium recitationem? id certè nullo fuco attentare potuisset, cum à Tertulliano presbytero Carthaginiensi audivimus suprà, ante sacrificium psalmos cantatos: *aut psalmi canuntur.* Quid ergo increpat? respondeo nihil aliud, quam *ante Altare:* cum enim lectiones in pulpito legerentur à lectore, psalmi canerentur in Ecclesiâ, Evangelio lecto, tunc solum ad altare ingrediebatur Sacerdos liturgiam aut missam fidelium inchoaturus. Cælestinus verò Papa, cum testibus Amalario & Walfrido Psalmos in introitu Antiphonatim recitari statuisset, morem hunc eo ipso Africana recepit Ecclesia: Cælestini namque tempore vivebat Augustinus, qui tunc obganniente Hilario morem à Romana Ecclesia amplexum, in Africam introductũ fatetur, & ab ipsis Carthaginiensibus observari cœptum. Et hinc vides, verissimum esse, Africanam Ecclesiam in ritibus liturgicis adeò convenisse cũ Romanâ, ut etiam attenderit ad omnes eorum mutationes à summis Pontificibus præscriptas, easque tam citò amplexa fuerit, quam constaret editas. Sit proindè aliqua oratio ex liturgiâ Africanâ per quosdam scriptores Afros allata, quæ nõ reperitur in ordine Romano, exinde profectò concludi nõ potest, liturgiam Africanam à Romanâ fuisse diversam. Ordo enim Romanus à septingentis annis putatur conscriptus, & testimonia Afrorum quintum vel sextum sæculum respiciunt, quibus temporibus & ipsa Romana Ecclesia aliquas preces habere potuit, quæ à Gregorio magno in Sacramentario, vel in ordine Romano posteà omissa sunt.

Possidius. Card. Bona. Tertullian.

CAPVT

CAPUT VII.

De ritu Africanæ Ecclesiæ in sacris ordinationibus.

1. Episcopi Afri à Donatistis accusati, quod ubique collegas instituerent, ut numerum augerent: fuisse tamen in Africâ Ecclesias numeroso clero conspicuas ex pluribus Ecclesiis ostenditur.

2. Ecclesias tam numeroso clero conspicuas ex variis ordinibus constitisse, docent Victor Vitensis & Optatus Milevitanus. Ordines vero omnes in Africanâ Ecclesiâ fuisse sicut in Romanâ, ex variis Africanorum testimoniis eruitur.

3. Illustre testimonium suppeditat Concilium Carthaginiense quartum, quod non modo omnes septem ordines diversis canonibus exhibet, sed & ordinationum ritus Romanæ Ecclesiæ consonos.

4. Ritus ordinationum ex Concilio Carthaginiensi 4. à criticis eidem Concilio suppositi creduntur, eo quod veteres canonum collectores Canonum Concilij Carthaginiensis 4. non meminerint.

5. Meminit tamen Isidorus & post eum Regino, Burchardus, Anselmus, Ivo Carnotensis, & Gratianus, quibus accedit genuina præfatio Synodi indicans genuinos esse canones, qui de ordinationum ritibus agunt.

1. OBiecit in Collatione Carthaginiensi numero 65. Petilianus Constantinensis ex parte Donati Episcopus, adeò multiplicatos in suâ Diœcesi fuisse Catholicos Episcopos, ut duos haberet unum scilicet in civitate Constantinensi nomine Fortunatum, & alium extra civitatem Delphinum nomine sibi adversarios; quin imò Adeodatum Donatistarum in civitate Milevitanâ Episcopum tres habere in plebe sibi commissâ competitores, quorum unus in ipsâ civitate Milevitanâ, alter in Tuncensi, tertius Severianus nomine in Ceramussâ sedem habebant. Addit de Ianuario loci SS. Episcopo Petilianus Donatista n. 117. *In una plebe Ianuarij collegæ nostri præsentis, in una Diœcesi, quatuor sunt constituti contrà ipsum, ut numerus scilicet augeretur:* constat deinde, cum à catholicis præ paucitate despiciendi penes Imperatores accusarentur, pœnam talionis reddere voluisse, & initio collationis eâdem

de re catholicos Episcopos coram missis Imperatorum voluisse traducere, quamvis & constaret, fideles tanto numero per universam Africam fuisse dispersos, ut obinde in singulis civitatibus Episcopos admiserint: quid repetam Mizoni Episcopi diœcesim? de quâ Maximinus partis catholicæ Episcopus num.163. collationis: *presbyteros habet, & abundantem populum.* Quid Milevitanam Severi Ecclesiam clericis refertam? quid Hipponensem Augustini presbyteris & clero conspicuam, de quibus Augustinus attestatur epistolâ 110. cum constet in unicâ Carthaginiensi civitate fuisse ultrà quingentos clericos, ut lib. 3. de persecutione Wandalicâ scripsit Victor Vitensis: *universus clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediâque marceratur ferè quingenti vel amplius.*

Collat. Carthagin.

Victor Vitensis.

2. Ecclesiâ tam numeroso clero conspicuam ex variis ordinibus constitisse, auctor est idem Victor Vitensis libro 1. enumerans, *Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra.* Loquitur omninò cum S. Optato Milevitano libro 2. contrà Parmenianum: *certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros.* Per ministros intelligunt plerique antiquiores Patres Subdiaconos, quamvis hocce loco omnes minores sub Diacono clerici intelligantur. Scribit libro 1. idem Optatus de Maiorino, *qui lector in Diaconio Cæciliani fuerat.* Et commentatur Albaspineus, *omnes minores clerici sub Diaconis, Diaconi sub presbyteris, presbyteri sub Episcopis tanquam per classes disponebantur.* Ex quo loco etiam rationem colligere licet, cur libro 3. S. Optatus Subdiaconos & omnes minores clericos in unam classem redactos sub ministrorum nomine citavit. Cæterum frequens fit etiam mentio minorum ordinum apud scriptores Africanos. Tertullianus est, qui libro de præscriptionibus clamat contrà hæreticos, *hodie Diaconus, qui cras lector.* Cyprianus quoque epistolâ 24. *fecisse me autem sciatis lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confessorem,* & epistolâ 76. ad Magnum: *quod hodiè etiam geritur, ut per exorcistas voce humanâ & potestate Divinâ flagelletur & uratur, & torqueatur diabolus.* Quæ verba tam clara sunt & perspicua, ut Gulielmus Beveregius in notis ad canonem 10. Antiochenum fateatur, exorcizare *Cypriani diebus peculiare quorumdam officium fuisse.* Officium, inquit, cum ordinem dicere debuisset, quandoquidem Cyprianus Pamelio teste alibi exorcistarum ordinis memineat. Meminit quoque epistolâ 28. Favorini Acoluthi, & epistolâ 55. ad Cornelium Papam: *legi litteras tuas, frater carissime, quas per Saturum fratrem nostrum*

S. Optatus.

Albaspineus.

Tertullian.

Cyprian.

Beveregius.

Cyprianus.

nostrum Acoluthum misisti. Et infrà : *nactus tamen occasionem familiarissimi hominis & clerici, per Felicianum Acoluthum.* Scripsit hæc ad Cornelium, qui in epistolâ ad Fabium Antiochenum Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acoluthis, Exorcistis, & Lectoribus addit Ostiarios, quos solos, ne Africana Ecclesia omisisse videretur, eos omninò addidit Concilium Carthaginiense 4. anno 398. sub Aurelio ubi canone 9. Ostiarius cæteris ordinibus accensetur simul cum ritibus ab Africanâ Ecclesiâ in sacris ordinationibus adhiberi solitis. Cornel. epist. ad Fabium.

3. Ji autem, ut verbis Concilij proponantur, ante canonem 2. agentem *de ordinatione Episcopi*, duobus Episcopis Evangeliorum codicem super caput ordinandi tenentibus, unoque benedictionem fundente cum cæteri caput eius manibus tangunt, habentur in Codice Barberino cum hocce titulo :

Recapitulatio ordinationis officialium Ecclesiæ. Concil. Carthagin. 4.

CANON

III.

Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum Benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

CANON

IV.

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

CANON

V.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aquâ, & mantile, & manutergium.

CANON

VI.

Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.

CANON
VII.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: accipe & commenda memoriæ & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.

CANON
VIII.

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei Codicem, de quo lecturus est dicens ad eum: accipe, & esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverint.

CANON
IX.

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

CANON
X.

Psalmista, id est cantor: potest absque scientiâ Episcopi solâ Iussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: vide, ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, opere comprobes.

4. Et hæc sunt, quæ ad ordinationum ritum spectant à Concilio Carthaginiensi 4. probatum, qui ritus tanquam omnium latinorum antiquissimus refertur à Ioanne Morino in opere de sacris Ecclesiæ ordinationibus, cui unum memini me legisse, quod obstaret testimonium, eminentissimi scilicet Cardinalis Bona lib. 1. Rerum liturgicarum, cap. 25. Ubi pro minoribus ordinibus laudat Romanam sub Sylvestro Synodum, & Concilium Carthaginiense 4. Sub Anastasio
Card. Bona. „ Canone 6. Et sequentibus; addit autem: „ non ignoro hæc duo „ Concilia à quibusdam criticis supposititia censeri, sed quidquid de „ illis sit, alia supersunt certiora ab Antiquioribus testimonia: „ quo loquendi modo non obscurè innuit, se accedere sententiæ criticorum, quorum unum reperi Christophori Iustelli in suâ ad Codicem
Iustellus. „ Canonum Africanorum præfatione ita scribentis: „ plane repu„ diandum est, nec fides adhibenda Canonibus centum & quatuor, „ quos

„ quos sine auctoritate huic Concilio adscribunt. „ Moveri autem potuit Iustellus ex eo, quod nec Græci, nec Romani, nec ipsimet Africani collectores Canonum ullos umquam ex hisce 104. Concilij quarti Carthaginiensis citarint: non auctor Codicis Canonum Africanorum, qui post Synodum sextam Carthaginiensem floruit, & 19. Concilia Carthaginiensia ab anno 393. Ad annum 419. compilavit: non quoque auctor Concilij vulgò Africani, quod Afri cuiusdam variorum Canonum compilatio est: non Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Archidiaconus, qui sub Iustiniano Imperatore breviationem Canonum adornavit: sed nec Dionysius Exiguus, qui Romæ floruit, & Carthaginiensium Synodorum centum triginta & octo Canones collectioni inseruit: non græci demum collectores Canonum, quos suis scholiis Ioannes Zonaras, Alexius Aristenus, & Theodorus Balzamon illustrarunt.

5. Magni momenti videri posset petitum ex silentio antiquorum contrà Canones Concilij Carthaginiensis quarti argumentum, illudque hic fusius ad sua principia recenserem, nisi dissertatione sequenti latius de Concilio Carthaginiensi quarto tractare decrevissem; sufficiat itaque occasione Canonum de sacris ordinationibus statuentium hic summatim invaliditatem argumenti negativi ex aliorum monumentorum testimoniis convincere. *Augusto Honorio 4. Et. Eutychiano Consulibus, sexto Idus novembris*, Placuit Aurelio & universali Carthaginiensi Concilio statuere, quæ ad ordines Ecclesiasticos spectant, ut fidem facit præfatio illius Synodi edita ex collectione Isidori Mercatoris, qui à 900. fermè annis floruit, nec ex suo cerebro, sed antiquiori codice eam cum omnibus centum & quatuor Canonibus edere potuit, & debuit. Non ignoro quidem, Isidori Mercatoris auctoritatem tanti momenti non esse apud peritos, quod notum sit, ipsum in collectione suâ pleraque supposititia edidisse, & ideò cum primus sit, qui Synodum Carthaginiensem quartam in lucem emisit, de eâ ab aliquibus dubitari: attamen si acta huius Synodi æquâ lance perpendantur, non omnia supposititia dici posse, sed Canones aliquos huic Synodo, quam certo habitam putamus mense novembris anno 398. Vindicandos esse constabit. Genuinos autem Canones genuina præfatio indicavit, cum in Synodo illâ constituta monet, *quæ ad ordines Ecclesiasticos Canonicis necessaria sunt disciplinis.* Sola ad ordines spectantia refert, & cum in tot ritibus Africanam Ecclesiam cum Romanâ convenisse ostendimus, si huius Carthaginiensis Concilij de sacris ordina- Præfat. Carthagin. 4.

ordinationibus decreta cum Gelasij Sacramentario per Morinum edito, cum libro Sacramentorum Gregorij magni per Hugonem Menardum typis excuso, & cum antiquo ordine Romano, comparaverimus, inveniemus profectò, Canones illos de sacris ordinationibus in utrâque Ecclesiâ fuisse receptissimos, & à Romanis eos verbatim mutuatos Afros, quorum Canones ex Concilio Carthaginiensi 4. citarunt post Isidorum Regino Abbas Prumiensis, Burchardus Episcopus Wormaciensis, Anselmus Lucensis, S. Ivo Carnotensis Episcopus, Gratianus monachus in decreto, & omnes ferè recentiores periti, inter quos nec Morinus, nec Hugo Menardus, nec Bailius, nec Baronius ullam de suppositione horum Canonum habuere suspicionem: quod si adhuc animo hæreas, totam Synodorum Carthaniensium controversiam aggrediamur, & cum inter Africæ Concilia ad Carthaginiense 4. Pervenerimus, ibidem fusius de Canonibus eius agemus.

DISSER-

DISSERTATIO III.

DE

CONCILIIS AFRICANIS,

Eorumque Canonibus cum scholiis & notis.

1. *Quatuor genera Conciliorum in Africa, quorum* 1. *Diœcesanum*, 2. *Provinciale*, 3. *dicebatur universale.*
2. *Quartum genus vocabatur plenarium, quod singulis annis* 10. *Kalend. Septemb. celebrabatur in diversis Provinciis per turnum, quod tamen Africana Ecclesia anno* 407. *abrogavit.*
3. *Ad Concilia plenaria non veniebant omnes totius Africæ Episcopi, sed media tantum pars eorum.*
4. *Præclarum huius veritatis exemplum ex collatione desumitur, ex quâ & ratio istius redditur.*

1. QUatuor Synodorum genera habita fuisse in Africâ, in dissertatione 2. de Synodis occasione Pelagianorum habitis notat Ioannes Garnerius: earum verò primum genus ab unius civitatis Episcopo cum suis presbyteris & Diaconis, quod apud Cyprianum epist. 46. presbyterium vocabatur, ac Diœcesanis nostrorum temporum Synodis correspondet, habitum fuisse. secundum genus erat Conciliorũ unius Provinciæ sive illud communi Episcoporum Provincialium sententiâ congregaretur, cui senior Episcopus præsidebat, sive per primatis tractatoriam convocatum esset, qui & ipse præerat tanquam Metropolitanus: nomen accipiebat vel à Provincia vel ab urbe, ad quam Episcopi à Primate evocati confluebant, & Provinciale tantum vocari poterat, nec plenarij nomen obtinebat nisi addito Provinciæ vocabulo, ut Colligitur ex can. 98. Codicis Africani: *de Concilio plenario cuiusque Provinciæ.* Tertium genus, quando ex pluribus Provinciis non tamen omnibus, cuiusmodi fuit Byzacenum ad quod ex Provinciâ Proconsulari missi

sunt Episcopi legati, hocque Africanum sed particulare nominabatur; ut à quarto genere discerneretur, quod universale vocatum est, ad quod nimirum ex omnibus Provinciis Africæ vel Episcopi quilibet, vel delegati conveniebant.

2. Quartum genus Conciliorum usitato apud Afros vocabulo dicebatur Plenarium, cuius tam frequens mentio apud D. Augustinum & scriptores Afros. Illius cogendi authoritas erat penes Episcopum Carthaginiensem, & annuatim convocandum erat ex statuto Concilij Hipponensis, ut refertur titulo 18. Codicis Africani: *singulis quibusque annis Concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos legatos mittant, ut congregato Conventu plena possit esse potestas.* Additur canone 73. eiusdem Codicis: *Dies verò Concilij idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est* 10. *Kalend. Septemb.* & canone 95. *quoniam constitutum fuerat in Concilio Hipponensi, ut singulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium, non tantum hic apud Carthaginem, verum etiam per diversas Provincias suo ordine; & hoc ita servatum est, ut indiceremus aliquando in Numidiâ, aliquando in Byzacio. At quia hoc laboriosum omnibus fratribus visum est, placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est totius Africæ, undecumque ad hanc sedem de hac re data literæ fuerint, congregandam esse Synodum in eâ Provinciâ, ubi oportunitas persuaserit.* Canon hic 95. constitutus est Honorio 7. & Theodosio 2. Augustis Consulibus, id est an 407. in Carthaginiensi sub Aurelio Primate Concilio, & ex eo habemus, qualiter plenaria Concilia celebrata fuerint modo in unâ, modo in alterâ Provinciâ ordine servato, idque ad 10. Kalend. Septembris, ut vidimus ex canone 73. Sustulit demum hunc morem Africana sub Aurelio Synodus anno 407. & Synodum plenariam non modo singulis annis habendam retractavit, sed ordinem illum Provinciarum in medio Africæ ad mare mediterraneum sitarum exsufflavit, reservante sibi Primate Carthaginiensi & temporis; & loci potestatem, ut ex canon.95. colligitur.

[Margin: Canon. 18. Cod. Afric. — Can.73. ibid. — Canon.95.]

„ 3. Quærit Garnerius agens de Conciliis Plenariis: „ quam ob „ causam nulla Catholicorum Synodus Africana legatur plures Epis„ copos habuisse, quam ducentos & viginti ad summum, cum ta„ men in Africâ forent plures quingentis Ecclesiæ Episcopales Catho„ licæ? „ ac reponit, quod „ conveniebat ex singulis Provinciis una „ tantum

[Margin: Garnerius.]

„ tantum turma, id est, media ferè pars, ex quâ tamen aliqui justas „ haberent absentiæ causas. „ Et confirmatur id ipsum canone cuiusdam Concilij cap.76. Codicis Africani relato, ubi expresse statuitur, ut quotiescumque Concilium congregandum est, Primates Provinciarum duas vel tres turmas Episcoporum faciant, *ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilij instantissimè occurrant.* Quo ex loco facillimè colligitur, non omnes Episcopos ad Concilium adventasse, sed unam fermè aut alteram turmam Episcoporum ex cæteris electorum, quod ob varias rationes ita fieri conveniebat, ac præsertim ne Pastoribus suis orbatæ Ecclesiæ damni quidquam paterentur: ob Donatistas namque, qui per Africam vigebant, suam quisque Episcopus vicino Episcopo domi remanenti profecturus commendare solebat Ecclesiam, ob quam disciplinam specialiter in Africâ receptam nulli umquam Concilio plusquam mediam Episcoporum partem adfuisse legimus, cum plusquam quingenti quinquaginta Episcopi fuisse perhibeantur. Canon.76. Cod. Afric.

4. Nec illustriori exemplo hæc omnia confirmari posse existimem, quam desumpto ex collatione Carthaginiensi habitâ anno 398. sub Aurelio Carthaginiensi Episcopo. Cum enim ex eâ constet, præter sedes sexaginta vacantes, in Africâ fuisse quingentas & decem cathedras, quæ Episcopos Catholicos habebant, constat tamen in eâ collatione præsentes dumtaxàt fuisse ducentos octoginta quatuor, de quibus Rufinianus scriba dixit: *Catholicæ partis Episcopi secundum subscriptionem huic brevi insertam, efficiuntur ducenti sexaginta sex, exceptis his, quos dicunt necdum subscripsisse*, illos autem, qui necdum subscripserant, post eorum consensum in præsentiâ cæterorum expressum, constitit fuisse viginti, ut ait Nampius scriba, quos si coniungas cum ducentis sexaginta sex, efficient numerum ducentorum & octoginta quatuor Episcoporum. Quod si jam quæras, ubi reliqui Episcopi manserunt? Alipius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ in eâdem collatione primi diei num.215. rationem reddit: *scriptum sit, ducentos viginti esse absentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certè necessitas detinuit.* Ducenti viginti Episcopi erant ferè media pars Episcoporum Africæ, illique ob ætatem & necessitatem domi remanserant, quod, ut jam ante monuimus, hunc morem Africa retineret, ut proficiscentibus ad Concilium Episcopis media circiter pars in suis Ecclesiis remaneret, ut donatistas & cæteros lupos à caulis ovium arcerent, & absentium quoque plebi invigilarent. Acta Collationis. Alipius.

CAPUT I.

Brevis Historia de Synodis Africanis, quæ nullos Canones ediderunt, usque ad tempora Grati Carthaginiensis Episcopi.

1. *Initio Ecclesiæ cum recens erat Apostolicæ traditionis memoria, non indigebant fideles scriptis canonibus, hinc secundo sæculo non leguntur Concilia per Africam fuisse celebrata, primumque fuit sæculo 3. in causâ rebaptisationis hæreticorum sub Agrippino.*
2. *Secunda Synodus fuit Lambesitana occasione Privati hæretici, de quâ testimonium Cypriani.*
3. *Tertia Synodus fuit Carthaginiensis Donati à Baronio aliisque prætermissa, quæ decrevit clericos tutores vel curatores constitui non posse, ut testis est D. Cyprianus epist. 66.*
4. *Quarta Synodus habita fuit Carthagine sub D. Cypriano in causâ lapsorum anno 252. de quâ varia apud Cyprianum memoria.*
5. *Quinta Synodus Carthagine celebrata fuit, in quâ de legitimo Cornelii Pontificatu actum est reiectis Novatiani litteris.*
6. *Sexta Synodus in causâ Felicissimi & Novatiani pro lapsis.*
7. *Septima Synodus celebrata fuit anno 255. sub D. Cypriano cum 66. Episcopis, in qua statutū, infantes secundo aut tertio die Baptizari posse.*
8. *Octava Synodus habita fuit in causâ Basilidis & Martialis sub Cypriano.*
9. *Tres subsequentes Synodi celebratæ sunt Carthagine ob exortam de rebaptisandis hæreticis controversiam.*
10. *Alia Synodus anno 258. ante obitum Cypriani celebrata fuit Carthagine in causâ Contumeliosi Diaconi, & Victoris, qui presbyterum constituerat tutorem: fuit hic Victor Furnitanus Episcopus, qui adfuit Concilio Carthaginiensi 3. in causâ rebaptizationis hæreticorum.*

1. CUm à viris etiam doctissimis sæpius erratum sit in indicandis Africæ Conciliis, operæ-precium duximus brevem illorum historiam

historiam ab ipsius Africanæ Ecclesiæ exordio repetere, & illa primùm, quæ nullos Canones ediderunt, ob oculos ponere. Viguit initio Ecclesiæ disciplina ab Apostolis tradita, & quia recens erat eorum memoria, non indigebant primitivi fideles scriptis canonibus, & renovatoriis traditionum statutis; hinc Concilia secundo & tertio sæculo in orbe catholico habita nullos Canones ediderunt, sed, si quæ adunata fuerint, vel ad sopiendam hæresim, vel ad componendam circà personas controversiam plerumque celebrata sunt. Prima post Apostolos Concilia, quæ dogmatis definitionem attigerunt, fuère de Paschatis die sub Victore Papâ ad sæculi secundi finem tempore Tertulliani Carthaginiensis presbyteri, qui dum notavit Græcos suo tempore conventus habere consuevisse de rebus Ecclesiæ, morem illum in Africâ nondum receptum fuisse indicavit. Primus Episcoporum conventus, quem novimus, fuit ille, qui sub Agrippino habitus est an. 215. à septuaginta Africæ & Numidiæ Episcopis pro rebaptizandis hæreticis, cuius mentionem faciunt antiquiores scriptores tres Cyprianus epistolâ ad Quirinum, Augustinus libro 4. de Baptismo, cap. 6. & Vincentius Lerinensis contrà hæreses cap. 9.

2. Secunda Synodus collocatur à Binnio ad annum 242. & Labbeo ad annum 240. fuitque Lambesitana à 90. Episcopis occasione Privati hæretici celebrata, de quâ Cyprianus epistolâ 55. ad Cornelium Papam: *venisse Carthaginem Privatum veterem hæreticum in Lambesitanâ Coloniâ ante multos fere annos ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatum. Antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani & Donati litteris severissimè notatum.* Addit aliqua Cyprianus de collegio Episcoporum, ad quod Privatus alios suæ partis assumpserat, ex quibus colligitur, Privatum hunc fuisse Episcopum Lambesitanum, cumque hæresibus nobis ignotis esset implicatus, non à Lambesitano Provinciæ Numidiæ Concilio dumtaxat depositum, sed & in Africæ Proconsularis Synodo damnatum fuisse, ex quâ Donatus Carthaginiensis eum editis litteris severissimè notarat. Cyprianus.

3. Tertia Synodus Africana, quam prætermisit Baronius in suis annalibus, est Carthaginiensis Donati, de quâ Cyprianus epistolâ 66. ad clerum & plebem Furnis consistentem: *jam pridem in Concilio Episcoporum statutum, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat.* Et infrà: *quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter providentes censuerunt, ne quis* Cyprianus.

frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Antecessores Episcopos nominans Cyprianus locutus videtur de Donato præcessore suo, qui anno 248. ex hac vitâ migravit, ut ante illud tempus Synodus Episcoporum haberi debuerit Carthagine, in quâ cum collegis suis Donatus Carthaginiensis Episcopus de non eligendo in tutorem clerico statuit canonem, id quod nec Binnius in collectione, nec Iustellus in suâ ad Codicem Africanum præfatione animadvertit.

4. Subsequitur prima sub Cypriano Synodus in causâ lapsorum, quos, dum Ecclesia non recipiebat ad Pœnitentiam, martyres dato pacis libello passim ad Episcopos mittebant ab iis communioni reddendos, quod dum Cyprianus missis ubique ex latebris suis ad varios litteris pertractarat, post reditum suum (ut sæpius promiserat) consilio cum Episcopis inito causam lapsorum egit, de quibus epistolâ ad

Cyprianus. Antonianum: *secundum quod ante fuerat destinatum, persecutione sopitâ, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & domini tutela protexit, in unum convenimus, & scripturis diu ex utrâque parte prolatis temperamentum salubri moderatione libravimus. Vt nec in totum spes communicationis & pacis lapsis negaretur, &c.* Persecutionis Decianæ meminit Cyprianus, quæ anno 252. sopita fuit, cumque statim post persecutionem Synodus hæc adunata extitit, non anno 254. ut cum Baronio putavit Iustellus, sed anno 252. ut insinuat Pamelius, celebratum oportuit: hac in Synodo discussam quoque fuisse causam Felicissimi, fidem facit Cypriani ad Caldonium & Herculanum epistola de abstinendo Felicissimo: cum enim metu persecutionis adhuc lateret Cyprianus, post enarrata varia Felicissimi crimina, qui portionem plebis avellens in monte Carthagini vicino conventicula celebrabat, *quæ*, inquit, *omnia tunc cognoscemus, quando in unum cum collegis pluribus permittente Deo convenerimus.* Nec Felicissimi solum, sed & Novati causam hac

Libell. Synodic. in Synodo discussam, tradit auctor libelli Synodici: *Synodus Carthagine collecta à Cypriano, qui eius erat Episcopus, aliisque octoginta quatuor Episcopis, quæ Novatum utpote pœnitentiam lapsis negantem abdicavit.*

5. Putat Pamelius, ad hanc eamdem Synodum pertinere ea, quorum meminit Cyprianus epistolâ 41. ad Cornelium: litteris nimirum ex parte Novatiani pseudopontificis, aliisque à Cornelio acceptis, Caldonium

donium & Fortunatum Romam destinatos, de quibus Cyprianus. *Nam & ego & collegæ plurimi, qui ad me convenerant, expectavimus adventum collegarum nostrorum Caldonij & Fortunati (quos ad te nuper & Coepiscopos nostros, qui ordinationi tuæ affuerant, legatos miseramus) ut eis adventantibus* de vero Pontifice constaret. Addit epistolâ 42. Ad eumdem Cornelium, sese interim respuisse criminatrices Novatiani litteras, *considerantes pariter*, inquiens, *& ponderantes, quod in tanto fratrum religiosoque conventu, considentibus Dei sacerdotibus, & altari posito, nec legi debeant, nec audiri.* Quo ex loco habemus egregium aliquod antiquitatis testimonium de more celebrandi Synodum altari in medio posito: cæterum Caldonium & Fortunatum ad hanc Synodum non fuisse reversos, colligimus primò ex epistolâ 45, ubi scribit ad Cornelium, sese cum Liberali in Adrumetinam coloniam venisse eo tempore, quo Caldonius nondum redierat, quod certè non fecisset, si Concilium adhuc Carthagine adunatum fuisset. Accedit, quod epistolâ 42. asseveret, post acceptas à Caldonio & Fortunato de legitimâ Cornelij ordinatione litteras, sese *per Provinciam hac eadem collegis singulis* indicasse, quo certè opus non fuisset, si collegæ in Concilio adhuc adunati fuissent. Cyprianus.

6. Anno 253. Idibus Maij altera Synodus celebrata creditur in causâ Felicissimi, qui omnes omninò lapsos mox ad communionem admittendos, & Novatiani, qui nullos lapsos umquam recipiendos statuebant. Extat Synodica quadraginta duorum Episcoporum apud Cyprianum editionis Pamelij & Rigaltij ord. 54. in quâ petunt patres Africani à Cornelio Papâ, statutum de recipiendis lapsis pœnitentiâ functis paternæ misericordiæ contemplatione firmari. Addit Cyprianus epist. 55. ad Cornelium de Privato: *qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maiis, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi pseudoepiscopum dignum collegio suo fecit*, quibus verbis insinuat, Fortunatum operâ Privati in locum Cypriani intrusum anno 253. post hoc Carthaginiense Concilium. Cyprian.

7. Anno 255. habitum fuit Concilium Africanum adversus eos, qui circumcisionis instar Baptismum octavo tantum die conferendum statuebant, contrà quod, inquit Cyprianus epist. 59. ad Fidum, *longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est.* Extat epistola ista cum hac epigraphe *Cyprianus & cæteri collegæ, qui in Concilio affuerant numero 66. Fido fratri salutem*, & adstipulatur Augustinus libro 4. Cyprian. Synodica.

contrà

contrà duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap.8. *in epistolà autem, quam scripsit ad Episcopum Fidum cum sexaginta sex Coepiscopis suis, &c.* cumque Cyprianus infantes etiam secundo aut tertio die baptisari posse constituit, egregium aliquod de Africanæ Ecclesiæ sensu testimonium posteritati contrà anabaptistarum insaniam consecravit.

D. Augustin.

8. Anno 256. collocat Philippus Labbeus Synodum Africanam in causâ Basilidis & Martialis, eiusque Synodicam nominatis 26. Episcopis refert Pamelius ordine 68. quæ incipit, *cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras &c.* Statutum fuit in illo Concilio, quod Basilides Legionensis, & Martialis Asturicensis Episcopi legitimè depositi, & ob crimen libellaticum, quod confessi fuerant, ad pœnitentiam admissi, frustrà tentassent Stephanum Papam facti rei ignarum in partes trahere.

9. Anno 257. coactæ fuerunt tres Carthaginienses Synodi pro rebaptisandis hæreticis: cum enim Ianuarius cum Numidiæ Episcopis Concilium celebrasset in Provinciâ suâ, & in controversiam traxisset, an ab hæreticis ad Ecclesiam revertentes iterum baptisandi forent? re ad Cyprianum delatâ coacta fuit prima Carthaginiensis Synodus, cuius Synodica ad Ianuarium & Episcopos Numidas responsoria extat ordin. 70. in quâ Cyprianus cum Proconsularis Provinciæ Episcopis statuunt: *pro certo tenentes, neminem foris baptizari extrà Ecclesiam posse.* Meminit huius Synodi ipse Cyprianus epistolâ 73. ad Jubaianum, & addit: *nunc quoque cum in unum convenissemus tam Provinciæ Africæ, quam Numidiæ, Episcopi numero septuaginta & unus. Hoc idem denuò sententiâ nostrâ firmavimus, statuentes unum baptisma esse, quod sit in Ecclesiâ Catholicâ constitutum:* hæc de secundâ Carthaginiensi Synodo, de tertiâ vero extant acta cum hâc præfatione: *cum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex Provinciâ Africâ, Numidiâ, Mauritaniâ, cum presbyteris & Diaconibus, præsente etiam plebis maximâ parte, & lecta essent litteræ Iubaiani ad Cyprianum facta, item Cypriani ad Iubaianum rescripta, de hæreticis baptizandis, &c.* Extant acta huius Synodi inter opera D. Cypriani, eaque retulit D. Augustinus libro 3. de baptismo contrà Donatistas, ubi & 87. Episcoporum sententiæ de nullitate Baptismi hæretici referuntur, quæ ante Synodum sextam in græcum translatæ fuerunt fidem faciente Synodo Trullanâ, quę hanc erroneam Synodum recepit. Eam Ioannes Zonaras antiquissimam omnium esse erroneè credidit, sed verius reprobatam edixit.

Synodica Carthagin.
Cyprianus.

Acta Synod. Carthagin.

10. Anno

10. Anno 258. ante 18. Kalendas Augusti, quibus obiit Cyprianus, aliud Concilium celebratum fuit Carthagine, quod Contumeliosum Rogatiani Diaconum deposuit, & pro Victore, qui Faustinum Presbyterum ausus fuit tutorem constituere, statuit, non esse offerendum post mortem. Extant utriusque rei epistolæ cum hoc exordio: *Graviter commoti sumus ego & collegæ mei, qui præsentes aderant.* Putavit quidem Binnius, hanc Synodum Carthaginienses tres de rebaptisandis hæreticis præcessisse, sed cum epistolâ Cypriani 66. de Geminij Victoris Furnitani Episcopi obitu mentionem faciat, & in Synodo Carthaginiensi tertiâ numero 58. compareat *Geminius à Furnis*, debuit necessariò Synodus illa, quæ pro defuncto Geminio Victore offerri prohibet, post Carthaginiensem tertiam celebrata fuisse, adeoque anno 258. Epist. 65. 66.

CAPVT II.

De origine Donatistarum, & tribus eorum Conciliis ante Macariana tempora.

1. *Defectu monumentorum ignorantur Synodi usque ad tempora Donatistarum, qui ex traditione Codicum occasionem schismatis sumpserunt, ut constat ex actis Munacij Felicis, quæ adferuntur ex appendice S. Optati Milevitani.*

2. *Ex actis Munacij Felicis constat de Silvani traditione, qui à Secundo Numidiæ Primate in locum Pauli Cirthensis Episcopus creatus fuit, idque annuentibus traditoribus Episcopis, ut fidem faciunt acta Cirthensis Concilij ex D. Augustino excerpta.*

3. *Scholia in Cirthensis Conciliabuli acta, ubi de tempore, quo celebratum est, aliaque quam plura notatu dignißima exhibentur.*

4. *Subsequitur Synodus Carthaginiensis 70. Episcoporum sub Secundo Tigisitano contrà Cæcilianum habita, cuius acta compendiosè referuntur ex D. Augustino, & latius videri possunt apud S. Optatum.*

5. *Tempus Carthaginiensis istius Synodi eruitur ex testimonio S. Optati, & à Baronio reijcitur in annum 306. à Labbeo vero in annum 311. sed minus rectè.*

6. *Alia Donatistarum Synodus rectius à Labbeo collocatur sub Melchiade vel*

vel Eusebio; duravit hoc Conciliabulum per 75. dies, & celebratum fuit à 270. Episcopis ante Macarij persecutionem anno 348. motam.

1. QUia post D. Cyprianum nullum habemus ex Africâ scriptorem, qui res gestas usque ad tertij sæculi finem descripsit, hinc Synodos Africanas non habemus ante tempora Donatistarum, qui ex traditione codicum in persecutione Diocletiani anno 303. sua initia habuëre, ut clamant omnia patrum scripta & antiquitatis monimenta. Egregium habemus de hâc codicum traditione in gestis Felicis & Cæciliani editis in appendice ad S. Optatum, ubi inseruntur acta Munatij Felicis Cirthensium in Numidiâ Procuratoris, qui iussu Diocletiani Paulum Cirthensem Episcopum cum clero suo tradere coegit, ut sequitur.

ACTA MUNATIJ FELICIS.

Acta Felicis. *Diocletiano 8. & Maximiano 7. Consulibus, 14. Kalendas Iunias, ex actis Munatij Felicis F.P.P. Curatoris Coloniæ Cirthensium. Cum ventum esset ad domum, in quâ Christiani conveniebant, Felix F.P.P. Curator Paulo Episcopo dixit, proferte scripturas legis, & si quid aliud hic habetis, ut præceptum est, ut jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit. Scripturas lectores habent, sed nos, quod hic habemus damus. Felix F.P.P. Curator Paulo Episcopo dixit: ostende lectores, aut mitte illos. Paulus Episcopus dixit, omnes cognoscitis. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit. Non eos novimus. Paulus Episcopus dixit: novit eos officium publicum, id est Edesius & Iunius exceptores. Felix F. P. P. Curator reipublicæ dixit: manente ratione de lectoribus, quos demonstrabit officium, vos quod habetis, date. Sedente Paulo Episcopo, Montano, & Victore, Deusatelio, & Memorio presbyteris, adstante Marte cum Elio Diacono, Marcuclio, Catullino, Silvano & Caroso Subdiaconis, Ianuario Meraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore & cæteris fossoribus, contrà scribente Victore Aufidij in brevi sic: Calices duo aurei: item calices sex argentei: urceola sex argentea: cucumellum argenteum, lucernæ Argenteæ septem: cereofala duo: candelæ breves æneæ cum lucernis suis septem: item lucernæ æneæ undecim cum catenis suis: tunicæ muliebres 82. mafortea 38. tunicæ viriles 16. caligæ viriles paria 13. caligæ muliebres paria 47. coplæ rusticanæ 19. Felix F.P.P. Curator Reipublicæ* * *Subdiaconis Marcuclio Silvano, & Caroso* * *fossoribus dixit, proferte hoc quod habetis.*

Silvanus

Silvanus & Carosus dixerunt, quod hic fuit, totum hoc eiecimus. Felix F. P. P. Curator reipublicæ Acuclio, Silvano, & Caroso dixit, responsio vestra actis haret. Posteaquam perventum est in Bibliothecam, inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit, Silvanus Capitula argentea, & lucernas argenteas, quod diceret se post orcam eas invenisse. Victor Aufidi Silvano dixit: mortuus fueras, si non illas invenisses. Felix F.P.P. Curator Reipublicæ Silvano dixit, quare diligentius, ne quid hic remanserit. Silvanus dixit, nihil remansit, totum hoc eiecimus. Et cum apertum esset triclinium, inventa sunt ibi dolia 4. & orcæ sex. Felix F.P.P. Curator Reipublicæ dixit, proferte scripturas, quas habetis, ut præceptis Imperatorum & jussioni parere possimus. Catulinus protulit Codicem unum pernimium maiorem. Felix F.P.P. Curator reipublicæ Marcuclio & Silvano dixit, quare unum tantummodo codicem dedistis, proferte scripturas, quas habetis. Catulinus & Marcuclius dixerunt, plus non habemus, quia Subdiacones sumus, sed lectores habent codices. Huc usque acta de traditione rerum sacrarum, cætera agunt de traditione codicum à lectoribus.

2. Hæc autem ita referre placuit, quod ex ijs constat de Silvano Subdiacono qui post mortem Pauli Episcopi Cirthensis Episcopus electus est, ob cuius ordinationem adunati XI. Numidiæ Episcopi Synodum habuëre, cuius acta reperiuntur apud D. Augustinum libro 3. contrà Crestonium. cap. 27. & sunt sequentia:

ACTA CIRTHENSIS CONCILIJ

Sub secundo Numidiæ Primate.

a * *Diocletiano octies & Maximino septies Consulibus*, * b *quarto nonas martij* * c *Cirthæ cum* * d *Secundus Tigisitanus primæ Cathedræ consedisset* * e *in domo Vrbani, Donatique, idem dixit, probemus nos primo, & sic poterimus hic ordinare Episcopum* * f *Secundum. Donato Masculitano dixit, dicitur te tradidisse. Donatus respondit, scis quantum me quæsivit* * g *Florus, ut thurificarem, & non tradidit me Deus in manus eius frater, sed quia Deus mihi dimisit, ergo & tu serva me Deo. Secundus dixit, quid ergo facturi sumus de Martyribus, quia non tradiderunt, ideo & coronati sunt? Donatus dixit, mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus dixit: accede unâ parte. Secundus Marino ab Aquis tibilitanis dixit, dicitur & te tradidisse. Marinus respondit,* Acta Cirthens.

 dedi

dedi Pollo chartulas, nam codices mei salvi sunt. Secundus dixit: transi unâ parte. Secundus Donato Calamensi dixit, dicitur te tradidisse. Donatus respondit, dedi codices medicinales. Secundus dixit, transi unâ parte. Et alio loco Secundus Victori à Rusiccate dixit, dicitur te tradidisse quatuor Evangelia. Victor respondit, Valentianus curator fuit, ipse me coegit, ut mitterem illa in ignem. Sciebam illa delicta fuisse, hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit, transi unâ parte. Et alio loco Secundus Purpureo à Limatad, dicitur te necasse filios sororis tuæ duos * h *Milei. Purpureus respondit, putas me terreri à te sicut & alteri? tu quid egisti, qui tentus es à curatore & ordine, ut scripturas dares, quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti aut jussisti dari quodcumque. Nam non te dimittebant passim, nam ego occidi & occido eos, qui contrà me faciunt, ideo noli me provocare, ut plus dicam, scis me de nemine tractare.* * i *Secundus minor Patruo suo Secundo dixit, audis quid dicat in te, paratus est recedere & schisma facere, non tantum ipse, sed & omnes, quos arguis, quos scio, quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebis solus hæreticus, ideo quid ad te pertinet, quis quid egit, Deo habet reddere rationem. Secundus* * k *Felici à Rotaria Centurioni, & Victori à Garbe dixit, quid vobis videtur? responderunt, habent Deum, cui reddant rationem.* Secundus dixit, *vos scitis & Deus, sedete. Et omnes responderunt: Deo-gratias.* Huc usque acta apud Augustinum, post quæ secuta est ordinatio * l Silvani.

SCHOLION.

3. a * *Diocletiano octies & Maximino septies Consulibus.* Sed erroneè, illi enim Consules fuere, cum persecutio movebatur anno 303. Quo Paulus Cirthensis Episcopus adhuc vivebat 14. Kalendas *Iunias*, *ut testantur acta Minutij Felicis suprà.* Addunt Episcopi Catholici in collatione 3. diei, persecutores adhuc in Africâ sæviisse anno 304. cum Donatistas inter & Catholicos conveniebat: Cirthense verò Concilium coactum fuisse *post persecutionem*, vel ut partis Catholicæ Episcopi in collatione: *post Africanorum Martyrum passionem*, de quâ in Breviculo collationis S. Augustinus: *gesta Martyrum quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt, Diocletiano IX. Et Maximiano VIII. Pridiè idus Februarias: gesta autem Episcopalia decreti Cirthensis post eorumdem Consulatum tertio nonas Martias*, anno nimirum 305. quo persecutio finita fuit, postquam Diocletianus & Maximianus purpuram deposuerant privati effecti.

Acta Collat.

Brevic. coll.

* b.

* b. *Quarto nonas Martij.* S. Optatus libro 1. aliter sentit : *post persecutionem apud Cirtam civitatem (quia basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Vrbani Carisi consederunt die 3. Maiarum, sicut scripta Nundinarij tunc Diaconi testantur, & vetustas membranorum testimonium perhibet.* Cæterum acta Cirtnensis Concilij, quæ relata fuerunt in collatione Carthaginiensi confirmant, in Martio habita referente D. Augustino in breviculo collationis : *tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur, plures utique quam undecim, quos prius Catholici minus diligenter computando responderant.* Loquitur Augustinus de gestis Martyrum notatis Diocletiano 9. & Maximiano 8. pridiè idus februarias, & de actis Cirthensis Synodi, quæ si notata fuissent post eorumdem Consulatum die 3. Maiarum, non tredecim sed quindecim menses intervenissent. S. Optatus. Augustin. in Brevicul.

* c. *Cirtha.* Fuit Metropolis civilis Provinciæ Numidiæ, hodièque Constantina nuncupatur.

* d. *Secundus Tigisitanus prima cathedra.* Licet Cirtha fuerit Metropolis, Secundum tamen fuisse Primatem Numidiæ ex hoc loco probatur, cui consonat D. Augustinus libro 1. contrà Parmenianum: *qui venientes cum Primate suo tunc Secundo Tigisitano.* S. Augustin.

* e. *In domo Vrbani, Donatique. Basilicæ enim necdum fuerant restitutæ*, ut scribit S. Optatus, quod in Basilicis Episcopi Concilia celebrarent, & Episcopos ordinarent, quod tunc fieri non póterat, Christianorum Basilicis in persecutione dirutis. S. Optatus.

* f. *Secundum.* Legendum est, ni fallor, *Silvanum.* Ille enim ordinandus erat Cirthensis Episcopus.

* g. *Florus.* de eo habet S. Optatus libro 3. quod persecutionis tempore sub Diocletiano & Maximiano judex fuerit in Provinciâ Numidiæ. *In Numidiâ Florus.* S. Optatus.

* h. *Milei.* Non fuit nomen sororis, sed carceris juxtà illud S. Optati libro 1. Homicida Purpureus Limatensis, *qui interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur.* Unde putem ante *Milei* ponendum *in Carcere :* quod exscriptorum incuriâ in actis prætermissum.

* i. *Secundus Minor.* Hunc fuisse Numidiæ Episcopum, ex eo colligi videtur, quod in hoc Concilio patruo suo consuluerit non occultè, sed palam loquendo, quod Episcopis competit, unde Secundus tantum petit ab aliis Episcopis, *quid vobis videtur.*

* k. *Felici à Rotariâ centurioni, & Victori à Garbe.* Correctius

S. Optatus. S. Optatus libro 1. *consulti qui remanserunt, id est Victor Garbiensis, Felix à Rotario, & Nabor à Centurion.* Ad quæ verba Gabriel Albaspineus: aderant in illo Concilio duodecim Episcopi, ut patet in breviculo cap. 17. quorum sex accusarentur: cæteri consulti sunt. Verum dicit D. Augustinus in Breviculo cap. 17. *illos undecim vel duodecim Episcopos in domum privatam convenire potuisse.* Ii autem numerantur:

Augustin. in Brevicul.

1. Secundus Tigisitanus Numidiæ Primas.
2. Donatus Masculitanus.
3. Victor Russicadiensis.
4. Marinus ab Aquis Tibilitanis.
5. Donatus Calamensis.
6. Purpurius Limatensis.
7. Menalus....
8. Secundus Minor.
9. Victor Garbiensis.
10. Felix à Rotario.
11. Nabor à Centurion.

Et hi omnes exceptis quatuor ultimis, teste S. Optato, traditores fuëre, & sunt undecim illi à D. Augustino memorati, quibus si addas Silvanum ab ipsis ordinandum, habebis duodecim.

* l. *Silvani.* Idem ille est, qui sub Paulo Cirthensi Episcopo erat Subdiaconus, & codices tradiderat, ut fidem faciunt acta Minatij Felicis. Hunc autem ordinaverunt Episcopum reluctante populo, unde Victor Grammaticus in gestis purgationis Cæciliani: *clamavi & ego & populus, quod traditor esset.*

Gesta purgation. Cæciliani.

4. Hæc Synodus Cirthensis, post quam celebrata est alia Carthaginiensis septuaginta Episcoporum, ut testatur D. Augustinus in collationis breviculo, qui & acta Synodi vidit nunc deperdita. Eâ D. Augustinus in Breviculo collationis tertiæ diei compendiosè retulit hisce verbis. *Et recitatum est à Donatistis Concilium fermè septuaginta Episcoporum contrà Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverunt, quod ad eos venire noluerit, tanquam à traditoribus ordinatus, & quia cum esset Diaconus, vinctum afferri Martyribus in custodiâ constitutis, prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maximè Felix Abtugnensis acerbius accusatus est, ita ut fons malorum omnium diceretur. Deinde sententiæ à singulis dictæ sunt. Primitus à Secundo Tigisitano, qui eorum princeps fuit, deinde à cæteris, quibus expresserunt, se Cæciliano & collegis eius non communicare.* Fusius hæc enarrat S. Optatus Milevitanus Episcopus lib 1. qui ex factione Lucillæ contrà Cæcilianum indignatæ, ex ambitu Botri & Cælesij per electionem Cæciliani spe obtinendi

Augustin. in Brevicul.

Sedem

Sedem Carthaginiensem privatorum, ex Avaritiâ demum seniorum, qui ne deposita Ecclesiæ ornamenta reddere cogerentur, sese omnes Cæciliano opposuêre, evocantes ex Numidiâ Secundum Tigisitanum Primatem, qui unâ cum septuaginta fermè Episcopis Cæcilianum deposuêre homicidâ Purpurio sententiam in hæc verba ferente: *exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentiâ.* Post quem in locum Cæciliani Maiorinum Lucillæ factiosæ fœminæ domesticum Episcopum ordinarunt: Et sic demum altare contrà altare erectum est huius Concilij tempore. Purpurius.

5. De tempore autem huius Synodi voluit S. Optatus, post Cirthensem Synodum celebratam fuisse hanc Carthaginiensem, idque post indulgentiam à Maxentio missam, de quâ Eusebius libro 8. cap. 25. *Maxentius, qui Romæ Tyrannidem occupare instituit, in ipso imperij sui ingressu fidem nostram se amplecti, quo populo Romano placeret, eumque blanditiis deliniret & assentatione, callidè simulavit. Et eâ de re illis, qui eius parebant imperio in mandatis dedit, ut persecutionem contrà Christianos remitterent.* Maxentium verò anno 1. Constantini, qui cum anno Christi 306. coincidit, à prætorianis militibus Romæ Augustum denunciatum fuisse, habet Eusebius in chronico, unde eminentissimus Cardinalis Baronius in eumdem annum reijcit Carthaginiense Concilium: Baronium in chronologiâ imitatus est Labbeus, in notis tamen marginalibus ad Carthaginiense 70. Donatistarum Concilium sub Marcello celebratum anno Christi 306. adjunxit: *immò potius 311. sub Eusebio.* Quod quâ ratione fultum sit, videre non potui. Eusebius. Labbeus.

6. Verius forsan erit, quod de alio Carthaginiensi Concilio annotavit tomo 1. Conciliorum, quod dum à 270. Episcopis celebratum Baronius ad annum 308 retulisset, & ex Baronio Binnius cum hocce titulo: *Concilium Carthaginiense 2. schismaticorum sub Marcello habitum anno* 308. in margine notavit Labbeus, *sub Eusebio potius, Melchiade, aut Silvestro, imò & post Nicænum, ut quidam volunt, sub Donato Carthaginiensi Episcopo.* Sumpserat fundamentum suum Baronius ex epistolâ 48. Augustini, ubi ad Vincentium Cartennensem in Mauritaniâ partis Rogatianæ Episcopum: *Scribit enim ille Tychonius homo, ut dixi, vestræ communionis, à ducentis & septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthagini celebratum. In quo Concilio per septuaginta & quinque dies postpositis omnibus præteritis limatam esse sententiam, atque decretam, ut traditoribus immensi criminis reis, si Baptizari* Tit. Concil. Labbeus. Augustinus.

tizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium autem Macrianensem Episcopum communionis vestra dicit traditorum plebem congregatam Ecclesia miscuisse, & secundum statuta illius Concilij à ducentis & septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum traditoribus unitatem, eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum : nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis per 40. annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam traditoribus sine Baptismo communicasse. Quia mentio fit 40. annorum usque ad persecutionem Macarij, an. 348. contrà Donatistas motam, crediderunt ex verbis Augustini cum Baronio plerique periti, quadraginta annis ante persecutionem Macarij an. nimirum 308. celebratum fuisse illud Donatistarũ Concilium : verum Balduinus in historiâ Carthaginiensis collationis considerans ducentorum septuaginta Episcoporum multitudinem, neque multo plures convenisse post centum annos ad collationem,
Balduinus. „ suspicatus est omnium primus „ mendosum esse numerum in Au-
„ gustino, præsertim cum vix credibile videatur, tam multos tam citò
„ fuisse Antistites Donatistarum. Itaque suspicabar posse detrahi
„ ducentos, ut septuagintà tantum relinquantur. „ Hæc ille, cui repugnat repetitus ab Augustino 270. Episcoporum numerus, ut verosimile maneat, tot Episcopos adventasse, sed non duobus post Majorini ordinationem annis, verum tardius, ut notavit Labbeus. Quod enim D. Augustinus scribat, Mauros per quadraginta annos usque ad tempora Macarij communicasse traditoribus non rebaptizatis, nihil facit ad initam Deuterium inter & Donatum concordiam, quæ facta est in hoc Concilio Carthaginiensi, quod nullatenus 40. annis ante Macariana tempora factum enarratur apud Augustinum : potuerunt enim Episcopi Mauri ab anno 308. communicare traditoribus, & post aliquot annos à Deuterio idem introductum fuisse in alias Provincias, ut traditoribus sine rebaptizatione communicetur, probante id ipsum Concilio Carthaginiensi jam citato.

CAPUT

CAPVT III.

De Concilio Carthaginiensi primo, & 14. eius Canonibus.

1. *Synodus prima Carthaginiensis, quæ canones posteritati consecravit ex duplici editione superest, & ex utrâque præfatio adfertur.*
2. *Scholia in præfationem, ubi & notatu dignißima exhibentur.*
3. *Canones aut capitula 14. ex editione vulgatâ, & ex aliâ ad Codicem Vaticanum à Lucâ Holstenio recensitâ.*
4. *Canon 1. occasione Donatistarum constitutus de non rebaptisandis hæreticis.*
5. *Canon 2. occasione circumcellionum de non venerandis aliis, quam verorum Martyrum sepulchris.*
6. *Canon 3. agit de non habendo in domo suâ subintroductâ muliere aut viro, quæ latius exponuntur.*
7. *Agit quoque de sanctimonialibus fœminis, quæ virginitatem Deo voventes in monasteriis sub præpositâ aut matre in communi vivebant, quâ de re adferuntur plura patrum Africanorum testimonia.*
8. *Canones 5. & 7. de non ordinandis alterius clericis, & non recipiendis sine pacificis expenduntur, & notatu digna adferuntur de Sardicensis Concilij receptione in Africâ, & communione paßivâ.*
9. *Canones 13. & 14. mentionem faciunt Conciliorum Africanorum, quorum acta perierunt.*

1. POst Synodos tres à Donatistis in Africâ habitas, Concilium Carthaginiense hoc capite illustrabimus referendo integra eius acta, eo quod ante nostra tempora in variis collectionum editionibus fuerint corruptissima, & jam pridem à V.CL. Lucâ Hostenio ex vetusto codice Vaticano emendata sint, & semel tantum in appendice ad tomum 2. Conciliorum Philippi Labbei edita.

CONCILIUM CARTHAGINIS AFRICÆ
Sub Grato Episcopo
Celebratum Anno Christi 348.

Editio vulgata in tomis Conciliorum exhibita.

Concilij primi Carthaginiensis Exordium.

CUm Gratus Episcopus Carthaginiensis in Concilio una cum collegis suis consedisset, & qui ex diversis Provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt, Felice Baianensi, Fortunatiano Raptano, Crescente Vagensi, Vindiciano Lacobricensi, Abundantio Adrumetino, Privato Vegesilitano, Gaudentio Tusdritano, Patricio Sincensi, Quieto Uticensi, Rumulo Tebestensi, & cæteris, quorum manus continentur, idem Gratus Episcopus dixit. Gratias Deo omnipotenti, & Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus finem, & respexit Ecclesiam suam, ut in eius gremium erigeret universa membra dispersa, qui imperavit religiosissimo Constantino Imperatori, ut votum gereret unitatis, & mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum & Macarium. Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per diversas Provincias Concilia celebraremus, & universæ Provinciæ Africæ hodiernâ die Concilium gratia Dei Carthaginem veniret. Unde considerantibus

Editio à Luca Holstenio ad Codicem Vaticanum correcta.

Præfatio.

CUm Gratus Episcopus Carthaginis in Concilio una cum collegis suis consedisset, qui ex diversis Provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt, Felice Baianensi, Fortunatiano Capsitano, Crescente Bagensi, Vindicio Sacubazensi, Abundantio Adrumetino, Privato Begeselitano, Gaudentio Turretamallumensi, Eparchio Siccensi, Quieto Uticensi, Romulo Tebestino, & cæteris, quorum manus continetur, idem Gratus Episcopus dixit: Gratias Deo omnipotenti & Christo Jesu, qui dedit malis schismatis finem, & respexit Ecclesiam suam, ut in eius gremium erigeret universa membra dispersa: qui imperavit religiosissimo * a Constantino Imperatori, ut votum gereret unitatis, & mitteret ministros operis sancti famulos Dei * b Paulum & Macarium. Ex Dei ergo nutu congregati * c ad unitatem, ut * d per diversas Provincias Concilia celebraremus, & * e universæ Provinciæ Africæ hodierno die Concilij gratiâ ad Carthaginem venirent. Unde conside-

tibus vobis cum meâ mediocritate tractentur tituli necessarij, de quibus necesse est, nos, memores præceptorum divinorum & magisterij divinarũ scripturarum, contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

considerantibus vobis cum meâ mediocritate tractentur * f tituli necessarij, de quibus necesse est nos memores præceptorum divinorum, & magisterij scripturarum sacrarum, contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

SCHOLION.

2. * a *Constantino.* Apud Merlinum legitur *Constantio*, sed rectius ad annum 348. Cæsar Baronius legendum putat *Constanti*, qui tunc occidenti & Africæ præerat, & de quo S. Optatus Milevitanus lib.3. *quem enim latet præter te, quia peregrinus es, & potuerunt tibi falsa narrari? aut quis negare potest, rem, cui tota Carthago principaliter testis est, imperatorem Constantem, Paulum & Macarium primitus non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleëmosinis, quibus sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas.* Baronius. S.Optatus.

* b. *Paulum & Macarium.* Hi duo, teste Optato suprà, missi à Constante, ut Ecclesiis Africæ, quæ valdè pauperes erant, eleëmosinis per Imperatorem transmissis succurrerent, & hâc viâ Donatistæ ad unitatem reducerentur. Verum cum Donatus Carthaginiensis Antistes, furore succensus maledicta in Imperatorem effunderet, & nuntios per omnes Africæ Provincias, ne sui aliquid de eleëmosinis acciperent, misisset, ubi Paulus & Macarius Bagaiensem civitatem approximantes per Circumcelliones à Donato Bagaiensi Episcopo immissos impeterentur, *à Sylvestro comite armatum militem postularunt,* inquit S. Optatus, sicque factum est, ut Circumcellionum audaciam compescuerint, Donatistarum furori obstiterint, plures eorum cœperint, & eos cum ipso Donato relegarint. S. Optatus.

* c. *Ad unitatem.* Extinctis enim, aut relegatis plerisque Donatistarum Episcopis, qui plebem in unaquâque civitate diviserant, unitas facta est, Afrorum populo in unam communionis societatem coniuncto.

* d. *Per diversas Provincias Concilia celebraremus.* Ita omnes huius

huius Synodi editiones, ex quibus clarum fit, ante hanc Carthaginiensem Synodum celebratas fuisse alias per diversas Africæ Provincias. Ignoratum id hactenus fuit, sed verum esse ex variis Canonibus patebit.

Lectio vulg. * e. *Et universa Provincia Africa hodierno die Concilij gratiâ ad Carthaginem venirent.* Lectio vulgata habebat: *& universa Provincia Africa bodiernâ die Concilium gratia Dei Carthaginem veniret.* Ex hac corruptâ versione, quam erratum sit ab Abbate Fuliensi, audivimus suprà: cæterum codicis Vaticani lectio per Holstenium publicata indicat, ex universis Africæ Provinciis hanc Synodum coactam fuisse. An autem Provinciæ legatos suos miserint, an potius turmam Episcoporum, non constat.

Gratus. * f. *Tituli necessarij.* Loquitur Gratus de Canonibus hac in Synodo statuendis, quos ex duplici editione hic subiungimus.

TITULI CAPITULORUM ET CAPITULA juxta editionem Vulgatam.

I.

Vt baptismum in Trinitate susceptum non iteretur.

Ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate secundum Evangelij fidem, & Apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum, de resurrectione Jesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aquâ iterum intingi? Universi Episcopi dixerunt: absit, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincerâ fide, & Catholicâ disciplinâ.

CAPITULA ET CANONES juxta editionem ex Codice Vaticano.

I.

Vt baptismum in Trinitate susceptum non iteretur.

Ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis: & sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis, an descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitatem secundum Evangelij fidem & Apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Jesu Christi, liceat interrogari in eamdem fidem, & in aquâ iterum intingui. Universi Episcopi dixerunt: absit, absit. Inlicitam enim esse sancimus rebaptizationem, & satis alienã à sincerâ fide, & Catholicâ disciplinâ.

II.

EDITIO VULGATA.

plinâ. Gratus Episcopus dixit: magna beatitudo à Deo Patre per Dominum Christum concessa est tempore nostro, ut liceat religiosis mentibus insinuare Ecclesiasticam disciplinam, ut auditores percipientes regulam rectam & Deo placentem, præmia multorum bonorum percipiant, ut in ipsis Deus in omnibus, & pro omnibus honoretur. Discussus est titulus necessarius rebaptizationis, in quo plus schismatis rabies delitescebat; & habitâ moderatione, legis vigore, & auctoritate fides custodita est. Illud sanè sapientissimis vestris sensibus insinuare contendo, licet vestra prudentia sit instructa à Deo, & mereatur in pace & unitate consequi desuper munera larga; tamen & ego unus ex vobis, & qui parem vobiscum sollicitudinem gero, propter Ecclesiasticum ordinem illud insinuare curabo.

II.

De Martyrum sepulchris & honorificentiâ.

Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiva corpora, quæ sepulturæ tantum propter misericordiam Ecclesiasticam, commendari mandatum est, redigat, ut aut insaniâ præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut aliâ ratione peccati disjunctos non ratione vel tempore competenti, quo Martyria celebrentur, Martyrum nomine appellet. At si quis ad injuriam Martyrum, claritati eorum adjungat infamiam, placet eos, si laici sunt, ad pœnitentiam

EDITIO CORRECTA.

II.

De Martyrum sepulchris & honorificentiâ.

Gratus Episcopus dixit: magna beatitudo à Deo Patre per Christum Dominum concessa est tempori nostro, ut liceat religiosis mentibus insinuare Ecclesiasticam disciplinam: ut auditores percipientes regulam rectam & Deo placentem præmia meritorum bonorum percipiant: ut in ipsis Deus in omnibus & pro omnibus honoretur. Discussus est titulus necessarius rebaptizationis, in quo plus schismatis rabies delitescebat: & adhibitâ moderatione legis vigor & auctoritas constituta est. Illud sanè sapientissimis vestris sensibus insinuare contendo, licet vestra prudentia sit instructa, & à Deo docta, & mereatur in pace & unitate consequi desuper munera larga, tamen & ego unus ex vobis, & qui parem vobiscum sollicitudinem geram, propter Ecclesiasticum ordinem illud insinuare curabo. Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque passiva corpora; quæ sepulturæ tantum propter misericordiam Ecclesiacam commendari mandatum est, redigat; ut aut insaniâ præciptatos, aut aliquo tali pacto, aut aliâ ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti, quo Martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet: aut si quis ad injuriam Martyrum, claritati eorum adjungat infamiam, placet eos; si laici sunt, ad pœnitentiam redigi; si autem sunt

EDITIO VULGATA.

tentiam redigi: si autem sunt clerici, post commonitionem, & post cognitionem, honore privari. Universi dixerunt: rectè stabilit sanctitas vestra. Hoc & singulis Conciliis statutum est.

III.

Vt Clerici & sanctimoniales fœminæ cum extraneis viris vel fœminis non habitent.

Gratus Episcopus dixit: & illud præcipuè, si videtur vestræ dilectioni, cavendum est, ut pastoris cura, quantum debet & potest regularis providentia præmoneat, ut nullis liceat, ab affectu abstinentibus carnali, apud extraneas pariter commorari. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas Diaboli sub prætextu caritatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur, nullaque sanctimoniæ & virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in unâ domo cum extraneis penitus commorari debent. Universi dixerunt: qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem hæc vitare debent. Et non solum non habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex jubet, & sanctitas vestra commendat, ut in singulis Conciliis statutum est. Gratus Episcopus dixit: ergo persuasio interdum prudentes solet arcere à peccatis, dum imprudentes debet metus huiuscemodi constringere, si sanum consilium respuunt,

EDITIO CORRECTA.

sunt clerici, post commonitionem, & post cognitionem honore privari. Universi dixerunt: rectè statuit sanctitas vestra: hoc & singulis Conciliis statutum est.

III.

Vt Clerici vel sanctimoniales fœminæ cum extraneis viris vel fœminis non habitent.

Gratus Episcopus dixit: & illud præcipuè, si videtur vestræ dilectioni, cavendum est, ut pastoris cura, quantum debet & potest regularis providentia, præmuniat, ut nullis liceat ab affectu carnali abstinentibus cum extraneis pariter commorari. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas Diaboli sub prætextu caritatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus ergo & nulla, sanctimoniæ deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in unâ domo penitus commorari non debent. Universi dixerunt: qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, vitare debent, non solum habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex jubet, & sanctitas vestra commendat: hoc & in singulis Conciliis à nobis statutum est. Gratus Episcopus dixit: ergo persuasio interdum prudentes solet arcere à peccatis, dum imprudentes debet metus huiusmodi constringere, si sanum consilium respuunt & salutare mandatum. Si ergo

Editio Vulgata.

puunt, & salutare mandatum. Si ergo laici sunt, post commonitionem, si contempserint, à communione separentur. Universi dixerunt: placet.

IV.

Vt Clerici cũ viduis vel aliis extraneis personis non commorentur.

Gratus Episcopus dixit: etsi infinita sunt, quæ lege præscripta, proficientia sunt disciplinæ, & unusquisque nostrum tractatu assiduo & commonitione frequenti, per singulas quasque species proficientes ad disciplinam, poterit populos invitare; tamen aliqua ex eis propter blasphemias suggerenda sunt à nobis, & in Concilio statuenda. Si videtur vobis, pari sententiâ teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nulla secum germanitate conjuncti sunt. Universi dixerunt: juxtà viduos & viduas eadem lex maneat, & sententia.

V.

Vt Clerici vel laici in alterius Ecclesiâ non ordinentur.

Privatus Episcopus Vegeselitanus dixit: suggero sanctitati vestræ, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis Episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe alienâ, ut eum ordinet sine conscientiâ eius Episcopi, de cuius plebe est. Gratus Episcopus dixit: hæc observantia pacem custodivit. Nam & memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis

Editio Correcta.

ergo laici sunt, post commonitionem, si contempserint, à communione separentur: si clerici sunt, honore priventur. Universi dixerunt: placet placet.

IV.

Vt cum viduis vel viduabus extraneæ personæ non commorentur.

Gratus Episcopus dixit: etsi infinita sunt, quæ lege præscripta sunt, proficientia disciplinæ; & unusquisque nostrum tractatu assiduo & commonitione frequenti singulas quasque species proficientes ad disciplinam poterit populos intimare: tamen aliqua ex his propter blasphemias suggerenda sunt à nobis, & in Concilio statuenda. Si videtur vobis, pari sententiâ teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nullâ secum germanitate conjuncti sunt. Universi dixerunt: juxtà viduos & viduas eadem lex maneat, & sententia.

V.

Vt Clerici & laici in alterius Ecclesiâ non ordinentur.

Privatus Episcopus Begeselitanus dixit: suggero sanctitati vestræ, ut statuatis, non debere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui, neque apud se detinere: sed nec laicum usurpare sibi de plebe alienâ, ut eum ordinet, sine conscientiâ eius Episcopi, de cuius plebe est. Gratus Episcopus dixit: hæc observantia pacem custodit: nam & memini sanctissimo Concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo

EDITIO VULGATA.

bis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à collegâ suo, & per consensum habeat.

VI.

Ut Clerici actus sæcularium, vel procurationes non suscipiant.

Necasius Episcopus Culusitanus dixit: credo placere suggestionem meam Sanctitati vestræ, & displicere vobis, ut qui serviunt Deo, & annexi sunt clero non accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: & Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt; nemo militans Deo, ingerit se negotiis sæcularibus. Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Universi dixerunt: hoc observemus.

VII.

Ut Clerici vel laici in Ecclesiâ alienâ non communicent sine litteris sui Episcopi.

Casianus Usulensis Episcopus dixit: statuat gravitas vestra, ut unusquisque clericus vel laicus non communicet in alienâ plebe, sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit: nisi hoc observatum fuerit, communio fiet passiva. Nam si cum literis receptus fuerit, & concordia inter Episcopos servatur, & nemo subtilis, alterius fugiens communionem ad alterum latenter accedit. Universi dixerunt: omnibus provides, & clero & laicis consulis.

VIII.

EDITIO CORRECTA.

nemo alterius plebis hominem sibi usurpet: sed si fortè erit necessarius ordinationi, ut de vicino homo sit necessarius, petat à collegâ suo, & concessum habeat.

VI.

Ut Clerici actus sæcularium vel procurationes non suscipiant.

Nicasius Episcopus Culusitanus dixit: credo placere suggestionem meam Sanctitati vestræ, & displicere vobis, ut qui serviunt Deo, & annexi sunt clero, non accedant ad actus & administrationem vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: & Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt: nemo militans Deo ingerat se negotiis sæcularibus. Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum. Universi dixerunt: hoc observemus.

VII.

Ut clerici vel laici in aliâ Ecclesiâ non communicent sine litteris Episcopi sui.

Cassianus Usulensis Episcopus dixit: statuat gravitas vestra, ut unusquisque clericus, vel laicus, non communicet in aliâ plebe sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit: nisi hoc observatum fuerit, communio fiet passiva. Nam si cum litteris receptus fuerit: & concordia inter Episcopos servatur, & nemo subtilis alterius fugiens communionem ad alium latenter accedet. Universi dixerunt: omnibus provides, & clero & laicis consulens.

VIII.

EDITIO VULGATA.

VIII.

Vt implicati negotiis alienis ante redditam rationem Clerici non ordinentur.

Magnus Episcopus Astyagensis dixit: quid dilectioni vestræ videtur? procuratores & actores, etiam per se tutores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus Episcopus dixit: si post deposita universa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint probati in omnibus, debent & cum laude cleri (si postulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum, ab aliquo sine ordinatione fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt: rectè omnia statuit sanctitas tua. Ideoque ita est & nostra ista quoque sententia.

IX.

Vt laici Clericos actores vel ratiocinatores sibi non constituant.

Metus Caunensis Episcopus dixit: rectè statutum est, ut obnoxij alienis negotiis non ordinentur. Tamen dimissi & gratias referre debent, & à Clericorum iniuriâ temperare. Et ipsis non liceat clericos nostros eligere apothecarios vel ratiocinatores. Gratus Episcopus dixit, nulli dubium est, quod omnes vel Domini, vel procuratores, vel quicumque præsunt, cum audierunt saluberrima instituta Concilij, & sibi esse consultum, nec impeditum, propriam debebunt temperare iniuriam in clericis nostris. Quod si iniuria constitutionis

EDITIO CORRECTA.

VIII.

Vt implicati negotiis alienis, ante redditam rationem Clerici non ordinentur.

Magnus Episcopus Aptungensis dixit: quid dilectioni vestræ videtur, procuratores & actores, tutores etiam seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus Episcopus dixit: si post deposita universa, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent & cum laude, cleri, si postulati fuerint, honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt: rectè omnia statuit sanctitas tua: ideoque tua, nostra quoque est sententia.

IX.

Vt laici Clericos actores vel ratiocinatores sibi non constituant.

Metus Taccanensis Episcopus dixit: rectè statutum est, ut obnoxij negotiis alienis non ordinentur: tamen etsi dimissi & gratias referre debent, & à clericorum injuriâ temperare. Et ipsis non liceat vel dominis, clericos nostros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. Gratus Episcopus dixit: nulli dubium est, quod omnes, vel domini, vel procuratores, vel quicumque præsunt, cum audierint saluberrima instituta Concilij, & sibi esse consultum, nec impeditum, propriam quoque inhibebunt injuriam in clericis nostris. Quod si in injuriam constitu-

EDITIO VULGATA.

tutionis Imperatoriæ clericos inquietandos putaverint, si defensio Ecclesiastica nos non deridet, pudor publicus vindicabitur. Universi dixerunt: saluberrimæ professiones debuerunt à tanto concedi Concilio.

X.

Ne Episcopus alterius Episcopi plebes vel fines usurpet.

Felix Episcopus Baianensis dixit: nullus debet collegæ suo facere iniuriam. multi enim transcendunt sua, & usurpant aliena, ipsis invitis. Gratus Episcopus dixit: avaritiæ cupiditatem, radicem omnium malorum esse, nemo est, qui dubitet. Proinde inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum collegam suum, aut usurpet alterius plebes, sine eius petitu, quia inde cætera mala omnia generantur. Universi dixerunt: placet, placet.

XI.

De Clericis contumacibus, & de numero judicantium presbyterorum & Diaconorum.

Elpidophorus Cuizitanus Episcopus dixit: statuat sanctitas vestra, ut clerici, qui superbi vel contumaces sunt, coerceantur, ut qui minores maioribus irrogaverunt injurias, metū habeant. Gratus Episcopus dixit: manifestum est, illum non esse Dei, qui humilitatem contemnit, sed diaboli, qui superbiæ inventor & princeps est. Unde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in maiorem natu, vel aliquam causam habuerit, à tri-

EDITIO CORRECTA.

constitutionis imperatoriæ clericos inquietandos putaverint: & defensio Ecclesiastica non deerit, & pudor publicus vindicabitur. Universi dixerunt: saluberrimæ provisiones debuerunt tanto condi Concilio.

X.

Ut Episcopus alterius Episcopi plebes aut fines non usurpet.

Felix Episcopus Baianensis dixit: nullus debet collegæ facere injuriam: multi enim & transcendunt suas, & usurpant alienas plebes ipsis invitis. Gratus Episcopus dixit: avaritiæ cupiditatem, radicem omniū malorum esse nemo est, qui dubitet. Proinde inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum collegam suum, & usurpet alterius fines, sine eius petitu, quia inde cætera mala omnia generantur. Universi dixerunt: placet, placet.

XI.

De Clericis contumacibus, & de numero judicantium Episcopum, presbyterum, & Diaconum.

Elpidophorus Cuiccalitanus Episcopus dixit: statuat sanctitas vestra, ut clerici qui superbi vel contumaces sunt coerceantur, qui minores maioribus irrogaverint injurias, ut metum habeant disciplinæ. Gratus Episcopus dixit: manifestum est, illum non esse Dei, qui humilitatem commendat, sed diaboli, qui superbiæ inventor & princeps est. Unde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in maiorem natu vel aliquam

EDITIO VULGATA.

à tribus vicinis Episcopis, si diaconus est, arguatur: presbyter à sex: si Episcopus à duodecim consacerdotibus audiatur. Universi dixerunt Episcopi: contemptus debet contumaciæ & superbiæ in omnibus frangi, causa verò pro personis à statuto numero audiatur.

XII.

Vt pacta inter Episcopos inita custodiantur.

Antigonus Episcopus Madaurensis dixit: gravem injuriam patior, & credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam, & computare communem injuriam. Optantius, cum se repræsentaret, pactum mecum habuit, & divisimus plebes. Manuscriptiones nostræ tenentur & pittacia. Contrà hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, ut illum Patrem, me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: factum hoc dolendum est, ut in se illiciat populorum imperitorum animas contrà disciplinam, contrà Evangelicam traditionem, contrà pacis placita. Nam si sibi id posse contingere arbitraretur, numquam profectò in fratrem aliquis deliquisset. Vnde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Vniversi dixerũt: pax servetur, pacta custodiantur.

XIII.

Vt non liceat Clericis fænerare.

Abundantius Episcopus Adrumetinus dixit: in nostro Concilio statutum est,

EDITIO CORRECTA.

quam causam habuerit, à tribus vicinis Episcopis, si diaconus est, qui arguitur; si presbyter, à sex; si Episcopus, à duodecim consacerdotibus audiatur. Universi dixerunt: contundi debet contumacia, & superbia in omnibus frangi: causæ verò pro personis ab statuto numero audiatur.

XII.

Vt pacta inter Episcopos inita custodiantur.

Antigonus Episcopus Madaurensis dixit: gravem injuriam patior, & credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam, & computare communem injuriam. Optantius cum se repræsentaret, pactum mecum habuit, & divisimus plebes, manus nostræ tenentur & pittacia. Contrà hoc pactum circuit plebes mihi adtributas, & susurrat populis, ut illum Patrem me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: factum hoc dolendum est, ut in se illiceat populorum imperitorum animos contrà disciplinam, contrà Evangelicam traditionem, contrà pacis placita. Nam si sibi posse contingere arbitraretur, numquam profectò in fratrem deliquisset. Vnde inita pacta suam obtineant firmitatem: aut conventus si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiet disciplinam. Vniversi dixerunt: pax servetur, pacta custodiantur.

XIII.

Vt non liceat Clericis fænerare.

Abundantius Episcopus Adrumetinus dixit: in nostro Concilio statutum est,

Editio Vulgata.

eſt, ut non liceat clericis fœnerari: quod ſi & ſanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præſenti placito deſignetur. Gratus Epiſcopus dixit: novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis, formam accipient. Cæterum de quibus apertiſſimè divina ſcriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potius exequenda. Proinde quod in laicis deprehenditur, id multo magis in clericis oportet prędamnari. Vniverſi dixerunt: nemo contrà Prophetas, nemo contrà Evangelia facit ſine periculo.

XIV.

Vt laici contemptores Canonum excommunicentur; Clerici verò honore priventur.

Gratus Epiſcopus dixit: juxta ſtatuta Concilij & meæ mediocritatis ſententiam, placet facere rerum omnium concluſionem. Vniverſi tituli deſignati & digeſti, teneant ſententias ſuas. Sanè credo vos retinere, multis Conciliis à Patribus noſtris & traditionem temerariam eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam: quas res etiam noſtro Concilio credo jam terminum accepiſſe. Reliqua verò, quæ vel facta, vel dicta, ſuperius comprehenſa ſunt, vel aliis Conciliis conſcripta, quæ ſecundum legem inveniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt communione; ſi clericus eſt honore privetur. Vniverſi dixerunt:

Editio Correcta.

eſt, ut non liceat clericis fœnerare: quod etiam ſi ſanctitati tuæ, & huic Concilio videtur, præſenti placito deſignetur. Gratus Epiſcopus dixit: novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent inſpectæ, à nobis formam accipient. Cæterum, de quibus apertiſſimè divina ſcriptura ſanxit, non ferenda ſententia eſt, ſed potius exſequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Vniverſi dixerunt, nemo contrà Evangelia facit ſine periculo.

XIV.

Vt laici contemptores Canonum excommunicentur; Clerici, honore priventur.

Gratus Epiſcopus dixit: juxta ſtatuta Concilij: & meæ mediocritatis ſententiam placet facere omnium rerum concluſionem. Vniverſi tituli deſignati & digeſti teneant ſententias ſuas. Sanè credo vos retinere, multis Conciliis à patribus noſtris & traditionem eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam: quas res etiam noſtro Concilio credo jam terminum accepiſſe reliqua verò, quæ vel facta vel dicta, ſuperius comprehenſa ſunt, vel aliis Conciliis ſcripta ſecundum legem inveniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt, communione; ſi clericus eſt honore privetur. Vniverſi dixerunt placet, placet. Gratus

EDITIO VULGATA.	EDITIO CORRECTA.
xerunt : placet,placet. Gratus Episcopus dixit : superest jam, ut placita omnium nostrûm, quæ ad consensum vestrum sunt scripta, vestra quoque subscriptione firmetis. Vniversi dixerunt : & consensisse nos, Concilij huius scripta testantur, & subscriptione nostrâ consensus declarabitur noster. Et subscripserunt.	Gratus Episcopus dixit : superest jam ut placita omnium vestrum, quæ ad consensum vestrum sunt scripta, vestrâ quoque subscriptione firmetis. Vniversi dixerunt : & consensisse nos Concilij huius scripta testantur, & subscriptione nostrâ sensus declarabitur noster. Et subscripserunt.

EXPLICIT CONCILIUM SUB GRATO.

SCHOLION.

4. Titulus Canonis primi est : *ut Baptismum in Trinitate susceptum non iteretur.* Sed corruptum esse vel mancum, grammatici ipsi discernent : agit Canon de rebaptizatione hæreticorum, quæ una ex præcipuis difficultatibus fuit, quæ Africanam Ecclesiam umquam exagitavit. Ab Agrippini tempore cœpit hic error Carthagine, & duravit usque ad Cyprianum, sub quo Africani Antistites pro rebaptizatione hæreticorum irruperunt in Zelum sed non secundum scientiam : hinc Catholici de veritate edocti resipuerunt, ut parte 2. antiquitatis illustratæ ex antiquorum testimoniis evicimus: soli schismatici fuerunt,qui ex sopitis cineribus novum incendium excitarunt præeunte eorum fautore Donato, qui in Romanâ sub Melchiade Synodo convictus fuit de rebaptizatione : *confessus est*, inquit S. Optatus, *se rebaptizasse.* Et hunc errorem imbuentes Donati sequaces, huius Concilij temporibus non hæreticos solum, sed & Catholicos ad schisma suum pertractos rebaptizabant, somniantes apud solam partem Donati remansisse Ecclesiam, & extrâ eam sinistrè Baptizari, ubicumque initiarentur. Et contra hunc Donatistarum errorem intonat Gratus Carthaginiensis Episcopus hocce in Canone : interrogatum in Trinitatem, & sic Baptizatum secundum fidem & doctrinam Apostolorum, non esse rebaptizandum. *illicitas esse sancimus*, inquiunt Patres huius Concilij, *rebaptizationes, & satis esse alienum à sincerâ fide & Catholicâ disciplinâ.* Et hisce discussum esse titulum necessarium rebaptizationis, *in quo plus schismatis rabies delitescebat.*

Canon 1. S. Optatus.

5. Titulus Canonis secundi est : *de Martyrum sepulchris & honorificentiâ*, Canon 2.

ficentiâ , & Canon ipse juxtà editionem vulgatam incipit ab illis verbis: *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet.* &c. Verùm in editione ex codice Vaticano incipit à verbis longè anterioribus, quæ Canoni primo attribuuntur in editione vulgatâ, ab illis nimirum: *Gratus Episcopus dixit : magna beatitudo &c.* Nec facile discernere est, ad quem Canonem ista Grati interlocutio sit referenda, materia enim rebaptizationis suadet, interlocutionem spectare ad primum Canonem: sed cum nullus Canon hac in Synodo statutus sit, quin nomen Episcopi præse ferat, exordium Canonis secundi ab illis verbis sumendum esse, *Gratus Episcopus dixit*, cum fundamento positum videtur in editione per Lucam Holstenium ad codicem Vaticanum recensitâ. Quidquid interim sit, cum titulus de Martyrum honorificentiâ mentionem faciat, verba Canonis huc spectantia incipiunt, ubi incipit Canon in editione vulgatâ : *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet.* Occasionem verò huius Canonis dederunt circumcelliones, qui *ante unitatem*, ut loquitur S. Optatus, lib.3. per loca singula vagabantur, & nullâ præfectorum reverentiâ servos manumittebant, ære alieno S. Optatus. oppressos liberabant à creditoribus, *& ex ipso genere fuerunt, qui sibi percussores sub cupiditate falsi Martyrij in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas proiicientes, se præcipites dabant.* Hæc Optatus, cui consonat plerisque in locis D. August. signanter verò epist.68. ubi clerus Hipponensis Clerus Hipponens. scribit ad Ianuarium de circumcellionibus : *si quas mortes sibi ultro ingerunt, nobis volunt esse invidiosas, vobis gloriosas. . . . vivunt ut latrones, moriuntur ut circumcelliones, honorantur ut Martyres.* Atqui ne eorum fraude deciperentur fideles Afri, vetitum est hoc Canone, ut *nemo in insaniâ præcipitatos, nec aliquo tali pacto aut aliâ ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti, quo Martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet.* Concludit Canon *hoc & singulis Conciliis statutum est.* Planè confirmant patres Africani, ante hanc Synodum universalem totius Africæ, Concilia Provincialia celebrata fuisse in singulis Provinciis, quod nimirum Catholici Episcopi post unitatis tempus Macarij & Pauli sollicitudine concessum, à circumcellionibus per vias ubique infestissimis jam liberati tractare poterant de rebus Ecclesiæ in Synodis.

Canon 3. 6. *Vt clerici vel sanctimoniales fœminæ* &c. Verba Canonis 3. huc spectantia sunt. *Nullus ergo & nulla sanctimonia deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in unâ domo penitus commorari non debent.*

debent. Vniversi dixerunt: qui nolunt nubere & pudicitiæ meliorem eligunt partem, vitare debent non solum habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex jubet, & sanctitas vestra commendat: hoc & in singulis Conciliis à nobis statutum est. Singularum iterum Provinciarum Concilia laudant Episcopi Africani, quibus statutum est, id quod Gratus commendabat, adduntque id lege jussum, Canone nimirum tertio Nicæno, ubi prohibetur clero, subintroductam habere mulierem. Ulterius aliquid statuit hic Canon 3. Carthaginiensis cum vetat, à nullâ sanctimoniæ & Virginitati deserviente haberi posse subintroductum aut extraneum in domo virum, ob scandalum, nimirum vitandum, ob quod canone 4. idem omninò viduis vetatur. Enimverò cum Afri essent ad libidinem proni, & quisque de altero suspicatur id, quod ipse facit, contigit facilè præsumi ab infidelibus, hæreticis & schismaticis Afris, tales libidini esse obnoxios, uti & fuisse sæpius, ad D. Cyprianum retulerat Pomponius, cui D. Cyprianus reponit epistolâ 62. *nec pati virgines cum masculis habitare, non dico simul dormire, sed nec simul vivere.* Cyprianus.

7. *Vel sanctimoniales fœminæ.* Eas D. Cyprianus epistolâ 62. describit, quæ *ex fide se Christo dicaverunt*: ex quibus clarum est, à tempore Cypriani fuisse fœminas, quæ virginitatem suam Domino dicabant habitantes in privatis parentum domibus. Cæterum post hanc Synodum fuisse etiam in locis communibus, quibus Abbatissæ, quas Afri Matres vocabant, præerant, indicat S. Optatus libro 2. loquens de Urbanò Formensi & Fælice Idicrensi incestis partis Donati Episcopis: *invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.* Egregium habemus hâc de re testimonium apud D. Augustinum epistolâ 109. ubi monacharum præpositam matrem vocat, & monachas matrem mutare conatas redarguit, hortaturque, ne præpositam aliam velint, *sub quâ*, inquit, *in monasterio illo per tam multos annos perseverante & numero, & ætate crevistis, quæ vos mater non utero sed animo suscepit.* Addit regulam monachis servandam, in quâ præcipuum est pudicitiæ & virginitatis documentum, quod dum Vandalorum Rex Hunericus explodebat, *præcepit*, inquit Victor Vitensis libro 2. *sacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum suæ Gentis obstetricibus ad inspicienda.... ubi nec matres aderant:* cumque variis tormentis suspensas affligerent, petebant: *Dicite quomodo Episcopi vobiscum concumbunt & clerici vestri.* Hæc de Vandalis Victor Vitensis non tam enarrat, quam sanguineis oculis deplorat præbens manifestum exemplum, unde novatores

S. Optatus.

S. Augustin.

Victor Vitensis.

tores nostri didicerunt sua contrà sanctimoniales nostri temporis convicia.

Canon 5. 8. *Vt clerici vel laici in alterius Ecclesiâ non ordinentur.* Addit in
Gratus. ipso Canone 5. Gratus Carthaginiensis: *nam & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet.* Ex quo non modo colligitur, hanc Carthaginiensem Synodum celebratam fuisse post Sardicensem, cui Gratus cum 36. Africæ Episcopis adfuerat anno 347. sed & domum reducem Sardicensis Concilij decreta in tantâ veneratione habuisse, ut ea sibi & toti Africanæ Ecclesiæ pro normâ & regulâ posuerit, quod Parisiensis Archiepiscopi de Marca sententiam de non receptis sæculo 4. canonibus Sardicensibus
Canon 7. destruit. *Vt clerici, vel laici in Ecclesiâ alienâ non communicent sine litteris sui Episcopi.* Est antiquum Ecclesiæ statutum, quod nemo sine pacificis sui Episcopi recipiatur in alienâ Ecclesiâ, & addit Gratus in canone 7. *nisi hoc observatum fuerit, communio fiet passiva.* Ad quod ultimum verbum in margine editionis vulgatæ habetur. Fortè *passim.* Sed retinenda est lectio *passiva.* Per quod Africani Episcopi nihil aliud innuere volebant, quam aliàs communionem fidelium detrimentum passuram: sic in canone 2. huius Synodi legimus: *Passiva Corpora*: quibus exprimunt patres, corpora Martyrum tormentis enecata, & sic detrimentum passa.

Canon 13. 9. *Vt non liceat Clericis fœnerare.* Canon 13. incipit: *Abundantius Episcopus Adrumetinus dixit: in nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fœnerare: quod etiam si sanctitati tuæ & huic Concilio videtur, præsenti placito designetur &c.* Quo ex Canone habemus, cum Adrumetum sit civitas Provinciæ Byzacenæ, Abundantium Adrumetinum locutum fuisse de Synodo Provinciali Byzacenâ, quæ una fuit ex iis, quas per diversas Africæ Provincias tempore unitatis coactas diximus parum ante hanc Synodum: earum tamen acta perierunt cum Canonibus, quos in ijs statutos certum est ex dictis. *Vt laici contemptores Canonum* &c. Gratus hocce Canone con-
Gratus. clusionem facturus: *sane credo vos*, inquit ad Patres, *retinere multis Conciliis à patribus nostris & traditionem esse damnatam, & rebaptizationis impietatem esse puniendam: quas res etiam nostro Concilio credo jam terminum accepisse.* Verum quænam illa sint Concilia Africana, in quibus rebaptizationis impietas punienda statuebatur, huc usque ignoramus, nisi dicere velimus, Gratum loqui de patribus Afris, qui cum Cæciliano interfuêre Concilio Romano sub Melchiade,

de, & Arelatensi primo sub Sylvestro, quamvis & in illis Conciliis nulla pœna pro rebaptizatione constituta inveniatur. Quidquid autem sit, hanc Synodum contrà Donatistas præcipuè coactam fuisse, lucet ex laudatis Grati verbis, quibus subiungit: *Reliqua verò, quæ vel facta, vel dicta superius comprehensa sunt, vel aliis Conciliis scripta secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet.* Quibus iterum indicat, alia Concilia etiam Africana canones constituisse, & consequenter, hoc, licet primum sit, quod nobis restat, reverà tamen primum non esse, quod Canones in Africâ edidit.

CAPVT IV.

De secundo Carthaginiensi Concilio sub Genethlio anno 390.

1. *Editio vulgata huius Synodi corruptior est eâ, quàm ex recognitione Lucæ Holstenij typis mandavit Labbeus. Præfatio ex utrâque editione adfertur cum notis ad considerationem digna.*
2. *Canones tredecim ex utrâque editione adiunguntur, ex quibus juxtà se invicem positis lucidè constat, de corrupto editionis vulgatæ textu plerisque in locis.*
3. *Scholion in Canones, ac primò cur patres prius de fide & præsertim Trinitatis, quam de disciplinâ agant.*
4. *Canon secundus in vulgatâ editione statutus perhibetur ab Aurelio, sed in aliâ ad Codicem Vaticanum correctâ ab Epigonio, unde corruit error de tempore huius Synodi à Binnio aliisque post Baronium amplexus. Meminit Epigonius Concilij, quod aliud quoque fuit, quam Binnius credebat.*
5. *Addit Epigonius, tres Gradus esse, quibus continentiæ lex semper annexa fuit, quod & in Africâ observatum; testimonia Africanorum, qui meminerunt uxorum, quas presbyteri habuerunt, intelligenda sunt de uxoribus, quas duxerant nondum ad sacros ordines promoti.*
6. *Canon tertius juxtà duplicem editionem expenditur, & quoad Chrismatis confectionem notatu digna adferuntur.*
7. *Etiam quoad puellarum consecrationem, & reconciliationem pœnitentium à presbytero non facienda quædam in lucem proferuntur: agi-*

tur autem hoc canone de publicis pœnitentibus publicè absolvendis.

8. *Canone quarto agitur de pœnitentibus in articulo mortis secretò absolvendis; ubi & aliqua notatu digna circà cætera in canone contenta, uti & circà Canonem sextum.*

9. *Canon octavus ab Alypio Tagastensi Episcopo & Provinciæ Numidiæ legato fertur statutus, sed editio ad Codicem Vaticanum recensita loco Alipij habet Felicem Selemselitanum, unde & argumentum Baronij pro transferendo huius Synodi tempore corruit.*

10. *Quæ in canonibus nono, decimo, & duodecimo notatu digna occurrunt, breviter referuntur.*

1. CORruptissima quoque extabat in vulgatâ Conciliorum editione hæc Synodus Carthaginiensis, quam Holstenius ad Codicem Vaticanum recensuit, & sic correctam nuper publici juris fecit Philippus Labbeus in appendice ad tomum 2. Conciliorum: præfatio ex utrâque editione his verbis continetur.

PRÆFATIO.

EDITIO VULGATA.

Gloriosissimo Imperatore Valentiniano Augusto IV. & Theodosio viris clarissimis consulibus, 14. Kalendas Iunij Carthagine in Basilicâ Perpetuâ restitutâ, cum Genedius Episcopus unâ cum Victore Abderitano, & alio Victore Pupputanensi, & cæteris Coepiscopis suis Provinciarum diversarum consedisset, Genedius Episcopus dixit.

PRÆFATIO.

EDITIO CORRECTA.

Gloriosissimo Imperatore * *a* Valentiniano Augusto III. & Neoterio V. C. consulibus 16. Kalendas Iulias Carthagine in Basilicâ Perpetuæ restitutâ, * *b* cum Genethlius. Episcopus unâ cum Victore Abdiritano, & alio Victore Puppianensi, & cæteris Coepiscopis suis * *c* Provinciarum diversarum consedisset.

SCHOLION.

* a. *Valentiniano Augusto 3. & Neoterico V. C. Consulibus.* Editio Vulgata habebat, *Valentiniano Aug. 4. & Theodosio. V. C. Consulibus*, quod erroneum esse ex eo collegit Binnius, quod nusquam Valentinianus cum Theodosio Consulatum gesserit, sed cum Neotherio anno 390. Quia autem putabat Baronius Theodosij nomen retinendum esse, qui cum Valentiniano Cæsare Consulatum gessit anno 425. cum

Baronius.

eum subsecutus Severinus Binnius putavit, in hunc annum reiiciendum esse hoc Concilium, quod licet inter Carthaginiensia sæcundi nomen obtineat, verè post omnia Carthaginiensia Concilia celebratum fuisset ultimum. Verum Theodosij nomen librariorum vitio irrepsisse, lucet ex Codice Vaticano, ubi loco *Theodosij*, legitur: *Neoterico*, qui verè cum Valentiniano Consulatum gessit anno 390. quo item anno hæc Synodus celebrata fuit non ordine ultima, sed ut nomen præ se fert, verè secunda.

* b. *Cum Genethlius.* Antiqua editio habebat *Genedius*, sed corruptè, cum legendum sit Genethlius, qui fuit Carthaginiensis Episcopus. Eum Valerio successisse, ex corruptis huius Synodi actis putavit Baronius, & ex eo Binnius. Verum hoc in causâ fuit totius erroris postponendi hanc Synodum. Genethlius non successor sed antecessor fuit Valerij, ut alibi notamus.

* c. *Provinciarum diversarum.* Ex quibus colligitur, hanc Synodum fuisse universalem totius Africæ, quæ Canones tredecim statuit, quos hic subiungimus ex utrâque editione.

Editio Vulgata.

Capitula

I.

Vt Trinitas credatur & prædicetur.

2. Omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune Concilium habitum in prætorio, etiam juxtà tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem pro fide atque utilitate Ecclesiasticâ veniretis, licet non omnes. Tamen quoniam Caritas totum persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum in Spiritu videantur esse conjuncti: idcircò Deo propitio, quia præsentes estis, pari professione fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioso primitus confitenda est. Tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum ex consensu omnium est extruendus

Editio Correcta.

Canones

I.

Vt Trinitas credatur & prædicetur.

Genethlius Episcopus dixit: omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune consilium habitum in præterito, etiam juxtà tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem pro fide atque utilitate Ecclesiasticâ veniretis. Et si non omnes, tamen quoniam Caritas totum persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse conjuncti: idcircò Deo propitio, quia præsentes estis, pari professione fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioso primitus confitenda est: tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum, ex consensu

EDITIO VULGATA.

dus atque roborandus, ut fratrum & Coepiscoporum nostrorum nuper promotorum mentes de his, quæ proponenda sunt, roborentur. Et sicut à patribus certâ dispositione accepimus, ut Trinitatem quam in nostris finibus consecratam retinemus, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere notitiam, sicuti didicimus, ita Dei populos instruamus. Ab universis Episcopis dictum est: planè sic accepimus, sic tenemus, fidem Apostolicam sequentes.

II.

Vt castitas à levitis, & sacerdotibus custodiatur.

Aurelius Episcopus dixit: cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quâdam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, & Dei sacerdotes, nec non & levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, & etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est, placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia

EDITIO CORRECTA.

sensu omnium est astruendus. Ad corroborandas autem fratrum & Coepiscoporum nostrorum nuper promotorum mentes, ea proponenda sunt, quæ à patribus certâ dispositione accepimus: ut Trinitatis, quam nostris sensibus consecratam retinemus, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam, sicut didicimus, ita Dei populos instruamus. Ab universis Episcopis dictum est: planè sic accipimus, sic tenemus, fidem Apostolicam sequentes.

II.

Vt castitas à levitis, & sacerdotibus custodiantur.

* *a* Epigonius Episcopus Bullensium Regiorum dixit: cum in * *b* præterito Concilio, de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, * *c* gradus isti tres, qui constrictione quâdam castitati per consecrationes annexi sunt, Episcopus, inquam, presbyter, & Diaconus, tractatu pleniore, ut pudicitiam custodiant, doceantur. Genethlius Episcopus dixit: ut superius dictum est, decet sacrosanctos Antistites, & Dei sacerdotes, nec non & levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus: quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est; omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ

EDITIO VULGATA.

pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt.

III.

Vt Chrisma & benedictio puellarum, & reconciliatio pœnitentium à presbyteris non fiant.

Fortunatus Episcopus dixit: si jubet sanctitas vestra, suggero. Nam memini præterito Concilio fuisse statutum, ut Chrisma vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio à presbyteris non fiant. si quis autem emerserit hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius Episcopus dixit: audivit dignatio vestra suggestionem fratris & Coepiscopi nostri Fortunati, quid adhæc dicitis? ab universis Episcopis dictum est. Chrismatis confectio & puellarum consecratio, à presbyteris non fiant vel reconciliare quemquam in publicâ missa, presbytero non licere, hoc omnibus placet.

IV.

Vt presbyter pœnitentem jussus ab Episcopo suo reconciliet.

Aurelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare, quam rem debemus salubri Concilio corroborare. Ab universis Episcopis dictum est: placet, quod sanctitas vestra neces-

EDITIO CORRECTA.

pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant: ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.

III.

Vt Chrisma & benedictio puellarum & reconciliatio pœnitentium à presbyteris non fiant.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit; si jubet sanctitas vestra, suggero, nam memini præteritis Conciliis fuisse statutum, ut Chrisma vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio, à presbyteris non fiant. Si quis autem emerserit hæc faciens, quid de eo statuendum sit? Genethlius Episcopus dixit: audivit dignatio vestra suggestionem fratris & Coepiscopi nostri Numidij: quid adhæc dicitis? ab universis Episcopis dictum est: * *a* Chrismatis confectio, & * *b* puellarum consecratio, à presbyteris non fiant: vel * *c* reconciliare quemquam in publicâ missa presbytero nō licere, hoc omnibus placet.

IV.

Vt presbyter pœnitentem jussus à suo Episcopo reconciliet.

* *a* Genethlius Episcopus dixit: * *b* si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, * *c* si Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare. Quam rem debemus salubri consilio corroborare. Ab universis Episcopis dictum est: placet omni-

EDITIO VULGATA.

necessario nos instruere dignata est.

V.

Ut Diœcesis, quæ Episcopum numquam habuit, non habeat.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: etiam, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut Diœceses, quæ numquam Episcopos acceperunt, non habeant: & illa Diœcesis, quæ aliquando habuit, habeat proprium. Et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, eius videlicet voluntate, in cuius potestate est Diœcesis constituta, habeat Episcopum. Secundum autem hanc prosecutionem sanctitas vestra æstimet, quid fieri debeat. Genedius Episcopus dixit: si placet insinuatio fratris & Coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab universis Episcopis dictum est, placet.

VI.

Ut qui criminibus implicati sunt, Clericos non accusent.

Numidius Episcopus Massylitanus dixit: præterea sunt quam plurimi non bonæ conversationis, qui existimant maiores natu vel Episcopos, passim vagèque in accusationem pulsandos; debent tam facile admitti, nec ne? Aurelius Episcopus dixit: placet ergo Caritati vestræ, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus maiores natu non habeat accusandi? ab universis Episcopis dictum est: si criminosus est, non

EDITIO CORRECTA.

omnibus, quod sanctitas vestra necessariò nos instruere dignetur.

V.

Diœcesis, quæ Episcopum numquam habuit, non habeat.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: etiam, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut Diœceses, quæ numquam Episcopos habuerunt, non habeant: & illa Diœcesis, quæ aliquando habuit, habeat proprium. Et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desiderabit proprium habere rectorem: eius videlicet voluntate, in cuius potestate est Diœcesis constituta, habeat Episcopum. Secundum autem hanc prosecutionem, sanctitatis vestræ est, æstimare, quid fieri debeat. Genethlius Episcopus dixit: si placet insinuatio fratris & Coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab universis Episcopis dictum est: placet, placet.

VI.

Ut qui criminibus implicati sunt, Sacerdotes vel clericos non accusent.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit: prætereà sunt quam plurimi non bonæ conversationis, qui existimant, maiores natu vel Episcopos, passim vagèque in accusatione pulsandos. Debent tamen facile admitti contrà Apostolicam regulam nec ne? Genethlius Episcopus dixit: placet ergo Caritati vestræ, ut is, qui aliquibus sæcularibus irretitus est, vocem adversus maiorem natu non habeat accusandi? ab universis Episcopis dictum

Editio Vulgata.

non admittatur. Omnibus placet.

VII.

Ut qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: illud autem vestræ suggero sanctitati, ut si qui pro facinoribus suis de Ecclesiâ pelluntur, & ausi fuerint ad comitatum pergerè aut ad judicia publica prosilire, aut forsitan Ecclesiæ catholicæ limina conturbare, si Episcopus vel clericus cuiuslibet plebis, eos sine consensu susceperit, de his quid censetis? Epigonius Episcopus Bullensium Regionum dixit: si quis Episcopus Communionem tenens catholicam, huiusmodi homines, vanis blandimentis incedentes, temerè susceperit, sciat cum his se rectissimè depravatum vel damnatum. Genedius Episcopus dixit: ergo rectè suggerunt fratres & coepiscopi, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesiâ pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo aut presbytero vel clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui Episcopi regulare judicium, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet.

VIII.

Ut si presbyter excommunicatus sacrificare præsumpserit, anathematizetur.

Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis,

Editio Correcta.

dictum est: si criminosus est, non admittatur, ut accuset. Omnibus placet.

VII.

Ut qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: illud autem vestræ suggero sanctitati, ut si qui pro facinoribus suis de Ecclesiâ pelluntur, & ausi fuerint ad comitatum pergere, aut ad judicia publica prosilire, aut forsitan Ecclesiæ catholicæ limina adtentare: si Episcopus vel clericus cuiuslibet plebis eos sine consensu susceperit, de his quid censetis? Epigonius Episcopus Bullensium Regiorum dixit: si quis Episcopus communionem tenens catholicam, huiusmodi homines vanis blandimentis incedentes, temere susceperit, sciat cum his se reiectis esse depravatum, transiens sortem eorum. Genethlius Episcopus dixit: ergo rectè suggerunt fratres & Coepiscopi, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesiâ pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo aut presbytero, vel clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui Episcopi regulare judicium, etiam ipse pari cum eisdem crimine teneatur obnoxius. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet.

VIII.

Ut si presbyter excommunicatus sacrificare præsumpserit, anathematizetur.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: nec

EDITIO VULGATA.

ſis, legatus Provinciæ Numidiæ, dixit: nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis forte presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus, aut excommunicatus, tumore vel ſuperbiâ inflatus, putaverit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Eccleſiaſticam fidem diſciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ ſedi Provinciæ Numidiæ, dixit: neceſſariò diſciplinæ Eccleſiaſticæ & fidei congrua ſunt, quæ frater noſter Alypius proſecutus eſt. Proindè quid exindè videtur veſtræ dilectioni, edicite: ſi quis preſbyter contrà Epiſcopum ſuum inflatus ſchiſma fecerit, anathema ſit. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: ſi quis presbyter à Præpoſito ſuo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Epiſcopos conqueri, ut ab ipſis eius cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbiâ (quod abſit) inflatus ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione dixerit, ac ſeparatim cum aliquibus ſchiſma faciens, ſacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de civitate & congregatione, in quâ fuerit, longius repellatur, ne vel ignorantes, vel ſimpliciter viventes, ſerpentinâ fraude decipiat; quoniam ſecundum Apoſtolum: Eccleſia una eſt, una fides, unum Baptiſma. Et ſi querimoniam juſtam adverſus Epiſcopum habuerit, inquirendum erit.

IX.

EDITIO CORRECTA.

nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis forte presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus aut excommunicatus, tumore vel ſuperbiâ inflatus, putaverit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Eccleſiaſticam fidem diſciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Genethlius Epiſcopus dixit: neceſſariò diſciplinæ Eccleſiaſticæ & fidei congrua ſunt, quæ Felix frater noſter proſecutus eſt. Proinde quid exinde videtur veſtræ dilectioni, edicite. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: ſi quis presbyter à præpoſito ſuo excommunicatus, vel correptus fuerit: debet utique apud vicinos Epiſcopos conqueri, ut ab ipſis eius cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbiâ, quod abſit inflatus, ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit, ac ſeparatim cum aliquibus ſchiſma faciens, ſacrificium Deo obtulerit, loco amiſſo anathema habeatur. Nihilo minus & de civitate & congregatione in quâ fuerit, longius depellatur, ne vel ignorantes, vel ſimplices mentes ſerpentinâ fraude decipiat. Quoniam ſecundum Apoſtolum, Eccleſia una eſt, una fides, unum Baptiſma. Et ſi querimoniam juſtam adverſus Epiſcopum habuerit, inquirendum erit.

IX.

EDITIO VULGATA.

IX.

Ut si presbyter inconsulto Episcopo agenda celebraverit, honore privetur.

Numidius Episcopus Massylitanus dixit: in quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, præsente & inconsulto Episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda, quod disciplinæ incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genedius Episcopus dixit: fratris & Coepiscopi nostri dignæ suggestioni respondere non immoremur: ab universis Episcopis dictum est: quisquis presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

Quanti debeant judicare Sacerdotem, atque leviten.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: etiam hoc adjicio secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non opinamur) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur, & à sex presbyteris,& à tribus Diaconibus cum proprio suo Episcopo. Genedius Episcopus dixit: quid adhoc dicit sanctitas vestra? ab universis Episcopis dictum est, à nobis veterum statuta debere servari.

XI.

EDITIO CORRECTA.

IX.

Ut si presbyter inconsulto Episcopo agenda celebraverit, honore privetur.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit: in quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter, præsente & inconsulto Episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda: quod disciplinæ incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genethlius Episcopus dixit: fratris & Coepiscopi nostri suggestioni respondere non morentur. Ab universis Episcopis prædictum est: quisquis presbyter inconsulto Episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

Quanti debeant judicare Sacerdotem atque levitam.

Felix Episcopus Selemselitanus dixit: etiam hoc adjicio secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus, quod non optamus fieri, reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare Episcopos: ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur, & à sex presbyteris, & à tribus Diaconis cum proprio suo Episcopo. Genethlius Episcopus dixit: quid adhoc dicit sanctitas vestra? ab universis Episcopis dictum est, dignum est, à nobis veterum statuta debere servari.

XI.

EDITIO VULGATA.

XI.

Vt nullus Parochiam alienam præsumat.

Victor Episcopus Abderitanus dixit: roboranda est Ecclesiastica disciplina, ne quisquam Episcoporum alterius plebes vel diœcesim suâ importunitate pulsare debeat. Qui hoc facere tentaverit, quemadmodum coercendus est? Genedius Episcopus dixit: & lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quemquam aliena concupiscere. Proinde, quid etiam vobis omnibus placeat, propriâ voce signate. Ab universis Episcopis dictum est: placet, secundum divinæ legis & sancti Evangelij auctoritatem, ut nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII.

Vt sine consultu Metropolitani nullus ordinetur Episcopus.

Numidius Episcopus Massylitanus dixit: alij Episcopi usurpatione quâdam existimant, contempto Primate cuiuslibet Provinciæ suæ, ad desiderium populi, Episcopum ordinare, sine litteris ad se primæ cathedræ manantibus, neque posteâ acceptis. Quid de hoc statuit sanctitas vestra? Genedius Episcopus dixit: quoniam communis est honorificentia, quam unicuique servari oportet, id ipsum fraternitati vestræ convenit pronuntiare. Ab universis Episcopis dictum est: placet omnibus, ut inconsulto Primate cuiuslibet Provinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum

EDITIO CORRECTA.

XI.

Vt nullus Parochiam alienam præsumat.

Victor Episcopus Abziritanus dixit: roboranda est Ecclesiastica disciplina, ne quisquam Episcoporum, alterius plebes, vel diœcesim, suâ importunitate pulsare, terminosque sibi statutos conetur excedere. Qui hoc facere tentaverit, quemadmodum coercendus est? Genethlius Episcopus dixit: & lex sancta prohibet, & ipsa veritas non sinit, quemquam aliena concupiscere: proinde quod etiam vobis omnibus placeat, propriâ voce signate. Ab universis Episcopis dictum est: placet, ut secundum divinæ legis & sancti Evangelij autoritatem, nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII.

Vt sine consultu Metropolitani nullus ordinetur Episcopus.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit: aliqui Episcopi usurpatione existimant, contempto Primate cuiuslibet Provinciæ suæ, ad desiderium populi Episcopum ordinare, neque litteris ad se primæ Cathedræ manantibus, neque potestate acceptâ. Quid de hoc statuet sanctitas vestra? Genethlius Episcopus dixit: quoniam communis est honorificentia, quam unicuique servare oportet, de hoc ipso fratres, vestrum est pronunciare. Ab universis Episcopis dictum est: placet omnibus, ut inconsulto Primate cuiuslibet Provinciæ, tam facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis,

EDITIO VULGATA.

cum multis Episcopis, in quocumque loco sine eius (ut dictum est) præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

XIII.

Ut qui contra professionem & subscriptionem suam venerit, in Concilio deponatur.

Genedius Episcopus dixit: omnia ergo, quæ à vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet, placet, ut custodiantur ab omnibus. Genedius Episcopus dixit: si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat? ab universis Episcopis dictum est: qui contrà suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genedius Episcopus dixit: gratulemur Domino nostro præstante, quod pro statu Ecclesiæ Catholicæ cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus. Et ideo, quæ ab omnibus sunt dicta, propriâ debemus subscriptione firmare. Ab universis Episcopis dictum est, fiat, fiat. Et subscripserunt.

EDITIO CORRECTA.

copis, in quocumque loco sine eius, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debebunt Episcopum.

XIII.

Ut Episcopus, qui contrà suam professionem in Concilio habitam venerit, deponatur.

Genethlius Episcopus dixit: omnia ergo, quæ à vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri? ab universis Episcopis dictum est: placet, placet, custodiantur ab omnibus. Genethlius Episcopus dixit: si, quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat? ab universis Episcopis dictum est: qui contrà suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genethlius Episcopus dixit: gratulor Domino nostro præstante, quod pro statu Ecclesiæ Catholicæ cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus. Et ideo quæ ab omnibus sunt dicta, propriâ debemus subscriptione roborare. Ab universis Episcopis dictum est: fiat, fiat. Et subscripserunt.

EXPLICIT CONCILIUM SUB GENETHLIO.

SCHOLION.

3. Agunt in primis patres de fide, & statuunt: *pari professione fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioso primitus* Canon 1.

V 3 *confi-*

confitenda est : tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum , ex consensu omnium est astruendus. Non recedunt Patres Africani ab antiquâ Ecclesiæ consuetudine , sed eam potius exemplo suo confirmant , dum in Synodo suâ prius de fide agere instituunt , quam de disciplinâ Ecclesiasticâ. Inter cætera verò fidei mysteria Sanctissimæ Trinitatis unitatem credendam & prædicandam proponunt, quod hoc fidei mysteriũ ab Arianis alijsque hæreticis jam dudum in Africâ fuisset oppugnatum: redierat jam inde ab anno 389. ex Italiâ Augustinus ad fidem conversus , & debellare cœperat omnes per Africam dispersos hæreticos : Trinitatis mysterium non semel sed sæpius cum animarum lucro prædicarat , & ad tanti viri exemplum incitati Patres Africani statuunt de Trinitatis unitate prædicandâ contrà Arianos & Arianæ hæreseos fautores statuentes quamdam in Trinitate differentiam.

Canon 2. 4. * a *Epigonius Episcopus Bullensium Regiorum* , ut habet canon ex Codice Vaticano , non vero *Aurelius* , qui nondum huiùs Concilij tempore erat Episcopus , sed post Genethlium successit. Binnius erroneam Aurelij lectionem retinens , ut sententiam Baronij de celebratâ hac Synodo anno 425. in extremâ senectute Aurelij defenderet, excogitavit, ante hanc Synodum Genedium ab Aurelio onus Episcopale suscepisse , proptereà quod duos Sedis Carthaginiensis Episcopos Aurelium & Genethlium hac in Synodo memoratos simul esse non licuerit. Verum nullius hæc momenti sunt : nec Aurelius in genuinis huius Synodi actis comparet , & sicubi hoc canone Aurelius habetur in vulgatâ editione , ibi Epigonius Bullensium Regiorum Episcopus substituendus est ex editione ad Codicem Vaticanum recensitâ.

* b *Cum in præterito Concilio de continentia & castitatis moderamine tractaretur.* Binnius putat id intelligendum *de Concilio* Africano, quod Castino atque Victore Consulibus anno 1. Cælestini Pontificis , qui est Christi 424. celebratum fuit. Verum Concilium vulgò Africanum à Binnio indicatum non est particulare Concilium , sed compilatio alicuius Anonymi Afri , qui ex hâc Synodo alijsque Carthaginiensibus sua statuta desumpsit. Unde Concilium ab Epigonio Bullensium Regiorum Episcopo indicatum , debet esse aliquod Carthaginiense ante annum 390. celebratum , cuius acta perierunt aut latent , quod mirum esse non debet , quandoquidem plurima Concilia Africana sub Cæciliano , Grato , & Genethlio celebrata fuerint , quorum Canones perierunt.

5. * c *Gradus isti tres.* Loquitur Epigonius de Episcopis , presbyteris ,

byteris, & Diaconis, ut verba subsequentia ostendunt: & illos ex Apostolico instituto continentiæ legi fuisse obstrictos adeò verum erat, ut Genethlius Carthaginiensis subiunxerit: *ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Neque refert, Tertullianum Carthaginiensem presbyterum scripsisse libros duos *ad Uxorem*, ne post obitum suum alteri nuberet: Caldonium epistolâ 19. inter opera Cypriani, testari Felicem, *qui presbyterium ministrabat sub Decimo, cum Victoriâ conjuge suâ*, extorrem factum: D. Cyprianum epistolâ 49. ad Cornelium Papam narrare de Novato Carthaginiensi presbytero, quod ab eo *uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus.* Hos omnes namque nihil aliud voluisse, quam ex matrimonio junctis ad Sacerdotium fuisse promotos, rectè annotat Pamelius addens, nullibi scriptum reperiri, hos posteà matrimonio usos: quod omnis antiquitas semper tradiderat, continentiæ legem sacris illis ordinibus esse annexam, unde & canon: *Pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Genethlius. Tertullian. Caldonius. Cyprianus.

6. Quoad Canonem tertium differunt in primis editiones de eius auctore, vulgatâ eum nominante Fortunatum, correctâ verò Numidium Maxulitanum, qui addit, se meminisci, *præteritis Conciliis fuisse statutum.* &c. Vulgata editio habet: *præterito Concilio*, quod Binnius putat fuisse Concilium vulgò dictum Africanum. Verum cum illud posterius sit, nec verè Concilium extiterit, ex hocce Fortunati Maxulitani testimonio cogimur dicere, ante hanc Synodum unam, vel plures alias Carthaginienses celebratas fuisse, quarum decreta licet consideratione digna, non extant. Subdit Canon nomen *Genethlij*, cum haberetur nomen *Aurelij*, sed corruptè, ut jam notavimus. Canon 3.

* a. *Chrismatis confectio.* Auctor libri de unctione Chrismatis inter opera D. Cypriani extantis, *hodie...* inquit de die cœnæ, *sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum.* Cæterum, quo manifestum fiat, S. Chrisma consecratum fuisse in Africâ, D. Cyprianus in Synodicâ suâ ad Episcopos Numidas epist. 70. loquitur, *de Chrismate id est unctione*, & addit: *unde baptisati unguntur oleum in altari sanctificatum.* Et D. Optatus Milevitanus lib. 7. adversus Parmenianum: *oleum nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur, quod Chrisma, postquam conditum est, nominatur.* loquitur de Donatistis, quos ne solos Chrisma habuisse putares, conqueritur S. Optatus, Chrisma Catholicorum à Donatistis extermi- Auctor libri de unction. Chrism. Cyprianus. S. Optatus.

 nari,

nari, ubi Chrisma Donatistarum à Catholicis recipiebatur. *Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muscas morituras appellare possetis: sed dum quod à vobis unctum est, tale servamus, quale suscipimus: musca moritura esse non possumus.* Hinc libro 2. arguit Donatistas, quod *Ampullam quoque Chrismàtis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt.* Audiant Hæretici, & ponant hæc omnia cum iis, quæ in hunc usque diem servat Romana Ecclesia, videantque, num ab Antiquâ disciplinâ deviat, quod D. Gregorius magnus in sacramentariò suo præscribit feria 5. *sedente Pontifice in sellâ suâ: & praparantur ampulla dua cum oleo, quarum melior defertur pontifici, & accepto balsamo & commiscitato cum oleo, manu suâ impleat eam.* Et infrà: *tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit eum, &c.*

Gregor. M.

7. * b *Et puellarum consecratio.* Præclarus extat locus apud S. Cyprianum de Felice Idicrensi partis Donatistarum Episcopo, *à quo comprehensam puellam* deplorat, *cui mitram ipse imposuerat, à quâ paulo ante pater vocabatur*, eamdemque incestarit. *Mitra*, inquit Albaspineus, *indumenti & tegminis genus, quo, qua Deo dicata essent, utebantur.* Et mitram illam imponebant Episcopi in earum benedictione, ut fecerat Felix, unde in canone 3. additur: *à presbyteris non fiant.* S. Gregorius Magnus in Sacramentario: *Benedictio virginis ab Episcopo dicenda*, ad quæ verba Hugo Menardus: *Episcopi est virgines consecrare.*

Cyprian. Albaspineus. Gregor. M. Hugo Menard.

* c *Vel reconciliare quemquam in publicâ missâ presbytero non licere.* Ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ tit. 6. restitui tò *in*, quod in editione ex Codice Vaticano non comparet. Cæterum Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus commentarium ad hunc canonem edidit super illa verba: *reconciliatio pœnitentium.* „ Reconciliare pœnitentem, inquit, nihil aliud est, quam pœnitenti absolutionem tribuere, aut ad fidelium, aut ad Eucharistiæ communionem adscissere: quæ reconciliationes fiebant, aut in Ecclesiâ exacto pœnitentiæ spatio, aut dòmi seu intrà privatos parietes nondum absoluto, cum pœnitentes in apertum vitæ discrimen adducerentur. „ De priori hoc in canone agitur, qui dum pœnitentium reconciliationis meminit, non agit de omnibus peccatoribus peccata sua confiteri volentibus, sed solum de confessis, qui pœnitentium numero accensebantur, & in Africâ non solebant absolvi, nisi inter missarum solemnia, unde illud S. Optati Milevitani libro 2. *dum manus imponitis & delictâ donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem pratermittere non*

Albaspineus. S. Optatus.

non potestis. Unde etiam addit canon : *in publicâ missa.* De secundo agit canon 4. huius Synodi.

8. *Ut presbyter pœnitentem jussus à suo Episcopo conciliet.* Canon ad Codicem Vaticanum à Lucâ Holstenio correctus sic intonat : * a *Genethlius Episcopus dixit : si* * b *quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si* * c *Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare, quam rem debemus salubri consilio corroborare, &c.* Canon 4.

* a *Genethlius.* Editio vulgata & Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ habent : *Aurelius*, sed erroneè.

* b *Si quisquam.* Nimirum pœnitentium, qui ante peractum pœnitentiæ suæ tempus de vitâ periclitantur, ut notat Gabriel Albaspineus.

* c *Si Episcopus absens fuerit.* Cum enim pœnitentium reconciliatio spectaret ad Episcopum, debebat presbyter Episcopum consulere ubi fieri poterat, & eius præcepto reconciliare. Cæterum ubi tempus non erat adeundi Episcopum, sed periculum in morâ esset, quid tum fieri deberet, non exprimit canon, quod notum esset, in Ecclesiâ Dei semper custoditum fuisse, *ut in articulo mortis nulla sit reservatio, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes ab omnibus peccatis, censurisque absolvere possint.* Ut declarat S. Tridentinum Concilium. Trid.Concil. Titulus canonis 6. est, *ut qui criminibus implicati sunt, clericos non accusent.* Canon 6. Canonem verò positum à Numidio Episcopo Massylitano habet vulgata eius editio : sed ex Codice Vaticano legit Holstenius : *Maxulitanus*, quo etiam modo legimus in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Græco-latino. Fit insuper in canone mentio *Aurelij*, cuius loco ponendum : *Genethlij*.

9. *Ut si presbyter excommunicatus sacrificare præsumpserit, anathematizetur.* Canon 8. Edit.vulgata. In editione vulgatâ incipit canon : *Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis, legatus Provinciæ Numidiæ dixit : nec illud prætermittendum est, &c.* Eadem in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ latino : cumque Alypius, Valentiniano 4. & Neoterio Consulibus tantum presbyter extiterit, & non nisi quatuor annis post prædictorum Consulatum Episcopus ordinatus fuerit, colligit ex eo Cardinalis Baronius, Synodum hanc anno 390. istis Consulibus celebrari non potuisse. Verum Codex Ecclesiæ Africanæ in Græco non habet Alypium, sed Aurelium : ΑΥΡΗΛΙΟΣ. Additur quidem Alipius postea in græco, Cod.Grecus. sed manifesto errore, nam canon ille juxtà antiquum Codicem penes Labbeum extantem nec priori loco habet Aurelium, nec secundo Alypium,

pium, sed utroque Felicem, sicque & Codex Vaticanus à Lucâ Hol-
Editio Correcta. stenio inventus : *Felix Episcopus Selemselitanus dixit : nec illud praetermittendum est, ut si quis forte presbyter ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore vel superbiâ inflatus, putaverit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contrà Ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Genethlius Episcopus dixit, necessario disciplinæ Ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ Felix frater noster prosecutus est. Proinde.* &c. Vides etiam ultimo loco, ubi Alipius habebatur in græco, Felicem legi in Codice Vaticano.

Canon 9. 10. *Vt si presbyter inconsulto Episcopo agenda celebraverit, honore privetur.* Verba Canonis sunt : *Numidius Episcopus Maxulitanus dixit : in quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter præsente, & inconsulto Episcopo complurimis in domiciliis agant agenda : quod disciplinæ incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genethlius Episcopus dixit* &c. *Agenda*, inquit Canon, & quæ illa ? sane alia esse non videntur, quam quæ Episcopi pastoris officio functi tunc agere solebant per domos, & presbyteri non nisi ab Episcopis jussi, quale supra audivimus reconciliationem moribundi.

Canon. 10. *Quanti debeant judicare sacerdotem atque levitam?* Canon 10. incipit juxta editionem ex Codice Vaticano. *Felix Episcopus Selemselitanus dixit, etiam hoc adiicio secundum statuta veterum Conciliorum....*ut Episcopus, *à duodecim Episcopis audiatur, & à sex presbyter, & à tribus Diaconus, cum proprio suo Episcopo.* Vulgata Canonum editio habebat : *à duodecim Episcopis audiatur, & à sex presbyteris, & à tribus Diaconibus*, verum corruptus est textus, & Canon hic firmavit vetus statutum Canonis XI. Concilij Carthaginiensis sub Grato : *à tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur : presbyter à sex. Si Episcopus à duodecim consacerdotibus audiatur.*

Canon 11. *Vt sine consultu Metropolitani nullus ordinetur Episcopus. Metropolitani* Habet titulus in cunctis codicibus; & Canon tam vulgatæ editionis, quam correctus ad Codicem Vaticanum : *Primatis :* idque verbo apud Afros usitato, qui propriè non habebant Metropolitanos in singulis Provinciis, sed Primates. Pars huius Canonis refertur tit. 13. codicis Ecclesiæ Africanæ.

CAPVT

CAPUT V.

De quatuor Donatistarum Conciliis post medium sæculi 4. quorum meminerunt D. Optatus, & S. Augustinus.

1. *Donatistæ à Iuliano apostatâ Basilicas recipiunt, & cum furore revertuntur, ut ex S. Optato colligitur.*
2. *Meminit S. Optatus Concilij Thevestini, cuius nulla memoria apud collectores Conciliorum: fuit Conciliabulum Donatistarum, post quod Donatistæ inter se divisi sunt Primiano novum schisma conflante, occasione cuius tria alia Donatistarum Conciliabula facta commemorat Augustinus.*
3. *Meminit Augustinus Concilij Carthaginiensis, quod etiam Cavernense dicitur, & ex quo superest Synodica Maximinianistarum ex D. Augustino hic sine aliorum verborum mixtione allata.*
4. *Adduntur notæ ad præcipua huius Synodicæ loca, quæ expositione aliquâ indigent, aut ad illustrandam Donatistarum historiam faciunt.*
5. *Secundum Concilium, cuius meminit D. Augustinus, est Cabarsussitanum, ad quod nullatenus spectat Synodica jam relata, ut omnes hucusque periti crediderunt. Aliud enim Concilium fuisse, quod apud Cavernas Susis, aliud, quod Cabarsussi celebratum est, variis rationibus ostenditur.*
6. *Tertium fuit Bagaiense, cuius fragmenta ex variis D. Augustini locis excerpta hic referuntur.*
7. *Subnectuntur scholia ab Bagaiensis Conciliabuli fragmenta, in quibus & notatu maximè digna.*

1. LIcet audivimus Gratum anno 348. testantem de unitate per Macarium aliosque Constantis Imperatoris ministros Ecclesiis Africæ concessâ, non obindè tamen penitus extincti fuēre Donatistæ, sed ut animadvertit Balduinus in historiâ collationis, Juliano Apostatâ iis Basilicas, quas Constantinus anteà abstulerat, restituente, magis atque magis insolescere cœperunt. Eorum furorem graphicè describit S. Optatus Milevitanus Episcopus, libro 2. ubi juxtà Priorium, Al-

 baspineum,

S. Optatus. baspineum, & Baronium loquens de Juliano Apostatâ ait: *Imperator vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis testatus est; quem precibus rogastis, ut reverti possetis. Quas preces, si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis, ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite si ullus est pudor. Eâdem voce vobis libertas est reddita, quâ voce idolorum patefieri jussa sunt templa. Eisdem penè momentis vester furor in Africam revertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur.* Et huc quoque alludens D. Augustinus epistolâ 166. contrà Donatistas: *Iulianus desertor Christi & inimicus supplicantibus vestris Rogatiano & Pontio, libertatem perditioni partis Donati permisit. Denique tunc reddidit Basilicas hæreticis, quandò templa dæmoniis, eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de quâ lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.* Rogatianus, & Pontius, quorum meminit Augustinus, erant partis Donati Episcopi, quibus epist.48. addit Cassianum: ille enim unâ cum clero schismatico legationem miserat ad Julianum Apostatam, quo Donatistas ab exilio revocante, & iis Basilicas restituente, factum est, quod S. Optatus enarrat seu potius deplorat lib.2. contrà Parmenianum. *Venistis rabidi, venistis irati membra laniantes Ecclesiæ: subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conductâ manu venientes, Basilicas invadistis. Multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, & tam atroces, ut de talibus factis, ab illius temporis judicibus relatio mitteretur.* Addit inter alia, Diaconos Catholicos in Ecclesiâ Lemellensi auctoribus Felice Diabensi, & Januario Pistensi super altare occisos, *de quâ re*, inquit, *Primosus Episcopus Catholicus loci suprà memorati in Concilio vestro apud Thevestinam civitatem questus est, & querelas eius dissimulanter audistis.*

(S. Augustin. and S. Optatus in margin at the respective passages.)

2. Meminit hoc loco S. Optatus Concilij, cuius nulla memoria apud collectores: illud tamen in Thevestinâ civitate celebratum clarius testari non pôtuit S. Milevitanus Episcopus. Donatistarum fuisse conventiculum, nemo rectè negavit, quot tamen Episcoporum, non apparet. Celebratum videtur paulo post rescriptum Juliani, quo Donatistæ jussi sunt sedibus restitui, quod anno 362. adscribit Baronius. Ubi enim Donatistæ reversi sunt multarum

cædium

cædium rei, & primo ingressu castellum Lemellense invaserant cum Diaconorum nece, Primosum ad primum Conciliabulum retulisse credendum est, quod Donatistæ post restitutionem apud civitatem Thevestinam habuerunt, ut de partis suæ Ecclesiâ cuncta disponerent. Post quæ ipsi tandem Donatistæ inter se divisi novum schisma conflarunt, & alium contrà Primianum Parmeniani in schismate sedis Carthaginiensis successorem substituerunt, qui & Primianum accusavit, de quo D. Augustinus lib. 4. contrà Cresconium: *Maximianus Primianum & vos omnes affirmat à parte Donati, in quâ ipse permansit, schisma fecisse, & recitat decreta Conciliorum. Primum quod apud Carthaginem à 43. factum est, quo prædamnatus est Primianus. Alterum quod * Cabarsussi centum vel amplius vestri tunc Episcopi concluserunt, quo perfectè pleniusque damnatus est. Cui talia documenta proferenti, quid respondebis, nisi maioris authoritatis esse Bagaiense Concilium, in quo 310. eumdem Maximianum & eius socios damnaverunt, quando Primianus non apud eos tanquam purgandus dicebat causam, sed cum eis tanquam judex innocentissimus considebat, proferebat sententiam contrà Maximianum, & 12. socios eius, quibus præsentibus ordinatus est.* Paucis plura complectitur D. Augustinus, ac primo Concilium Carthaginiense à 43. Episcopis, cuius acta periere præter Synodicam, quæ quia in tomis Conciliorum non reperitur, lubet eam ex D. Augustino repetere, & non interpolatam subiungere.

Augustinus.

* *Cebarsusii.*

SYNODICA MAXIMINIANISTARUM,

Ex Conciliabulo Cavernensi.

3. * a *Sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam; hoc est per Provinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolim constitutis, sed & presbyteris, & Diaconibus, universis plebibus in veritate Evangelij nobiscum militantibus. Victorinus, Fortunatus, * & Victorianus, Migginus, Saturninus, Constantius, Candorius, Innocentius, Cresconius, Florentinus, * Salvius, alius Salvius, Donatus, Geminius, Prætextatus, Maximianus, Theodorus, Anastasius, Donatianus, Donatus, alter Donatus, Pomponius, Pancratius, Ianuarius, Secundinus, Paschasius, Cresconius, Rogatianus, alius Maximianus, Benenatus, Gaianus, Victorinus, Guntasius, Quintasius, Felicianus, Salvius Migginus, Proculus, Latinus, & cæteri, qui in Concilio apud* * b *Cavernas Susis fuimus,* *in*

Synod. Cavernensis apud August. enarrat. in psalm. 36.

* *Dele &.*

* *Salvianus.*

in Domino æternam salutem. Nemo qui nesciat, fratres dilectissimi, de sacerdotibus Domini non tantum modò propriæ voluntatis, sed divinæ legis impulsu, tam in reos sententiam dicere, quam innocentibus inflictam jure ab eis ac meritò submovere. Non levi enim periculo subiacebit, quisquis aut reo pepercerit, aut innocentem * confiteri pertentarit, maximè cum scriptum sit, Innocentem & justum non occides, & purgatione non purgabis reum. Hoc igitur edicto legis * admoniti necesse nos fuerat Primiani causam, quem plebs S. Carthaginiensis Ecclesiæ Episcopum fuerat in ovile Dei sortita, seniorum litteris eiusdem Ecclesiæ postulantibus audire atque discutere sub eo: ut explanatis omnibus, aut innocentem, quod obtabile fuerat, purgaremus, aut nocentem certè ostenderemus suis meritis esse damnatum. Optatissimum enim nobis fuit, ut plebs sancta Carthaginiensis Ecclesiæ eo se lætetur Episcopo sublimatam, qui in omnia sanctus, & in nullo reprehensibilis haberetur. Propterea utique talem esse oportet Domini sacerdotem, ut quod populus pro se apud Deum non valuerit, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit, impetrare; quia scriptum est: si peccaverit populus orabit pro eo sacerdos, si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo? Scandala igitur Primiani, & ipsius nequitiæ singularis sic in se cœleste judicium provocavit, ut horum criminum authorem necesse esset penitus amputare, qui recens ordinatus impietatem schismatis facere non metuit, * c Presbyteros supradictæ plebis ad conjurationem impiæ conspirationis impellens, hoc ab eis velut præcario jure postulavit, ut ad damnandos quatuor Diaconos, viros egregios ac singularibus meritis approbatos, Maximianum scilicet, Rogatianum, Donatum, itemque Salgamum * consentirent, ut incunctanter ei promitterent accommodare consensum. Cuius illi malâ præsumptione stupefacti, cum rem silentio refellissent, per se cogitatum scelus non dubitavit implere, usque adeo, ut in Maximianum Diaconum virum, sicut omnibus notum est, innocentem, sine causâ, sine accusatore, sine teste absentem, ac lecto cubantem, sententiam putaret esse promendam, quia jam pridem clericos non dissimili furore damnaret. Nam cum incestos contrà legem decretaque omnium sacerdotum communioni sanctæ adiungeret, cumque obsistente maximâ parte plebis, etiam seniorum nobilissimorum litteris conveniretur, ut per se corrigeret, quod admiserat, suâ temeritate possessus emendare contempsit. His itaque permoti seniores Ecclesiæ supradictæ, ad universum chorum litteras legatosque miserunt, quibus non sine lacrymis deprecati sunt, ut ad se ferventius veniremus, quo perpenso libramine intentionibus exploratis, existimatio Ecclesiæ purgaretur. Ad hanc proindè cum secundum

Marginal notes: * confutare. — Exod. 23. — * Admoneri. — Locus male à Donatistis interpretatus — * conspirarent

cundum memoratorũ litteras * d *veniremus, notâ suâ ille ratione fervescens adventum nostrum penitus declinavit : qui usquequaque rebelli animo recalcitrans in malo permansit, ut conductâ multitudine perditorum, atque impetratis officialibus Basilicarum januas obsedissent, qui ingrediendi nobis atque agendi solemnia interdicerent facultatem &c.* (post quæ sequitur damnatio.) *Decrevimus omnes sacerdotes Dei præsente Spiritu Sancto, hunc eumdem Primianum : primò quia super vivos Episcopos alios subrogavit : quod incestos cum sanctorum communione miscuerit : quod presbyteros ad conjurationem in eâdem constringere pertentarit : quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, cum ægrotantibus baptismo succurrisset : quod communionem Demetrio presbytero denegavit, ut cogeret filium abdicare : quod idem presbyter obiurgatus sit, quod Episcopos hospitio suscepisset : quod supradictus Primianus multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret : quod obsessi sunt Episcopi simul & clerici, & posteà ab eius satellitibus lapidati sint : quod in Basilicâ cæsi sint seniores, quod indignè ferrent Claudianistas ad communionem admitti : quod innocentes clericos, putaverit esse condemnandos : quod se nobis audiendum noluerit exhibere, cum Basilicarum fores, ne ingrederemur, multitudine & officialibus intercluserit : quod legatos à nobis ad se missos injuriosè reiecerit : quod loca multa vi primo, dehinc auctoritate judiciariâ usurpavit : præter alia illicita eius admissa, quæ pro honestate styli nostri silvimus, à sacerdotali choro perpetuò damnatum esse decrevimus, ne eo palpato Dei Ecclesia aut contagione aut aliquo crimine maculetur. Quod idipsum Paulus Apostolus exhortatur & admonet : præcipimus autem vobis fratres in nomine Domini nostri IESV Christi, ut discedatis ab omni fratre inordinatè ambulante, atque adeo non immemores puritatis Ecclesiæ, conducibile existimavimus, omnes sanctos consacerdotes & omnes clericos, & omnes populos, qui se Christianos meminerunt, hâc nostrâ tractatoriâ commoneri, ut omnes eius communionem, utpote damnati, diligenti curâ horreant. Ipse enim de suo interitu rationem reddet, qui hoc nostrum decretum non audiendo tentaverit violare. Placuit sane nobis & Spiritui Sancto, quod tempus tardis ad convertendum reservetur sub eo, ut quique consacerdotum vel clericorum suæ salutis immemores à* * e *die octavâ Kalendarum Ianuarium minus à Primiani damnati communione recesserint, tali sententiâ constringantur. Laici quoque nisi se à supradicto die damnationis illius, intra diem Paschæ futuræ ab eius se consortio separaverint, non posse quemquam nisi per pœnitentiam, siquidem meminerint Ecclesiæ, reformari.*

Victorinus Munaciacensis Episcopus subscripsi.
Fortunatus Dionysianensis Episcop. subscripsi.
Victorianus Carcabinensis Episcop. subscripsi.
Florentius ab Adrumeto Episcop. subscripsi.
Migginus Belephantariæ Episcop. subscripsi.
Innocentius Thebaltensis Episcop. subscripsi.
Miggin pro collegâ meo Salviano Preßitano Episcopo subscripsi.
Salvius Ausacensis Episcop. subscripsi.
Donatus Sabratensis Episcop. subscripsi.
Gemelius à Tanabeis Episcop. &c.
Prætextatus Assuritanus &c.
Maximianus Stabatensis &c.
Dacianus Camicetensis &c.
Donatus Pisciancnsis &c.
Theodorus Vsulensis &c.
Victorianus jubente collegâ Agnosio Episcopo subscripsi..
Donatus Cebresutanus Episcop.
Natalius Thelensis Episcop.
Pomponius Macrianensis &c.
Pancratius Balianensis &c.
Ianuarius Aquenensis &c.
Secundus Iacundianensis &c.
Pascasius à Vico Augusti &c.
Cresconius Coniustiacensis &c.
Rogatianus .... Episcop. &c.
Maximianus Erumminensis &c.
Benenatus Tugucianensis &c.
Ritanus Episcop. &c.
Gaianus Tigualensis &c.
Victorinus Leptimagnensis &c.
Guntasius Benefensis &c.
Quintasius Capiensis &c.
Felicianus Musticanus &c.
Victorianus ex delegatione .... subscripsi.
Magginus .... Episcopus subscripsi.
Latinus Mugiensis Episcop. &c.
Proculus Girbitanus Episcop. &c.
Donatus Sabratensis Episc. pro fratre & collegâ meo Marratio subscripsi.

Procu-

Proculus Girbitanus pro collegâ meo Gallono subscripsi.
Secundanus Prisianensis Episcop. &c.
Elpidius Tusdritanus &c.
Donatus Samurdacensis &c.
Getulicus Victorianensis &c.
Annibonius Robautensis &c. item Annibonius petitus à collega meo Augendiarensi Episcopo subscripsi.
Tertullus Abitensis &c.
Primilianus . . . . . Episcop. &c.
Secundinus Arusianensis &c.
Maximus Pitanensis &c.
Crescentianus Murensis &c.
Donatus Belinensis &c.
Perseverantius Tebertinus &c.
Faustinus Binensis &c.,
Victor Attiburitanus Episcopus subscripsi. * f *omnes numero 53.*

SCHOLION.

4. Hæc Synodica, quam D. Augustinus pro Cæciliani causâ contrà Donati partem urget iis rationum momentis, quæ factioni ruborem adferre debuerunt. Cæterum quo magis schisma Donatistarum innotescat, placet breves annotationes adiungere.

* a. *Sanctissimis fratribus.* Scribunt ad Donatistas, qui non sanctissimi sed schismatici erant, per omnes Africæ Provincias, quas quinque nominant utramque Mauritaniam pro unâ Provinciâ sumendo, dispersos.

* b. *Apud Cavernam Susis: Caverna Susis*, inquit Labbeus in indice Conciliorum Africæ, *locus Carthagini vicinus, aut potius corruptè scriptum Cavernas Susis pro Cabarsussi.* Et hoc ultimum in usum suum suscipientes Balduinus aliique periti, existimarunt Synodicam Cavernæ Susis esse illius Concilij, quod D. Augustinus lib. 4. contrà Cresconium cap. 6. Cabarsussitanum vocavit. Verùm *Cavernas susis* & *Cebarsusas* diversa loca esse, videbimus infrà, ut rectè Synodicam unius, alteri adscribendam non putemus. Labbeus.

* c. *Presbyteros dicta plebis ad coniurationem impiæ conspirationis impellens.* Loquuntur de Carthaginiensi Concilio, quod Primianus cum partis

partis suæ presbyteris Carthaginiensibus contrà quatuor Diaconos habuit initio sui Pseudoepiscopatus circà annum 393. in quo & damnavit Maximianum novi schismatis auctorem absentem, & lecto cubantem.

* d. *Veniremus.* Evocati à clero & senioribus Carthaginiensibus Donatistæ Episcopi, primùm Carthaginem venerunt, ubi Primianus Basilicas quasdam obtinens eos ab earũ ingressu arcessebat, cum inquiunt, *conductâ multitudine perditorum, atque impetratis officialibus Basilicarum januas obsedissent, qui ingrediendi nobis atque agendi solemnia interdicerent facultatem.* Lacuna hic est apud D. Augustinum, qui testatur multo plura de Primiano dicta, nec dubito, quin adiecerint, tentatam à Primiano vim in causâ fuisse, quod extrà Carthaginem apud Cavernam Susis Concilium celebrarint.

* e. *A die octavâ Kalendarum Ianuariarum.* Alius codex habet *à die octava Kalendarum juliarum, usque ad diem octavum Kalendarum Ianuariarum.*

* g. *Omnes numero quinquaginta tres.* Nec plures aut pauciores subscripti reperiuntur: ex quibus apparet, loco quadraginta trium Episcoporum, restituendum esse apud D. Augustinum, quinquaginta trium. Idque facilè fieri potuit, ut exscriptorum incuriâ loco 53. poneretur in libris contrà Cresconium 43. qui apud Carthaginem convenerunt, & Primianum prædamnarunt.

5. Secundum Concilium, cuius meminit Augustinus lib.4. contrà Cresconium, est Cabarsussitanum centum vel amplius Episcoporum credebat in primis Balduinus & cum eo Justellus, Synodicam ex Augustino superius relatam, esse huius Concilij, *quod Primianum amplius Damnavit:* sed contrà facit, quod prior Synodica scripta sit *apud Cavernam Susis* juxtà Carthaginem: Synodus Cebarsussitana verò habita fuerit in civitate Cebarsussæ Provinciæ Byzacenæ longè à Carthagine distante. Secundò quod in Synodica illa profiteantur Episcopi, sese ad instantiam seniorum Carthaginem venisse, ut de Primiano sententiam ferrent, quam sese tunc primò tulisse, clamat totus tractatoriæ contextus: ubi econtrà Synodus Cebarsussitana amplius perfectiusque damnavit Primianum: quis autem credet, si Primianus anteà damnatus fuisset, Maximianistas in suâ tractatoriâ mentionem facturos non fuisse. 3. quod Concilio apud Carthaginem celebrato tantum 43. vel ut testatur Synodica, 53. Episcopi adfuerint, ubi constans est D. Augustini sententia, Concilio Cebarsussitano adfuisse

fuisse centum aut plures: *alterum*, inquit lib.4. contrà Cresconium cap.6. *centum vel amplius vestri tunc Episcopi concluserunt*, & infrà cap.7. *posteà centum Episcopi judicaverunt.* Et enarratione in psalm.36. *centum vel quot fuerunt, qui damnaverunt à parte Maximiani Primianum.* Quartò quod in Synodicâ tantum mentio fiat Maximiani tanquam Diaconi absque eo, quod illius ad sedem Carthaginiensem evectionis meminerit, ubi tamen à centum Episcopis apud Cebarsussam in locum Primiani suffectus fuit Maximianus; ita enim D. Augustinus libro de hæresibus cap.69. *Apud Carthaginem Maximianus contrà Primianum ab eiusdem erroris centum ferè Episcopis ordinatus.* Apud Carthaginem, inquit, quod illius Episcopus esset electus à centum Episcopis, quorum duodecim in civitate Carthaginiensi posteà Maximianum ordinarunt, ut patebit ex actis Bagaiensis Concilij, quod tertio loco ponit Augustinus, ex cuius tertio contrà Cresconium libro capite 53. & sequentibus fragmenta nobis restantia repetemus. Augustinus.

FRAGMENTA BAGAIENSIS CONCILIABULI.

6. *Cum omnipotentis Dei & Christi eius voluntate in Ecclesiâ* * a *Bagaiensi Concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Ianuarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus & cæteri numero* * b *trecenti & decem, placuit Spiritui Sancto, qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, &* * c *Schismata resecare sacrilega.* Deinde cum multa in Maximianistas horrenda evomuisset, paulò post prosequitur: *Maximianum, fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit,* * d *& quem adhuc eumdem dehiscens terra non sorbuit, ad maius supplicium superis reservavit. Raptus enim pœnam compendio lucraverat funeris, usuras nunc graviores colligit fœnoris, cum mortuus interest vivis. Nec solum hunc sceleris sui mors justa condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij,* * e *de quibus scriptum est: venenum aspidum sub labiis eorum &c. ... Nollemus quidem tanquam è proprij corporis juncturâ præcidi, sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscisione solaminis, quam in remissione medicaminis inventa est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, ut compendioso dolore natum decidat vulnus. Famosi ergo criminis reos, Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Beianum* Acta Concil. Bagaiensis.

Baianensem, Salvium Aitaphensem, Theodorum Vsulensem, Donatum Sabratensem, Migginum Belephantariensem, Pretextatum Assuritanum, Salvium Membresitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Musticanum, & Martialem Pertusensem: qui funesto opere perditionis vas sordidum collectâ faculentiâ glutinarunt: sed & clericos aliquando Ecclesia Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium prabuerunt, Dei prasidentis arbitrio universalis Concilij ore veridico damnatos esse cognoscite. Eos autem, quos sacrilegi surculi non polluëre plantaria, id est, qui à Maximiani capite proprias manus verecundo pudore fidei retraxerunt, ad matrem Ecclesiam redire permisimus. Ac ne angustum redeuntibus tempus spem salutis arctata diei pressura subducat, agnoscentibus quibus licet, manentibus pracedentibus statutis universis * f *in diem octavarum Kalendarum Ianuariarum proximè futurarum agnitionis pandimus januam, ut integri honoris ac fide regressi habeant fundamenta, etiamsi quisquam ingredi nequiverit pigrâ segnitiâ, sciat sibi ad omnes veniales aditus suâ voluntate viam esse subductam. Manebit enim circà eos dicta sententia, & post prestitum diem redeuntibus fixa pœnitentia.*

SCHOLION.

7. * a. *Bagaiensi.* Bagai civitas est Numidiæ, in cuius Ecclesiâ celebratum fuit hoc Donatistarum Conciliabulum.

* b. *Numero trecenti & decem.* Omnes, inquit D. Augustinus, partis Donati Episcopi.

* c. Schismata. *Multa*, inquit D. Augustin. lib. de hæresibus c.69. *& inter ipsos facta sunt schismata, & ab eis se diversis cœtibus alij atque alij separarunt.* Nominat ibi præcipuum schisma Maximiani, & l.4. contrà Cresconium cap.60. *alia schismata facta sunt ex vobis, sicut Rogatenses in Mauritaniâ Cæsariensi, Vrbanenses in quâdam Numidia particulâ, & alia nonnulla.* (Augustin.)

* d. *Excussit.* Erat hic lacuna, uti & alia post to * *Sacrilegij*, quas supplevi ex D. Augustino lib.4. contrà Cresconium, cap.4.

* e. *Famosi ergo.* 12. nimirum Maximiniani socij, *qui*, inquit D. Augustinus lib.4. contrà Cresconium, cap.31. *eumdem Maximianum præsentes ordinaverant.*

* f. *In diem octavarum Kalendarum Ianuariarum proximè futurarum.* *Ergo*, inquit D. Augustinus libr.3. contrà Cresconium cap.56. *à die octavo Kalendarum Maiarum post Consulatum Theodosij Augusti ter, Consulatu* (Augustinus.)

sulatu Augustorum Arcadij 3. & Honorij iterum, qui est dies Concilij Bagaiensis, usque ad octavum Kalendarum Ianuariarum, qui dies est dilationis, octo menses fermè numerantur. Arcadius 3. & Honorius iterum Consules fuëre anno 394. unde constat, quo anno & Mense celebratum fuit Bagaiense Concilium, in quo Maximianus à Donatistis fuit damnatus cum duodecim eius ordinatoribus, ex quibus Musticani & Assuritani Episcopos suos coëgerunt, ut ad Primiani communionem reverterentur, quod & eos fecisse variis in locis urget D. Augustinus.

CAPVT VI.

De Concilio Hipponensi anno 393. Theodosio 3. & Abundantio Coss. ubi de Synodi illius Canonibus, an sint supposititij?

1. *Breviarium Synodi Hipponensis insertum Synodicæ Carthaginiensis Concilij, quæ adfertur juxtà editionem ex Codice Monasterij S. Bavonis.*
2. *Præfationem subsequuntur Canones Hipponenses abbreviati in editione vulgatâ, sed integri in editione ex Codice Canonum ad varia M. SS. recensitâ, quam typis emisit in appendice ad opera Leonis magni Paschasius Quesnellius.*
3. *Editio Quesnellij expenditur, & supposititiam esse, paucis indicatur, ac præsertim ex eo, quod juxtà titulum solum Breviarium Canonum Hipponensium in Carthaginiensi tertio sit editum.*
4. *Breviarium illud exhibetur in editione vulgatâ, quam sine ullâ suppositionis suspicione admiserunt Baronius, Spondanus, Perronius, Labbeus alijque conciliorum collectores.*
5. *Verum re graviori lance perpensâ longè aliter judicandum censemus de Breviario Hipponensi, & Synodicâ Carthaginiensi. Synodica enim ipsa non est Carthaginiensis Concilij, sed Byzaceni, ex quo transmissa fuit ad Aurelium, qui ineptè illi subscriptus habetur.*
6. *Secundo, quia Synodica habet,* dum in Carthaginiensi urbe conveni-

remus, *ubi potius Mizonius cum Provincia Byzacena Episcopis in Byzacio Metropoli convenerint.*

7. *Tertio, quia Symbolum Nicanum in breviario Synodico relatum non convenit cum versione latinâ, eique additum sit:* per Virginem.

8. *Quarto, quod referat:* abbreviationes factas in Concilio Carthaginensi tertio. *Cum constet factas in Concilio Byzaceno.*

9. *Quinto quod ea, quæ à maioribus referuntur in Concilio Hipponensi statuta, non reperiantur in isto Breviario.*

10. *Sexto, quod exceptis tribus omnes tituli in Breviario relati sint potius Carthaginiensis 3. quam Hipponensis Concilij, cumque Epigonius testetur tantum unicum de Paschate titulum ex Hipponensi decerptum Canonibus Carthaginiensibus fuisse adjunctum, vel ex hoc solo constat de suppositione Breviarij Hipponensis, uti etiam ex Aurelij subscriptione, qui Synodo Byzacenæ non adfuit.*

11. *Neque ob hæc tamen aliquid detrahitur auctoritati Hipponensis, aut Synodicæ Byzacenæ, cum certum sit, Synodum Hippone celebratam fuisse, in quâ D. Augustinus de fide & Symbolo Apostolorum disputavit.*

12. *Præter acta de fide, statuti quoque fuerunt in Synodo Hipponensi canones aliquot, quorum primus est de Paschate, tertius verò refertur à Fulgentio Ferrando, qui inter Hipponenses canones non reperitur.*

13. *Quintus, octavus, & nonus Canones Hipponenses adferuntur ex eodem Fulgentio Ferrando, & nequaquam in Breviario Hipponensis Synodi reperiri monstrantur.*

14. *Aliud Hipponensis Synodi statutum ex aliis antiquitatis monumentis profertur de Concilio plenario per turnum in Provinciis habendo.*

15. *Et hæc esse genuina Hipponensis Synodi statuta memoriæ posteritatis consecrata, non vero alia ex aliis Synodis deprompta.*

1. Extat in Collectionibus Conciliorum post Synodum Carthaginiensem tertiam Synodica cum Breviario Hipponensis Concilij edita per Crabbum ex vetusto Codice Monasterij S. Bavonis Flandriæ civitatis, cui Paschasius Quesnellius capite 2. Codicis à sese in appendicè ad Opera Leonis editi hunc titulum præfixum refert: *Canones Carthagini habiti sub die iduum Augustarum Attico & Cæsario Consulibus.* Codex Oxoniensis legit: *sub die nonarum Augusti.* At Binnius, Collector regius, & Philippus Labbeus hunc ei titulum præfixerunt.

Canones

Canones Concilij Carthaginiensis, habiti sub die Iduum Augustarum circa tempora Siricij Papæ * a Attico & Cæsario Coss. & Epistola Aurelij & Musonij ad Episcopos.

* b *Dilectissimis fratribus & Coepiscopis diversarum Provinciarum Numidiæ, Mauritaniæ utriusque, Tripolis; & Provinciæ Proconsularis,* * c *Aurelius,* * d *Musonius, & Cæteri Episcopi:* * *Mizonius.*

Ecclesiasticæ utilitatis causâ, dum in * e *Carthaginiensi urbe convenirernus in unum, à plerisque suggestum est, ea quæ in Concilio Hipponensi* * f *jam dudum maturata sunt, & legitimè ad corrigendam disciplinam salubriter gesta & statuta noscuntur, effrenatâ temeritate quosdam minimè custodire. Ad huiusmodi verò excusandos excessus; illud ab aliquibus prætendi, quod ea, quæ jam dudum legibus statuta sunt, ignorantes prætermiserint. Ob quam rem hac communi* * *Concilio per universam Provinciam Byzacenam, in notitiam cunctis deducenda censuimus, ut* * *in his quisquis* * *de cætero temerator extiterit, sciat se status sui operatam fuisse jacturam.* * g *Brevem vero statutorum (in quo omnia videntur esse complexa & quædam diligentius* * *custodita) huic Epistolæ subdi fecimus, ut compendio, quæ decreta sunt, recensentes, sollicitius observare curemus. Optamus vos fratres in Deò semper benevalere, & nostri memores esse. Et manu senis* * *Musonij: Optamus vos fratres beatos semper in Deo Gaudere, & nostri memores.*

* *Consilio.* * *abhinc.* *deest* * *de cætero.* * *Constituta.* * *Mizonij.*

2. Hæc Synodica juxtà antiquum Codicem Monasterij Sancti Bavonis, additis dumtaxat in margine ijs, in quibus variat lectio Codicis Bibliothecæ Oxoniensis, ex quo uti & aliis M. SS. hanc Synodicam cum statutis Concilij Hipponensis nuperrimè edidit in appendice ad opera Leonis magni capite 2. Codicis canonum Paschasius Quesnellius: nec ingratum futurum arbitror, cum utraque editio differat in multis, si utramque hic subjungamus.

EDITIO VULGATA EX CODICE M.S.

Monasterij S. Bavonis.

Statuta Concilij Hipponensis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginiensi cum Byzacenis Episcopis collata & diligentius pertractata hæc sunt.

Nicæni Concilij professio & fides recitata & confirmata est, quæ ita se habet.

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, visibilium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum JESUM Christum, filium Dei, natum de Patre unigenitum, homousion, hoc est de substantiâ Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cælo, sive quæ in terrâ. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit. Incarnatus est, homo factus est per virginem. Passus est, & resurrexit tertiâ die. Ascendit in cælum, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritū Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat: & quia ex ullis non extantibus factus est, aut ex aliâ substantiâ, dicentes mutabilem & convertibilem filium Dei; hos anathematizat Catholica Ecclesia, & Apostolica disciplina.

Concilij

EDITIO NOVA EX CODICIBUS M.SS.

Biblioth. Thuaneæ, Oxoniensis, &c.

Statuta Concilij Ipponiensis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginiensi cum Bizacenis Episcopis collata & diligentius pertractata, hæc sunt.

Nicæni Concilij professio & fides recitata & confirmata est.

Placuit etiam propter controversiam quæ sæpè solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ observationem diei Paschalis ab Ecclesiâ Carthaginiensi curent accipere.

Cresconius Villarensis Episcopus, qui Tubuniensis Ecclesiæ cathedram tenuisse dicebatur, plebe suâ, hoc est, Villarensis Ecclesiæ jussus est esse contentus.

Ex hoc placuit, ut à nullo usurpentur plebes alienæ.

Primatem proprium Mauritania Sitifensis, cum id postularet, habere permissa est in longinquioribus Mauris.

Cæteri primæ sedis Episcopi ex Concilio Episcopi Carthaginiensis Ecclesiæ Primates Provinciarum suarum constituendos esse professi sunt, si aliqua altercatio fuerit.

Quæ in Concilio Africano sunt promulgata, in hoc Carthaginiensi Concilio confirmantur.

Incipit

Editio Vulgata.

*Concilij Hipponensis Abbreviationes factæ in Concilio Carthaginiensi * III.*

1.

Placuit etiam propter errorem, qui sæpè solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ observationen diei Paschalis ab Ecclesiâ Carthaginiensi curent accipere.

2. Carth.3. IV.
Ut lectores populum non salutent.

3. Carth.3. III.
Ut clerici instructi promoveantur.

4. Carth.3. V.
Ut Sacramenta Catechumenis non dentur.

5. Carth.3. VI.
Corporibus defunctis Eucharistia non detur.

6. Carth.3. II.
Ut per singulos annos Concilium convocetur.

Si

Editio Nova.

Incipit brevis statutorum.

1.

Ut lectores populum non salutent. Et ut ante 25. ætatis annos nec clerici ordinentur. Ut primum scripturis divinis eruditi vel ab infantia instructi propter fidei professionem & assertionem clerici promoveantur.

2.

Ut ordinatis Episcopis aut clericis prius statuta Concilij inculcentur ab ordinatoribus eorum: ne se aliquid contrà statuta Concilij fecisse pœniteant.

3.

Ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur nisi solitum salis: quia enim fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec catechumenos oportet mutare.

4.

Ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: dictum est enim à Domino: accipite & edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Inde cavendum est, ne mortuum etiam baptizari posse fratrum infirmitas credat: cum Eucharistiam dari mortuis animadverterit.

5.

Ut propter caussas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent ex Concilijs suis ternos legatos mittant: ut & minus invidiosi,

EDITIO VULGATA.

EDITIO NOVA.

invidiosi, minusque hospitibus sumtuosi conventus plena possit esse authoritas. Et ut de Tripoli, propter inopiam Episcoporum, unus Episcopus veniat.

7. Carth. 3. VII.

Si Episcopus accusatus fuerit, ad Primatem Provinciæ causam suam referat.

6.

Ut quisquis Episcopus accusatur, ad Primatem Provinciæ ipsius causam deferat accusator: nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur; nisi ad causam suam dicendam Primatis litteris evocatus minimè occurrerit; hoc est, intra spatium mensis, ex die qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquis veras necessitatis caussas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, caussæ suæ dicendæ intrà alterum mensem integram habeat facultatem. Verum post mensem secundum tamdiu non communicet, donec expurgetur.

8. Carth. 3. VII.

Episcopus accusatus, si ad Concilium anniversarium non venerit, sententiam damnationis suæ tulisse judicetur.

Presby-

7.

Si autem nec ad Concilium universale anniversarium occurrere voluerit, ut vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur. Tempore sanè, quo non communicat, nec in suâ plebe communicet. Accusator autem eius, si numquam diebus caussæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur. Si verò aliquando defuerit, restituto communioni Episcopo, ipse removeatur. Ita tamen, ut nec ipsi adimatur facultas caussæ peragendæ, si se ad diem occurrere, non noluisse, sed non potuisse probaverit. Sane placuit illud, ut cum agere cœperit in Episcoporum judicio, si fuerit probata

EDITIO VULGATA. EDITIO NOVA.

bata accusatoris persona culpabilis, ad accusandum vel agendum non admittatur, nisi proprias caussas, non tamen Ecclesiasticas dicere voluerit.

9. & 10. Carth. 3. VIII.

Presbyter si accusatus fuerit, cum quinque collegis ex vicinis Episcopis causa sua discutiatur, Diaconus cum duobus.

8.

Si autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum; id est, in presbyteri nomine, quinque; & in Diaconi, duobus: Episcopi ipsorum caussam discutiant eâdem dierum, vel dilationum, vel à communione remotionum & discussione personarum inter accusatores & eos, qui accusantur, formâ servatâ. Reliquorum autem causas etiam solus Episcopus loci agnoscat & finiat.

11. Carth. 3. IX.

Episcopo aut clerico, si fuerit crimen institutum.

9.

Sanè quisquis Episcoporum vel clericorum, cum in Ecclesiâ ei fuerit crimen institutum, vel civilis caussa fuerit commota; & is relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit: etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio. In civili verò, perdat quod evicit; si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique Ecclesiæ patet authoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universâ Ecclesiâ malè sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium: cum privatorum Christianorum caussas Apostolus ad Ecclesias deferri, atque ibi determinari præcipiat.

12. Carth. 3. X.

Ut Judices Ecclesiastici ad alios judices

10.

Hoc etiam placuit: ut si à quibuscumque

EDITIO VULGATA.

dices causam non provocent.

13. Carth. 3. XI.

Ut filij clericorum spectacula non exhibeant.

14. Carth. 3. XII.

Ut filij Episcoporum hæreticis non conjungantur.

15. Carth. 3. XIV.

Ut Episcopi vel clerici filios suos non eijciant.

16. Carth. 3. XIII.

Ut Episcopi vel clerici nihil conferant rerum suarum nisi catholicis.

17. Carth. 3. XV.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, non sint conductores.

Ut

EDITIO NOVA.

que judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est maior authoritas fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo judicasse, vel aliquâ cupiditate vel gratiâ depravati esse. Sanè si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quam constitutum est, non liceat provocari.

11.

Ut filij Episcoporum & clericorum spectacula secularia non exhibeant, nec spectent (licet hoc semper Christianis omnibus indictum sit, ut ubi blasphemiæ sunt, non accedant) quandoquidem à spectaculis arcentur.

12.

Ut gentilibus vel etiam hæreticis & schismaticis filij Episcoporum, vel quorumlibet clericorum matrimonio non conjungantur.

13.

Ut Episcopi vel clerici filios suos à suâ potestate per emancipationem exire non sinant; nisi de moribus & ætate eorum fuerint securi, ut possint ad eos jam propria pertinere peccata.

14.

Ut Episcopi vel clerici in eos, qui Christiani Catholici non sunt, etiamsi consanguinei sint, nec per donationes, nec per testamentum, rerum suarum aliquid conferant.

15.

Ut Episcopi, Presbyteri, & Diacones non sint conductores aut procuratores

EDITIO VULGATA.	EDITIO NOVA.
	res privatorum : neque ullo negotio tali victum quærant, quo eos peregrinari, vel ab Ecclesiasticis officiis avocari necesse sit.
18. Carth. 3. XVII. Ut clerici cum extraneis fœminis non habitent.	16. Ut cum omnibus omninò clericis extraneæ fœminæ non cohabitent; sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, & sorores, & filiæ fratrum & sororum, & quæcumque ex familiâ domesticâ necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant. Vel si filij eorum, ordinatis jam parentibus, uxores acceperint, aut non habentibus servis in domo, quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.
19. Carth. 3. XVIII. De sacris gradibus,	17. Ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priusquam eos, qui sunt in domo eorum Catholicos Christianos fecerint.
20. Carth. 3. XIX. De lectoribus.	18. Ut lectores usque ad annos pubertatis legant : deinceps autem, nisi uxores custoditâ pudicitiâ duxerint, vel continentiam professi fuerint, legere non sinantur.
21. Carth. 3. XXI. Ut clericum alienum nemo retineat.	19. Ut clericum alienum, nisi concedente eius Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesiâ sibi creditâ. Clericorum autem sibi nomen etiam lectores retineant.
22. Carth. 3. XXII. Ut clericus non ordinetur, antequam probatus sit.	20. Ut nullus ordinetur nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.

EDITIO VULGATA.	EDITIO NOVA.
23. Carth. 3. XXIII.	21.
Ut in precibus nec Pater pro Filio, nec Filius pro Patre nominetur.	Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet: & cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque preces sibi aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit.
24. Carth. 3. XVI.	22.
Ut nullus clericus amplius recipiat, quam dedit.	Ut nullus clericorum amplius recipiat, quam cuiquam commodaverit, sive pecuniam det, sive quamlibet speciem.
25. Carth. 3. XXIV.	23.
In Sacramentis aliud non offeratur, quam panis & vinum aquâ mixtum.	Vt in Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquâ mixtum. (Primitiæ vero seu mel & lac, quod uno die solemnissimo pro infantium mysterio solet offerri, quamvis in altari soleant offerri, suam tamen habent propriam benedictionem, ut à sanguinis & corporis Dominici Sacramento distinguantur) nec amplius de primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis.
26. Carth. 3. XXV.	24.
Vt Episcopi, presbyteri, aut clerici ad viduas vel virgines soli non accedant.	Vt clerici vel continentes ad mulieres & viduas, nisi ex jussu vel permissu Episcoporum non accedant, vel presbyterorum; & hoc non soli faciant, sed cum clericis, aut cum his, cum quibus Episcopus aut presbyter jusserit. Nec ipsi Episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi fœminas, sed aut ubi clerici præsentes sunt, aut graves aliqui christiani.
Vt	Vt

Editio Vulgata.

27. Carth. 3. xxvi.

Vt primæ sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur.

28. Carth. 3. xxvii.

Clerici in tabernis non manducent nec bibant.

29. Carth. 3. xxviii.

Vt Episcopus trans mare non proficiscatur.

30. Carth. 3. xxix.

Vt à jejunis altaris Sacramenta celebrentur.

31. Carth. 3. xxx.

Vt in Ecclesiâ neque Episcopus, vel clerici conviventur.

32. Carth. 3. xxxii.

Vt presbyter inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem.

Vt

Editio Nova.

25.

Vt primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi; sed tantum primæ Sedis Episcopus.

26.

Vt clerici edendi vel bibendi caussâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinandi necessitate.

27.

Vt Episcopi non proficiscantur trans mare, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cuiusque Provinciæ: ut ab eo præcipuè possint formatas sumere. Hinc etiam dirigendæ sunt litteræ Concilij ad transmarinos Episcopos.

28.

Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum sive Episcoporum, seu clericorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.

29.

Vt nulli Episcopi vel clerici in Ecclesiâ conviventur: nisi fortè transeuntes hospitij illic necessitate reficiant: populi etiam ab his conviviis, quantum potest fieri prohibeantur.

30.

Vt pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Et ut presbyteri inconsulto Episcopo non reconcilient pœnitentes: nisi absentiâ

Episcopi

EDITIO VULGATA.	EDITIO NOVA.
	Episcopi & necessitate cogente. Cuiuscumque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.
33. Carth. 3. XXXIII. Vt virgines gravioribus fœminis commendentur.	31. Ut virgines sacræ cum parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi vel Presbyteri providentiâ gravioribus fœminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant: ne passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem.
34. Carth. 3. XXXIV. Vt ægrotantes baptizentur.	32. Vt ægrotantes, si pro se respondere non possint, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, Baptizentur.
35. Carth. 3. XXXV. Vt reversis reconciliatio non negetur.	33. Vt scenicis vel apostaticis conversis vel reversis ad Deum gratia vel reconciliatio non negetur.
36. Carth. 3. XXXVI. Vt presbyter chrisma non conficiat.	34. Vt Presbyter non consulto Episcopo virgines non consecret; Chrisma verò numquam conficiat.
37. Carth. 3. XXXVII. Vt in alienâ civitate clerici non morentur.	35. Vt clerici in alienâ civitate non immorentur, nisi causas eorum justas Episcopus loci, vel Presbyteri locorum perviderint.
38. Carth. 3 XXXXVII. Scripturæ canonicæ in Ecclesiâ legendæ, quæ sint, & præter quas aliæ non legantur.	36. Vt præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem Canonicæ scripturæ: Genesis. Exodus. Leviticus. Numeri. Deuteronomium. JESU Nave.
Vt	Judi-

EDITIO VULGATA.

39. Carth. 3. XXXIX.

Vt Episcopus minus quam à tribus Episcopis non ordinetur.

De

EDITIO NOVA.

Judicum. Ruth. Regnorum libri quatuor. Paralipomenon libri duo. Job. Psalterium Davidicum. Salomonis libri quinque. Duodecim libri Prophetarum. Esaias. Jeremias. Daniel. Ezechiel. Tobias. Judith. Hester. Hesdra libri duo. Novi autem testamenti Evangeliorum libri quatuor. Actus Apostolorum, liber unus. Pauli Apostoli epistolæ tredecim. Eiusdem ad Hebreos una. Apocalypsis Joannis. Ita ut de confirmando isto Canone transmarina Ecclesia consulatur. Liceat etiam legi passiones Martyrum cum anniversarij dies eorum celebrantur.

37.

Placuit etiam: ut quoniam præcedentibus Conciliis statutum est, ne quis Donatistarum cum honore suo recipiatur à nobis; sed in numero laicorum propter salutem, quæ nulli deneganda est; tantum autem inopiæ clericorum ordinandorum in Africâ patiuntur Ecclesiæ, ut quædam loca omninò deserta sint: servetur quidem in istis, quod jam antea traditum est: sed exceptis his, quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad communionem catholicam transire voluerint. Sic enim scriptum est: *quod duobus si convenerint Christianis, quidquid petierint, impetrabunt.* Non oportet dubitari, quod remoto scandalo dissensionis in universæ plebis unitate, pacis compensatione & sacrificio caritatis aboleantur, qui maiorum suorum autoritatem sequentes, repetitionem Baptismi commiserint. Sed hanc rem placuit non confirmari, priusquam

EDITIO VULGATA.

40.

De his, qui in nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut baptizentur.

41.

Vt Donatistæ in numero laicorum recipiantur.

Sequitur Capitulum seu statutum.

Placuit etiam, ut quia in præcedentibus Conciliis statutum est, ne quis Donatistarum cum honore suo recipiatur à nobis, sed in numero laicorum; propter

EDITIO NOVA.

quam exinde transmarina Ecclesia consulatur.

38.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: & illud nobis mandatũ est: ut quia proximè fratres nostri Numidię Episcopi duo ordinare præsumpserunt Pontificẽ, non nisi à duodecim censeatis celebrari Episcoporum ordinationem. Aurelius Episcopus dixit: forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum. Propterea quia & in Tripoli fortè, & in Arzugi interiacere videntur barbaræ gentes: nam in Tripoli, ut asseritur, quinque sunt Episcopi tantummodo, & possunt fortè de ipso numero vel duo necessitate aliquâ occupari: difficile est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere: numquid debet hoc ipsum impedimento esse Ecclesiæ utilitati? nam & in Ecclesiâ, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebra ac penè per omnem diem Dominicam ordinandos habemus Episcopos. Numquidnam frequenter duodecim, vel non multo minus advocare possum Episcopos? sed facilè est mihi duos meæ parvitati vicinos: quapropter cernit mecum caritas vestra, hoc ipsum observari non posse. Sed illud est statuendum; ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si quando contradictio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres jam: sed postulentur ad numerum supradictorum unus vel

EDITIO VULGATA.

propter salutem, quæ nulli deneganda est, (tantum autem inopiæ clericorum ordinandorum in Africâ patiuntur Ecclesiæ, ut quædam loca omninò deserta, sint,) servetur quidem in istis, quod jam antea creditum est: sed exceptis his, quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad communionem Catholicam transire voluerint. Sic enim scriptum est: quod duobus si convenerit Christianis, quidquid petierint, impetrabunt. Non oportet dubitari, quod remoto scandalo dissensionis universæ plebis, invitatæ pacis compensatione & sacrificio caritatis, aboleantur, quæ maiorum suorum authoritatem sequentes, repetitione Baptismi commiserunt.

Sed hanc rem placuit non confirmari prius, quam exinde transmarina Ecclesia consulatur. Et aliâ manu: Aurelius Episcopus. Carthaginensis, placitis à nobis omnibus confirmatis, exceptis emancipationibus, de quibus consulendum censuimus, relictis & agnitis, subscripsi.

Muzonius Episcopus, placitis superius comprehensis emancipatione ad tractatum meliorem dilatâ, subnotavi, primæ sedis Episcopus Provinciæ Byzacenæ.

Victorianus Episcopus plebis Mascilianensis subscripsi.

Lupianus Episcopus plebis Tamugadensis subscripsi.

Ninus Episcopus plebis Tubaltanensis subscripsi.

Philolo-

EDITIO NOVA.

vel duo, & in eâdem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium; postremò etiam illa, quæ objiciuntur, pertractentur: & cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis responso. Et ab universis Episcopis dictum est: satis placet.

39.

Item placuit de infantibus quoties certissimi testes non inveniuntur, qui eos Baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt idonei per ætatem de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo hos esse Baptizandos: ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt. *Et alia manu.*

Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, placitis à nobis omnibus confirmatis, exceptis emancipationibus de quibus consulendum censuimus, relictis & agnitis subscripsi.

Mizonius Episcopus placitis superius comprehensis, emancipatione ad tractatum meliorem dilatâ, subnotavi, primæ sedis Episcopus Provinciæ Byzacenæ.

Victorianus Episcopus plebis Mascilianensis subscripsi.

Lupianus Episcopus plebis Tambitanæ subscripsi.

Ninus Episcopus plebis Iubaltianensis subscripsi.

Philolo-

EDITIO VULGATA.

Philologus Episcopus plebis Adrumetanæ subscripsi.

Ferox Episcopus Macriensis subscripsi.

Hoc modo & omnes subscripserunt, qui huic Concilio interfuerunt.

EDITIO NOVA.

Philologius Episcopus plebis Adrumetinæ, subscripsi.

Ferox Episcopus plebis Macrianensis subscripsi.

Hoc modo & omnes subscripserunt, qui huic Concilio interfuerunt.

EXPLICIUNT CANONES CARTHAGINENSIS CONCILII.

3. Habes hic demum Synodicam Concilio Carthaginiensi tertio tributam ex duplici editione, quarum prima reperitur in tomis Conciliorum, alia verò, quam novam vocamus, capite 2. Codicis canonum editi à Paschasio Quesnellio in appendice ad opera Leonis magni: notat verò Quesnellius dissertat 12. cap. 2. Caput secundum à temporibus Innocentij Papæ primi, & Augustini Hipponensis Episcopi Codici Canonum à se edito fuisse insertum, ut paulò post tempus, quo celebratum est Hipponense Concilium, eo quo relatum est ordine, Codici Canonum Romanæ Ecclesiæ fuisset adjunctum. Verum pace viri eruditi dixerim, Synodicam prout ex capite 2. Codicis retulimus, tam antiquam esse, & sub tanto Sedis Apostolicæ Pontifice Romæ probatam, haud facile crediderim. Habet hæc Synodica quædam de Cresconio Villarensi Episcopo, quæ can. 38. Concilij Carthaginiensis tertij longè aliter concepta sunt: habet insuper in Breviario Hipponensis Cōcilij complura capitula, quæ mutila sunt vel interpolata: unum sufficiat ordine 36. de scripturis canonicis, in quo omittuntur libri Machabeorum, & Epistolæ canonicæ Petri Apostoli duæ, Joannis tres, Judæ Apostoli una, & Jacobi una. Deinde quod caput est, referuntur in istâ editione omnes integri canones, cum titulus præ se ferat: *statuta Concilij Ipponensis Breviata.* Unde si aliqua ex duabus editionibus amplectenda foret, non illa, quæ integros canones retulit, sed editio potius vulgata amplectenda foret, quæ solum Canonum Hipponensium Breviarium continet.

Quesnel.

Tit. Hippon.

4. Illud sanè ante nostra tempora cum Synodica Carthaginiensi omnes Conciliorum collectores Concilio Carthaginiensi 3. tribuerunt, cui & cum illis eminentissimus annalium parens Baronius abbreviationem Canonum Hipponensium attribuit, eiusque mentem Illustrissimus Apamearum in Galliâ Episcopus Henricus Spondanus in hoc

„ compen-

„ compendium redegit ad annum 393. num.5. „ quod vero ad san- Spondanus.
„ ctos ibi unum & quadraginta canones attinet, constat ex eis confe-
„ ctum esse Breviarium, quo ijdem facilius innotescerent; idque de-
„ creto Concilij Carthaginiensis postea celebrati Cæsario & Attico
„ Coss. ubi & habetur intextum. „ Eadem lucidè admittit Galliæ splendor Perronius cap.48. replic. contrà Angliæ regem, ubi dum plurimos canones legit in Concilio Carthaginiensi 3. quorum tituli reperiuntur in Hippônensi Breviario, indubitatum habuit, Canones Hipponenses in Concilio Carthaginiensi tertio fuisse repetitos & varios variè ibidem adauctos vel expositos. Placuit quandoque hæc virorum eruditorum opinio, jamque notas in omnes Hipponensis Breviarij titulos confeceram, cum ecce, re sagaciori mente perpensâ constitit, Synodicam etiam istam cum Breviario subjuncto, si non supposititiam, saltem interpolatam esse, quod ijs rationum momentis probandum iri confidimus, quæ nemo prudens contempserit.

5. Ac primò quidem inscribitur epistola Synodica Episcopis *Numidiæ, Mauritaniæ utriusque, Tripolis, & Provinciæ Proconsularis*, omissâ provinciâ Byzacenâ; cuius alia ratio afferri non potest, quam quod hęc Synodica ab Episcopis Byzacenis scripta sit ad aliarum Provinciarũ Episcopos etiam Proconsularis, cuius Metropolitanus tunc temporis erat Aurelius, qui, ut fidem faciunt acta Africana per Auctorem Concilij vulgò Africani, Dionysium Exiguum, Zonaram, & Balzamonem relata, testatus est in Concilio Carthaginiensi 3. litteras fratrum Byzacenorum & Muzonij ad se transmissas, ut ibidem legerentur. Unde sequuntur duo, Aurelium in primis inscriptioni Synodicæ contrà actorum fidem haberi insertum: Synodicam insuper falsò præ se ferre titulum Carthaginiensis Concilij, cum sit Byzaceni, ut rectè animadvertit in notis ad Codicem Africanæ Ecclesiæ Christophorus Iustellus.

6. Secundò, quod ipsa Synodica habeat: *dum in Carthaginiensi urbe conveniremus.* Cum constet ex actis Africanis per Græcos memoratos posteritati consecratis, Synodum hanc habitam fuisse in Byzacio Metropoli civili Provinciæ Byzacenæ, unde Synodica illa ad Carthaginem missa est: τὰ γράμματα τῶν ἀπὸ τοῦ Βυζακίου ἀδελφῶν ἡμῶν. *Litteræ fratrum nostrorum ex Byzacio.* Quæ quamvis non de civitate Byzacij Synod. Byzacena. sed Provinciâ Byzacenâ intelligerentur, adhuc erroneum esset, ipsos in epistolâ scripsisse, se in Carthaginiensi urbe convenisse, ubi ipsimet attestantur in eâdam suâ Synodicâ, Concilium illud Provinciæ Byza-

cenæ fuisse: *hac communi Concilio*, inquiunt. *per universam Provinciam Byzacenam in notitiam cunctis deducenda censuimus.*

7. Tertio, quod Symbolum fidei Nicenæ ibidem adiungatur tanquam Concilij Hipponensis, ad quod jam dudum notatum est à collectoribus, non convenire cum versione latinâ istius Symboli, *præterquam quod nonnulla addita aut adempta liquidò constat.* Ita ex Crabbo Labbeus. Et reverà legitur in hoc Symbolo: *homo factus est per virginem*, quod ultimum, *per virginem*, nec habetur in Græco, nec in ullo latino textu Symboli Nicæni: quibus addo, Symbolum fidei in Hipponensi Concilio referri debuisse occasione D. Augustini, qui ibidem de fide & Symbolo disputavit, cumque ex discursu seu disputatione illâ hucusque extante constet, D. Augustinum coram patribus Hipponensibus non egisse de Symbolo Nicæno sed Apostolorum, verosimile videri, à patribus Hipponensibus Symbolum à D. Augustino expositum actis fuisse insertum.

Labbeus.

8. Quartò, quod ante breviarium Canonum ponatur: *Concilij Hipponensis abbreviationes facta in Concilio Carthaginiensi 3.* cum non solum acta Africana referant, Aurelium in Concilio Carthag. 3. dixisse, sese breviarium Hipponensium Canonum recepisse à fratribus Byzacenis, sed id ipsum testetur Mizonius Byzacij Primas in Synodicâ superius relatâ, ubi scribit: *brevem vero statutorum huic Epistola subdi fecimus.*

Muzonius.

9. Quintò, quod nullus eorum, qui Concilij Hipponensis meminerunt, vel unum ex omnibus titulis (primo de Paschate excepto) agnoverit pro titulis Canonum Hipponensium, quin cuncti potius alios retulerint, qui in breviario illo non reperiuntur. Quatuordecim annis tantum post Concilium Hipponense celebratum fuit Carthaginiense sub Aurelio, qui refert in Hipponensi Concilio statutum fuisse, de Concilio plenario singulis annis per diversas Africæ Provincias habendo, quod nullibi reperitur in breviario Hipponensi. Concilium Carthaginiense 5. affirmat, idem X. Kalend. Septembris pro annuo Concilio statutum in Hipponensi Synodo, prout refertur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ sub tit.73. quod non magis reperitur in breviario quam prius. Et si hæc levia videantur, addo Fulgentij Ferrandi Carthaginiensis Diaconi testimonium, qui dum omnium Africanorum Conciliorum statuta habuit, ex Concilio Hipponiregiensi retulit Canones quatuor, tertium, nimirum, quintum, octavum, & nonum, quos si cum titulis quatuor breviarij Hipponensis Synodi compo-

componas, toto cœlo differre reperies, & non solum tertio, quinto, octavo & nono ibidem relatis non convenire, sed nec inter quadraginta & unum titulos Breviarij Hipponensis reperiri, animadvertes.

10. Sextò, quod in breviario Hipponensis Synodi referantur tituli, quorum Canones statuti sunt in Concilio Carthaginiensi tertio, ut patet ex triginta septem Canonibus, qui inter 40. Breviarij ex Carthaginiensi tertio desumpti sunt, ut notavimus numero Romano ad singulos breviarij titulos. Ratio autem firmatur ex actis Concilij Carthaginiensis tertij relatis ab omnibus, qui collectionem Conciliorum Africæ sub Africani Concilij nomine promulgarunt, quibus testantibus post relectum Hipponensis Concilij breviarium: *Epigonius Episcopus dixit: in hoc breviario, quod decerptum est de Concilio Hipponensi, nihil arbitramur esse emendandum vel assuendum, nisi ut dies sancta pascha tempore Concilij innotescat.* Quo ex Canone habemus, nihil ex statutis Hipponensibus relatum fuisse inter Canones Concilij Carthaginiensis 3. quam illud, quod de paschate tractat: cumque omnes tituli in breviario contenti inveniantur & aucti reperiantur in Concilio Carthaginiensi 3. lucet profectò, titulos illos constituere non Hipponensis Synodi breviarium, sed Carthaginiensis potius tertiæ, in quâ eorum Canones tribus exceptis reperiuntur, ut in margine annotavimus. Epigonius.

Septimò & ultimò, quia Aurelius iterum subscriptus habetur, qui Synodo Byzacenæ non adfuit, eiusque Synodicæ proinde subscribere non potuit, multo minus tanquam Synodicæ Concilij Carthaginiensis tertij, in quo de Emancipatione statutum fuit Canone 14. quem titulum suppostor salvum voluit, & ad pleniorem tractatum reservatum fuisse adiunxit.

11. Neque hæc scribo, ut quidquam Concilij Hipponensis authoritati detraham, aut Synodicam Byzacenam numquam editam fuisse evincam, sed solum, ut demonstrem, vel Synodicam Byzacenam cum subscriptionibus esse interpolatam, vel cum Breviario eidem inserto aliam fuisse, quam post Synodum Carthaginiensem 3. ex Codice S. Bavonis exhibetur. Synodus namque ipsa *habita fuit: Imperatore Theodosio Augusto 3. & Abundantio Viris Cl. Coss. VIII. idus Octobris Hipponeregio in secretario Basilicæ pacis.* Ita auctor Concilij vulgò Africani, Dionysius Exiguus in codice Canonum, & acta Africana in Græcum translata, ac per Joannem Zonaram, Balzamonem, & Aristenum

commentariis illustrata. Fuerunt autem Theodosius & Abundantius Consules anno 393. quibus factum est Hippone Concilium plenarium Africæ, de quo Possidius Calamensis in vitâ Augustini cap. 7. *per idem tempus coram Episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone agebant, de fide & Symbolo presbyter adhuc Augustinus disputabat.* Erant tunc temporis variæ per Africam hæreses seminatæ, & contrà has D. Augustinus adhuc presbyter in Synodo plenariâ totius Africæ de fide & Symbolo disputavit, cuius discursus adhuc extat inter eius opera tomo 3. inscriptus, *de fide & Symbolo*, & incipiens hisce verbis: *quoniam scriptum est & Apostolica disciplina robustissimâ authoritate firmatum, &c.* Quod enim hic idem sit, qui à D. Augustino habitus fuit in Hipponensi Concilio, ipse testatus est Augustinus libro 1. retract. cap. 17. *per idem tempus coram Episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hipponeregio Agebant, de fide & Symbolo presbyter disputavi. Quam disputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissimè instantibus in librum contuli .... hoc opus sic incipit, quoniam scriptum est.* Explicat in eo opere contrà Arianos, Manicheos, aliosque hæreticos Symbolum fidei non ijs verbis, quibus conceptum est in Nicæno Concilio, sed quibus huc usque Symbolum Apostolorum referre consuevit Ecclesia, ut lucidè colligitur ex eodem tractatu extante tomo 3. operum D. Augustini, ubi & idem ad margines notatur.

Possidius.

Augustinus.

12. Nunc ad Canones Hipponenses accedamus, quorum unum fuisse de Paschate, in actis Concilij Carthaginiensis tertij refert Epigonius Episcopus, ut jam sæpius audivimus suprà; sed quotus canon fuerit, non constat, nisi quod reperiatur initiò supposititij Breviarij, & ijsdem ferè verbis in 3. Carthaginiensi Concilio referatur ordine primus: *placuit ergo in principio propter errorem, qui sæpè solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesiâ Carthaginiensi curent accipere.* Hæc juxtà canonem 1. Carthaginiensis 3. & rectius fortè, Quam supposititium Hipponensis Breviarium, quod in utraque editione hunc canonem inchoavit: *placuit etiam.* Ac si alij canones illum præcessissent. Quod si in hoc correctior sit lectio Carthaginiensis Concilij, lectio tamen Breviarij correctior est quoad illa: *omnes Africanæ Provinciæ*, omisso nomine *Episcopi.* Quia addito Episcopi nomine indicatur, solius minoris Africæ seu Proconsularis Provinciæ Episcopos à Carthaginiensi Ecclesiâ debuisse obser-

Canon 1. Hipponens.

observationem diei Paschalis accipere, cum potius omnibus Provinciis Africanis cura illa imposita fuerit.

Quis canon secundus fuerit, ignoratur: tertium habemus ex Breviatione Canonum Fulgentij Ferrandi, qui titulo 54. refert: *ut si quis Episcopus à Synodo fuerit excommunicatus communicare non audeat, & si fecerit, spem restitutionis non habeat. Concil. Antiochen. tit.4. Concil. Hipponiregien. tit.3.* quæ ad expositionem huius canonis spectant, fusius diximus in notis ad sacrum Antiochenum Concilium brævi (ut spero) typis mandandum. Hic solum animadverto, Hipponensem hunc canonem, si cum 3. in Breviario superius relato, cuius titulus est: *ut clerici instructi promoveantur*, componas, utrumque toto cælo differre, & nullatenus idem statuere. Ferrandus. Can.3. Hisp.

13. Quinti Canonis Hipponensis compendium refertur ab eodem Fulgentio Ferrando sub titulo 34. *ut Episcopi sive Presbyteri ea, quæ sunt in locis ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, nisi causas ante reddiderint. Concil. Hipponiregiense tit 5.* pone juxta hunc, titulum 5. breviarij, *Corporibus defunctis Eucharistia non detur*, & judicet æquus lector, num breviarium Hipponense genuinum sit. Addit idem Ferrandus titulo 198. *ut accusator si in loco, ubi est ille, qui accusatur, violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat Concil. Hipponiregiensi tit.5.* ex quo habemus eodem Canone Hipponensi 5. statutum fuisse, accusare licitum Episcopos & sacerdotes, qui ex locis ordinationis suæ bona Ecclesiæ aut propria ante rationem de iis redditam transferunt, & si accusator sibi timeat in loco, ad quem transiit Presbyter ille aut Episcopus, locum sibi proximum eligere posse, ut tuto accusationem prosequatur. Octavus Canon exhibetur per eumdem Ferrandum titulo 35. *ut Episcopi quidquid nomine suo comparaverint, cogantur Ecclesiæ refundere: quidquid autem eis donatur, cui voluerint conferant. Concil. Hipponiregiensi tit.8.* est quædam explicatio Canonis 24. Antiocheni, & nullatenus consonat tit.8. breviarij, quo statutum perhibetur, ut *si Episcopus accusatus ad anniversarium Concilium non venerit, sententiam damnationis suæ tulisse judicetur.* Ferrandus. Can.5. Hisp. Ferrandus. Can.8. Hisp.

Nonus Canon Hipponensis tribus titulis refertur à Ferrando *tit.38. ut Episcopus Matricis non usurpet, quidquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi constitutæ sunt, Concil. Hipponiregien. Tit.9.* & tit.47. *ut Episcopi rem Ecclesiæ sine primatis Consilio non vendant. Concil. Carthag. tit.5. Concil. Hippon. tit.9.* & titulo demum 95. *ut Presbyteri rem Ecclesiæ sine Conscientia Episcopi non vendant. Concil.* Ferrandus. Can 9.

Anquiri-

Anquiritano tit.15. Concil. Hipponiregiensi tit.9. ex quibus constat, Canone 9. Hipponensi statutum fuisse de rebus Ecclesiæ non alienandis, idque vetitum Presbyteris, Episcopis, & Metropolitanis, ut non uno sed tribus locis tradidit Fulgentius Ferrandus, qui ante annos mille centum & quinquaginta breviationem Africanorum Canonum Carthagine in civitate Africanæ regionis principe conscripsit.

14. Quid ultra laudatos Canones statuerit Hipponense Concilium non meminit Ferrandus, alia tamen statuta ibidem edita fuisse, fidem facit celebratum Honorio 7. & Theodosio 2. Coss. Carthaginiense Concilium, cuius acta referuntur à Dionysio Exiguo aliisque Canonum Africanorum collectoribus græcis & latinis: in illo enim Aurelius dixisse perhibetur: *quoniam constitutum fuerat in Concilio Hipponensi, ut singulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium: non tantum hic apud Carthaginem verum etiam per diversas Provincias suo ordine, & hoc reservatum est, ut indiceremus, aliquando in Numidiâ, aliquando in Byzacio.* Addit Concilium Carthaginiense Vincentio & Fravitâ Coss. *dies verò Concilij idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est X. Kal. Septembris.* Ex quo ultimo colligitur, etiam diem plenarij Concilij annuè habendi fuisse determinatum in Concilio Hipponensi, quamvis ignoremus, quo Canone id statutum sit, & an uno vel pluribus.

Aurelius in Concilio Carthagin.

15. Cæterum hæc sunt genuina Hipponensis Concilij acta, quæ reperire potui, suspicatus multo plura latere, cum verissima sit Cæsaris „ Baronij ad an.393. sententia: „ patres ex omnibus Africæ Provin- „ ciis Hipponem advenisse, ut collapsam Disciplinam Ecclesiæ in „ integrum restituerent, quod quidem adeo efficaciter præstiterunt, „ ut cæteræ, quæ postea in Africâ celebratæ sunt Synodi, ex Hip- „ ponensi tamquam Archetypo quodam complura fuerint mutua- „ tæ. „ Eius statuta in Concilio Byzaceno sub Muzonio fuerunt in compendium redacta, & pro innovatione Carthaginem transmissa, ubi anno 397. in Concilio plenario firmari meruerunt sub Aurelio Carthaginiensi Episcopo, post quæ & Concilium Milevitanum anno 402. Arcadio & Honorio August. Coss. dixit, consensum omnium patrum *concordare complacitis decretorum, quæ jam dudum vel in Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita.* De statutis Hipponensibus jam egimus præsenti capite, de Carthaginiensibus agendum sequenti.

Baronius.

Syn. Milevit.

CAPVT

CAPVT VII.

De Concilio Carthaginiensi 3. anno 397. Consulibus Cæsario & Attico. Vna cum scholiis ad præcipuos ex 50. eius Canonibus.

1. *Conciliis duobus prætermissis agitur de Carthaginiensi tertio, cuius præfatio editionis vulgatæ adfertur, uti & alia ex Codice Canonum Africanorum longè correctior.*
2. *Ex correctiori præfatione statuitur de tempore huius Synodi, quod 5 Kalend. Sepembris anno 397. retinendum ducimus: corrigitur Codex Canonum, in quo canon de non navigando sine formatâ præfationi subijcitur, ubi rectius canon de Paschate collocatur.*
3. *Alij 22. Canones attribuuntur in Codice Canonum Africanæ Ecclesiæ huic Synodo Carthaginiensi tertiæ, sed plures illi attribuendos putamus, reiecto fundamento Cardinalis Perronij rationem reddentis, cur in Codice tantum 23. Canones huic Synodo tribuantur.*
4. *Tituli quinquaginta canonum huius Concilij proferuntur omissis integris canonibus ob prolixitatem evitandam, sed additis ad præcipuos Scholiis.*
5. *Canon 2. de Concilio singulis annis habendo exponitur, & Carthaginiensi 3. vindicatur.*
6. *Canon 4. probibet lectoribus, populum salutare, quod fusius exponitur.*
7. *Canon 5. agit de sacramento cathecumenorum etiam per solemnissimos dies non mutando. Sacramentum autem cathecumenorum sal intelligitur, & canon ulterius explicatur.*
8. *Canon 6. agit de Baptismo vel Eucharistiâ mortuis non dandis, & ratio adjungitur cum aliis notatu dignis.*
9. *Canon 11. vetat filiis sacerdotum spectacula, quorum quatuor erant genera. Hacque semper Christianis prohibita fuisse, ex Tertulliano, Cypriano, & Augustino stabilimus.*
10. *Canon 25. agit de oblatione faciendâ* pro Sacramento corporis & sanguinis Domini, *ubi insigne Africanæ Ecclesiæ pro Sacramento Eu-*

charistia testimonium ulterius exponitur, & quâ occasione editum sit, perhibetur.

11. *Canon 26. de primo Sedis Episcopo non vocando principe Sacerdotum, scholio illustratur.*

12. *Canon 27. de tabernâ à clericis non frequentandâ, etiam ethnici imperatoris statuto firmatur.*

13. *Canon 29. de missâ à jejunis celebrandâ latius exponitur, & præclara pro religione nostrâ de sacrificio altaris, & commemoratione defunctorum testimonia in eo contenta suis momentis expenduntur.*

14. *Canon 30. agit de non convivando in Ecclesiâ, quo adipa Ecclesiasticis interdicuntur.*

15. *Canon 31. tractat de pœnitentiâ juxtà peccatorum modum imponendâ, quod pro pœnitentibus publicis Episcopi arbitrio relictum fuisse pluribus ostenditur.*

16. *Canon 38. agens de translationibus Episcoporum mentionem facit Synodi Capuensis, de quâ ulterius inquiritur, & notatu digna adferuntur.*

17. *Canon 47. agit de scripturis Canonicis, & quia canon ad Bonifacium Papam confirmandus transmittitur, putarunt plerique cum Baronio Synodum Carthaginiensem tertiam non statuisse hunc canonem. Verum & hunc & omnes alios 50. Canones esse huius Concilij cum Perronio asseritur, & Iustelli argumento contra præsentem canonem facto respondetur.*

18. *Canones 48. & 50. scholiis illustrantur, & quædam ad tempus & subscriptiones huius Synodi annotantur.*

1. NOn hæreo in Concilio Carthaginiensi Arcadio 3. & Honorio Coss. anno 394. habito sub Aurelio, cuius post Hipponense Concilium meminerunt Farragines Canonum Africanorum Grecæ & latinæ, neque in Concilio Adrumetino, ad quod ex laudato Carthaginiensi Concilio Episcopi legati directi sunt, quod de ijs duobus Conciliis nihil nobis restare videatur: pergo itaque ad Carthaginiense 3. quod dum plura statuit, maiorem difficultatem in tantâ canonum Africanorum confusione viris eruditis reliquit. Extat proemium huius Synodi verbis sequentibus: *Cæsario & Attico viris clarissimis Consulibus, Kalendas Septembris Carthagine in secretario Basilicæ Restitutæ. Cum Aurelius Episcopus unà cum Episcopis consedisset, adstantibus etiam Diaconibus, constituta sunt hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt.*

Vulg. præfatio Synodi.

Sequun-

Sequuntur *Capitula*, ac 1. *placuit ergo in principio propter errorem, qui sæpe solet oboriri ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesiâ Carthaginiensi curent accipere.* Hæc juxta vulgarem huius Synodi editionem, cuius præfatio pluribus verbis concepta est in collectionibus canonum Africanorum tam græcis quam latinis, ex quibus eam subdo, quæ ante mille centum & quinquaginta annos edita fuit à Dionysio Exiguo:

PRÆFATIO.

Cæsario & Attico VV. CC. conss. quinto Kalend. Septemb. Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ cum Aurelius Episcopus una cum Episcopis consedisset: adstantibus etiam Diaconibus, advenientibus quoque Victore Senepuppianense, Tuto Migirpense, Evangelo Assuritano. Præfatio Synodi Carth. 3 edita in Codice Canon.

Aurelius Episcopus dixit: post diem præstitutam Concilij consedimus, ut recordamini fratres beatissimi, & arbitramur omnium Provinciarum per Africam legationes convenisse ad diem, ut dixi, præstitutam nostri tractatus: sed cum sacerdotum nostrorum epistola Byzacenorum fuisset recitata, vel quid mecum ijdem, qui tempus & diem Concilij prævenerant, tractassent, vestræ charitati legeretur; lecta est etiam à fratribus Honorato & Vrbano, qui nobiscum hodiè Concilium participantur legatio Sitifensis Provinciæ destinata. Frater etiam Reginus Ecclesiæ Vegeiselitanæ litteras ad Parvitatem meam datas Crescentiani primæ Sedis, ut ipse insinuat, Numidiarum, & Aurelij Coepiscoporum nostrorum: in quibus scriptis vestra mecum charitas recognoscit promisisse eosdem, quod aut ipsi dignarentur venire, aut ad hoc Concilium fuissent ex more destinaturi legatos: sed hoc quia minimè factum videtur, diu se detineri de longinquo venientes legati Mauritaniæ Sitifensis non posse testantur: & ideo fratres, si vestræ charitati videtur litteræ fratrum nostrorum Byzacenorum, sed & breviarium, quod eidem epistolæ adjunxerunt, ad hunc cœtum conrogatum legantur, ut si quâ forte illic movere charitatis vestræ animum possunt, in eodem Breviario, quæ diligentius fuerint animadversa, in melius reformentur. Hoc enim frater & Coepiscopus noster primæ Sedis, vir perspectus merito suæ gravitatis, atque prudentiæ, Mazonius scribens ad meam parvitatem postulavit. Si ergo placet, quæ tractata sunt legantur, & singula, à vestrâ charitate considerentur.

Quod nihil de Hipponensi Concilio sit emendandum.

Epigonius Episcopus dixit: in hoc Breviario, quod decerptum est de Concilio

cilio Hipponensi, nihil arbitramur esse emandandum, vel assuendum; nisi ut dies Sanctæ Paschæ tempore Concilij innotescat.

2. Hæc collectio Canonum Africanorum & longè correctiora, quam quæ in ipsius Synodi actis referuntur. Dicitur coacta Attico & Cæsario consulibus anno nimirum 397. idque quintò Kalend. Septembris juxta statutum Concilij Hipponensis de celebrando Concilio plenario *X. Kal. Septembris.* Cum enim ad illum diem convocatum fuisset Concilium & nondum omnes Provinciarum legati adessent, Zitifensis Provinciæ legatis paulò post adventantibus, quinto Kalendas Septembris inchoatum est, ut in suâ præfatione indicat Aurelius: unde Concilium vulgò Africanum corrigendum venit, dum Canonem de non navigando sine formatâ Primatis attribuit 6. Kal. Julij, quidquid eminentissimi Cardinales Baronius & Perronius existiment, retinendum potius esse 6. *Kal. Iulij.* Cum enim de die alicuius Synodi disputatur, illud sequi debemus, quod plures & melioris notæ codices testantur: sed acta in primis ipsius Synodi tertiæ Carthaginiensis habent: 5. *Kalendas Septembris.* Et collectio Canonum Africanorum idem confirmat apud Dionysium Exiguum collectorem latinum, & Joannem Zonaram ac Theodorum Balzamonem collectores Græcos, quin imo auctor Concilij vulgò Africani, qui dum convenisse asserit 5. *Kalend. Septembris*, erroneum esse demonstrat, quod postea refert de Episcopis sine formatâ navigare prohibitis 6. *Kalend. Iulias.* Illud enim ipsum statutum, est canon 28. Concilij Carthaginiensis tertij, qui ab auctore Concilij vulgò Africani loco non suo refertur, ut Cardinalis Perronius rectè animadvertit. Cum enim initio Concilij Aurelius proponebat legendum Breviarium Hipponensis Concilij, cunctaque eius statuta recitata essent, statim sequitur in actis Carthaginiensium Synodorum à Dionysio Exiguo, Ioanne Zonarâ, & Theodoro Balzamone relatis: *quod nihil eorum quæ in Hipponensi Synodo acta sunt, sit corrigendum: Epigonius Episcopus dixit, &c.* Inter quem canonem & Aurelij allocutionem, ut rectè Perronius cap. 49. *il ne peut avoir rien d'interposè.*

Cod. Canon.

Perronius.

3. Cæterum, quia auctor Concilij vulgò Africani non illum tantum canonem, qui agit de navigando sine formatâ, sed alias Conciliorum præfationes interposuisset, uti Concilij Carthaginiensis Honorio 4. & Eutychiano Consulibus, & alterius Carthaginiensis post Consulatum Flavij *Stiliconis*, post quæ sequitur definitio Epigonij suprà relata de non mutando aliquid in Breviario Hipponensi, ex eo, inquit Perronius

Perronius cap.48. occasionem sumpsit eminentissimus Cardinalis Baronius minus rectè statuendi tam canonem ab Epigonio statutum, quam 22. sequentes attribuendos Concilio Carthaginiensi post Consulatum Stiliconis celebrato, ubi viginti duos priores constat esse Concilij Carthaginiensis tertij Attico & Cæsario Coss. habiti, quod autem tantum 23. Canones tertij Carthaginiensis referantur in Concilio vulgò Africano aut Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, rationem reddit Perronius, quia auctor Codicis non inseruit canones Carthaginiensis 3. nisi illos, *qui avoient adjousté quelque amplification, ou modification aux Canons du Concile d'Hippone.* Ex quo sequeretur 23. canones Hipponenses renovatos fuisse, & novis additamentis relatos inter canones Carthaginiensis tertij, quod, pace Perronij dixerim, æquè ex suppotititio aut interpolato monimento asseritur. Innititur enim hoc totum Breviario Hipponensis Synodi, quod Synodicæ Byzacenæ adjunctum fuisse putatur, & post hanc Carthaginiensem tertiam refertur ex Codice S. Bavonis, ubi referuntur unus & quadraginta tituli tanquam Hipponensis Concilij, cum sint reverâ Carthaginiensis tertij, in quo ubi relatum fuisset Hipponensis Breviarium, à toto Concilio statutum est: *quod nihil eorum, quæ in Hipponensi Synodo acta sunt, sit corrigendum*, addente Epigonio Bullensis regionis Episcopo: ex omnibus Breviarij titulis nihil emendandum, vel in aliquo assuendum, *nisi ut dies Sancta Pascha tempore Concilij innotescat.* Quod ad canonem Hipponensem additum fuisse in canone primo Carthaginiensis tertij, fidem facit canon eius 41. ubi Aurelius testatur, à Concilio id suprà statutum fuisse: unde evincimus, canonem primum Concilij Carthaginiensis non esse illum, qui in eius actis vulgatis extat, sed qui in collectione tam græcorum quam latinorum Codicum reperitur. Epigonius.

4. Cæterum ne lectorem canonum Carthaginiensium notitiâ frustremus, quinquaginta canonum titulos huic Concilio tributos subjungemus, omissis ob prolixitatem cavendam integris canonibus, sed additis ob maiorem claritatem, ad præcipuos titulos canonibus & scholiis.

Tituli Capitulorum.

1. *Vt comprovinciales Episcopi de Pascha suum inquirant Primatem.*
2. *Vt per singulos annos Concilium fiat.*
3. *Vt Episcopus priusquam ordinetur, Canones agnoscat.*

4. *Vt levitæ & virgines ante 25. annos non consecrentur.*
5. *Vt Sacramentum Cathecumenis non præbeatur.*
6. *Vt baptismus mortuis, vel Eucharistia non detur.*
7. *Vt Episcopus accusatus, ubi, vel infra quod tempus examinetur.*
8. *De presbyteris & Diaconibus, quanti Episcopi eos audiant.*
9. *Vt clerici publica judicia non appellent.*
10. *Si à quoquam ab aliis judicibus Ecclesiasticis ad alios judices & Ecclesiasticos maioris authoritatis provocatum fuerit, non obesse prioribus diversas sententias proferentibus.*
11. *Vt filij clericorum ad spectacula non accedant.*
12. *Vt clericorum matrimoniis infideles non socientur.*
13. *Vt clerici de rebus suis nihil infidelibus conferant.*
14. *Vt clerici filios suos à suâ potestate exire non sinant, nisi ætate & moribus comprobatos.*
15. *Vt clerici non sint conductores vel negotiatores.*
16. *Vt clerici non sint usurarij.*
17. *Vt cum clericis extraneæ fœminæ non cohabitent.*
18. *Vt clerici non ordinentur, nisi omnes, qui cum eis sunt, fideles existant.*
19. *Vt clerici cum ad pubertatem venerint, aut conjugium aut castitatem profiteantur.*
20. *Vt plebes alienas alius Episcopus non usurpet.*
21. *Vt nullus Episcopus alienum clericum audeat retinere vel ordinare.*
22. *Vt nullus clericus ordinetur, nisi fuerit probabilis.*
23. *De precibus & orationibus.*
24. *Vt in sacrificio tantum panis & calix offeratur.*
25. *Ne clerici vel continentes ad viduas vel virgines soli habeant accessum.*
26. *Vt primæ Sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur.*
27. *ut clerici tabernas non ingrediantur.*
28. *Vt Episcopus sine formatâ Metropolitani longius non proficiscatur.*
29. *Vt missa à jejunis celebretur.*
30. *Vt nullus in Ecclesiâ convivetur.*
31. *Vt pœnitentibus juxtà peccatorum modum pœnitentia detur.*
32. *Vt presbyter præter jussa vel absentiam Episcopi non reconciliet pœnitentes.*
33. *De custodiâ sacrarum virginum.*
34. *De baptizandis ægrotis, qui jam loqui non possunt.*
35. *Ne Apostatis vel histrionibus conversis pœnitentia negetur.*

36. *Vt presbyter Chrisma non conficiat.*
37. *Vt clerici sine necessitate in alienâ civitate non immorentur.*
38. *Vt non liceat fieri translationes Episcoporum.*
39. *Vt non præsumant duo Episcopi ordinare Pontificem.*
40. *Vt dum Episcopus eligitur, si contradictores habeat, quinque sacerdotes conveniant.*
41. *Vt per singulos annos convenientes Episcopi ad Concilium, etiam de Paschali solemnitate à Primate suo informentur.*
42. *Vt non accipiat alium Episcopum plebs, quæ in Diœcesi semper subjacuit.*
43. *Vt qui, plebe suâ contemptâ, ad Concilium venire detractant, & plebem, & honorem amittant.*
44. *Vt clericum alienum nullus sibi præsumat Episcopus ordinare.*
45. *Vt Episcopus, qui plures habet clericos, ei, qui eget, ad ordinandum postulatus, largiatur.*
46. *Vt Episcopus in Diœcesi factus, solum eam plebem teneat, in quâ extitit ordinatus.*
47. *Vt præter scripturas canonicas nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine divinarum scripturarum.*
48. *De Baptizandis Donatistis.*
49. *Vt ea, quæ quis in Ecclesiastico positus gradu acquisivit, Ecclesiæ conferantur.*
50. *Vt gesta Concilij Episcoporum subscriptionibus confirmentur.*

Scholia in Canones

5. *Vt per singulos annos Concilium fiat.* Licet exscriptores primum de Paschatis die Canonem à Concilio Hipponensi mutuarunt, & Carthaginiensia Concilia duo testentur, in Hipponensi Synodo actum fuisse de celebrando singulis annis Concilio, non obinde tamen credendum, hunc Canonem secundum pariter ut primum esse Concilij Hipponensis. Hipponense enim statuerat de plenario Concilio singulis annis in diversâ Africæ Provincia celebrando, hoc Carthaginiense verò tantum statuit Canone 2. omnes Provincias, quæ Primates habent, ad annuum Concilium ternos legatos mittere debere exceptâ Tripoli, ex quâ, cum quinque tantum in eâ essent Episcopi, unius legatio sufficeret. Unde Canon hic & sequentes omnes, non sunt Hipponensis, sed Carthaginiensis Concilij. Canon 2.

6. Vt

Canon. 4. 6. *Vt levitæ, & virgines ante 25. annos non consecrentur.* Additur in ipsomet Canone, *& ut lectores populum non salutent.* Quod ut rectè intelligatur, notandus locus S. Optati lib.3. ubi scribit tractatum S. Optatus. Episcopalem, seu sermonem ab Episcopo haberi cum *geminatâ salutatione. Non enim aliquid incipit Episcopus ad populum dicere, nisi primum in nomine domini populum salutaverit.* Sicut autem Episcopi in suis tractatibus, ita lectores in suis lectionibus volebant populum Albaspineus. salutare, quod Gabriel Albaspineus ulterius exponit ad hunc Canonem Concilij Carthaginiensis 3. ubi veterem morem invaluisse scribit, ut non Diaconi sed lectores epistolas & evangelia in solemni missæ sacrificio pronuntiarent, ut probat ex Cypriano epist.5. lib.2. edit. Concil.Toletan. Antiq. Et Canone 8. Carth.4. & Toletano 1. can.2. *vel inter lectores ita ut Evangelia & Apostolum non legat.* Antequam autem evangelij pronuntiandi initium faceret olim lector, elatâ voce proferebat, *Pax vobis*, perinde atque hodierno die Diaconus dicit: *dominus vobiscum.* Quià verò antiqui patres hanc ceremoniam vocabant divinam salutationem, quam Episcopis competere tradidit S. Optatus, patribus Hipponensibus visum est, ne amplius, *pax vobis*, usurpent, seu Innocent. 1. quod idem est, populum salutent. Innocentius epist 86. in fine: *non licet presbyteris coram Episcopo populum benedicere aut salutare.* Ex quo loco constat, id etiam presbyteris ereptum fuisse, neque hodie presbyteri, sed Episcopi dumtaxat & Abbates salutant populum cum istis verbis, pax vobis.

Canon 5. 7. Titulus Canonis 5. agit de non dando Sacramento cathecumenis, & Canon ipse in vulgatâ editione huius Synodi habet: *item placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Cathecumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Cathecumenis oportet mutari.* Extat iisdem fermè verbis in breviario Hipponensi edito per Quesnellium suprâ cap.3. in libro tamen septimo capitularium Caroli magni nu-* Solemnissimos. mero 190. canon ille parum aliter conceptus habetur: *ut per * solemnitates nisi mos Paschales dies Sacramentum Cathecumenis non detur, nec eis qui à liminibus Ecclesiæ sunt exclusi, neque eis ante canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, sed tantum benedictum sal à sacerdotibus pro communione tribuatur. Et quia fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catheckmenos vel publicè pœnitentes oportet mutare.* Quid autem per hæc innuatur, pluribus disputat in notis ad hunc Canonem Gabriel Albaspineus, cuius hæc est sententia: cum

cum olim fideles offerrent panem, vinum, lac, mel, sal, & oleum, ex quibus quædam in corpus & sanguinem Christi consecrabantur, ut panis & vinum, alia in Eulogias, ut reliquiæ panis, quæ benedictæ porrigebantur fidelibus in signum communionis, alia demum in *Sacramenta Cathecumenorum*, ut vocant D. Innocentius & S. Augustinus, qualia erant mel, lac, & præcipuè sal, quo cathecumeni initiabantur, & quod ipsis benedictum dari solebat, ut eo refecti paulatim „ ad eucharistiæ fidem erigerentur. „ Volunt igitur Patres, inquit „ Albaspineus, præter salis solitum Sacramentum nihil aliud per „ illos octo solemnissimos paschales dies cathecumenis dari, quod „ scilicet illis diebus mel aut lac non offerretur à fidelibus, sed solum „ panis & vinum: sal autem reservatum ex aliis anterioribus obla- „ tionibus tunc dabatur. „ Hæc ferè Albaspinens. Theodulphus Aurelianensis Episcopus in libello de ordine Baptismi publicato per Hugonem Menardum in Sacramentario Gregorij magni scribit numero 5. *& idcircò hi, qui Baptizandi sunt, salem in Sacramento accipiunt.* Ad quæ verba notat Hugo Menardus, agi ibi de sale, cathecumenorum Sacramento, de quo D. Augustinus lib. 1. confessionum cap. 11. quod parvulus audierat de fide in Christum, *& signabar*, inquit, *jam signo crucis, & condiebar eius sale.* Addit Hugo Menardus „ canonem Concilij Carthagin. suprà, & annotat, „ ex Concilio „ supracitato unicum erat cathecumenorum Sacramentum nempe sal, „ quod numqam mutari debet, neque per solemnissimos Paschales „ dies, quia fideles, id est baptizati, per dies illos non mutant Sacra- „ mentum, neque hoc Concilio panis benedictus prohibitus est ca- „ thecumenis, sed ne mutetur eorum Sacramentum etiam per dies „ Paschales, quia etiam his diebus baptizati non mutant. „ Hæc interpretatio Hugonis Menardi: cui consonat Cardinal. Bona libro 1. rerum liturgicarum cap. 16. num. 3. qui mutationem salis in panem benedictum prohibitam scribit, & forsan rectius quam Albaspineus de mutatione salis in mellis aut lactis Sacramentum, quod mel & lac dari consueverit jam baptizatis, ut testis est Tertullianus, qui ubi trinam immersionem descripsisset libro de Coronâ militis. *Inde*, inquit, *suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus.* Et sic intelliges, quid velit canon 40. farraginis grecæ: *primitiæ autem, sive mel sive lac, ex more offerantur uno die consueto ad infantium mysterium.*

Innocent. 1. — Albaspineus. — Gregor. M. — Augustin. — Hugo Menard. — Tertullian. — Cod. græcus.

8. *Vt baptismus mortuis vel Eucharistia non detur.* canon incipit in Concilio Carthaginiensi 3. *Item placuit ut Corporibus defunctorum Eu-* — Canon 6.

charistia non detur. Dictum est enim à Domino: accipite & edite: cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Ratio in canone allata convincens est, & longè superat illam, quâ alij moti pœnitentes, ne sine communione decederent, post obitum communicabant credendo piâ simplicitate, ipsos Ecclesiæ eâ communione conciliari. Cæterum non Eucharistiam tantum sed & baptismum quoque mortuis aliqui simpliciores conferebant, de quo pergit canon: *cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, cum Eucharistiam mortuis non dari animadverterit.* Canon 4. Hipponensi Synodo tributus ex

Quesnel. Codice M. S. Oxoniensi legit: *cum Eucharistiam dari mortuis animadverterit.* Et utraque lectio „ (inquit Quesnellius in scholio) sensum habet non ineptum. Poterant enim rudiores Christiani, qui „ Eucharistiam mortuis non baptizatis, *non dari* animadvertebant, „ hoc ita fieri existimare propter defectum baptismatis, & inde baptizari eos posse, ut post baptismatis consecrationem, Eucharistiæ „ quoque munere donarentur. Poterant, & qui *dari* videbant Eucharistiam mortuis, inde in hunc errorem labi, posse etiam eos baptizari, qui sine baptismatis gratiâ decessissent. „ Et hoc posterius magis probat, uti & lectionem ei respondentem omissâ particulâ negativâ: *non.*

Canon 11. 9. *Vt filij Clericorum ad spectacula non accedant.* canon extans in Concilio Carthaginiensi 3. *Vt filij Episcoporum vel clericorum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec spectent, quandoquidem à spectaculo & omnes laici probibeantur. Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant.* Cum Ecclesia nondum Imperatores numeraret inter filios suos, quatuor genera spectaculorum erant in usu, circus, ubi cursus equorum & quadrigarum; theatrum, ubi scenicæ voluptates; agon, ubi agonales; & munus, ubi homines pugnabant cum bestiis: de quibus ubi quidam apud Tertul-

Tertullian. lianum dixissent, non ita apertè definitum esse: *non in circum ibis, non in theatrum, agonem, munus non spectabis*: reposuit libro de spectaculis hanc Davidicam vocem: *felix qui non abiit in Concilium impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in Cathedrâ pestium non sedit.* Ex quo concludit à contrario: infelicem, *qui in quodcumque Concilium impiorum abierit*, quale existimat omne spectaculorum genus à gentilibus exhibitum, quod integro de spectaculis libro tanquam idololatriam execratur. Idem Tertullianum subsecutus D. Cyprianus

Cyprianus. Carthaginiensis Episcopus exclamans libro suo de spectaculis, *hac omnia*

nia inventa dæmoniorum esse, quod ipsum in libris de Civitate Dei sæpius urget D. Augustinus, à Patribus edoctus, semper Christianis omnibus spectacula fuisse interdicta. Cæterum agit specialiter de filiis Episcoporum & clericorum, quod Ecclesia, ut rectè vir eruditus Christianus Lupus in can.24. Trullanum, semper in illos maiorem sibi authoritatem attribuerit. Quod autem canon dicat: *spectacula non exhibeant*, rationem dat Ioannes Zonaras in can.15. feriaginta Græcæ, quod equi & bestiæ ad spectacula alebantur in quodam loco, cui civis aliquis præfici solebat: *rerum igitur huiusmodi curatores esse sacerdotum filios, hic canon vetat.* Lupus. Zonaras.

10. *Vt in sacrificio tantum panis & calix offeratur.* Canon verò: *ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquâ mixtum. Nec amplius in sacrificiis offeratur quam de uvis & frumentis.* Egregium sanè Africanæ Ecclesiæ pro veritate Eucharisticâ testimonium: loquitur canon de oblatione in ipsomet sacrificio à sacerdote faciendâ, cui aliud vetat offerre & consecrare, quam *panis & vinum aquâ mixtum*, quæ consecratione fiunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini. Loquitur etiam de oblatione fidelium, qui ad sacram Synaxim convenientes panem & vinum secum adferre consueverant, quæ sacrificij pars dicuntur à Sirmondo, quod ea per sacerdotem consecrata postea sumerent, unde Tertullianus lib. de exhortatione Castitatis cap.7. omnes sacerdotes esse dixit, & non quod omnes potestatem consecrandi haberent, ut anonymus quidam perperam explicavit egregiè à Petavio confutatus diatribâ de potestate consecrandi. Et illis iubetur, nil *amplius in sacrificiis offerre quam de uvis & frumentis*, quæ verba desunt in vetustis quibusdam Codicibus, ubi illorum locò post *aqua mixtum*, legitur sicut can.23. Breviarij Hipponensis suprà: *primitia vero seu mel & lac, quod uno die solemnißimo pro infantis mysterio solet offerri, quamvis in altari offeratur, suam tamen habent propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis aut sanguinis distinguantur, nec amplius de primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis.* Quo ex canone colligimus rationem statuti: cum enim mel & lac semel tantum in anno in die Paschalis festivitatis offerri solebat, quo solemne baptisma celebrari, & egressis è sacro fonte mel & lac dari consueverat, ut annotat Cardin. Bona libro 2. cap.8. & cum aliqui illud offerendum presbytero afferrent unâ cum pane & vino, occurrit canon Carthaginiensis: in sacrificio tantum offerendum panem & vinum, primitias frugum vero, Canon 25. Canon 24.

lac, mel, ac similia certo die offerenda, sed propriis orationibus benedici, ut *à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur.*

Canon 26. 11. *Vt prima Sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur.* Canon verò est. *Vt prima Sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ Sedis Episcopus.* Olim Episcopos in Africâ vocatos fuisse summos sacerdotes, colligere licet ex Tertulliano lib. de Baptismo: *Summus sacerdos, qui est Episcopus.* Eos quoque principes sacerdotum dictos, attestatur S. Optatus Milevitanus libro 1. contrà Parmenianum: *ipsi apices & principes omnium Episcopi.* Unde Donatistæ in collatione 3. diei (cuius Breviculum refertur ab Augustino) objiciunt Catholicis, quod Cæcilianus Carthaginiensis Episcopus in suâ ordinatione non exspectaverit adventum Secundi Numidiæ Primatis, *ut princeps à principe ordinaretur.* Hæc de Metropolitanis aut eorum loco constitutis Episcopis, de quibus ad supprimendam omnium titulorum ambitionem, Patres Carthaginienses vetarunt: Episcopum primæ Sedis nominari principem sacerdotum. Unde etiam factum est, Metropolitanos Africæ solum vocatos fuisse primæ Sedis Episcopos, seu Primates.

Tertullian. S. Optatus. Augustin. in Brevicul.

Canon 27. 12. *Vt clerici tabernas non ingrediantur.* Canon verò: *Vt clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate impulsi.* Statutum vere aureum, quod utinam observaret clerus nostri temporis, qui si canone Africanæ Ecclesiæ non trahatur ad observantiam regulæ, vel ethnici imperatoris monitu perfundatur rubore, qui epistolâ ad Ursacium sacerdotem Galatiæ, *Sacerdotem*, inquit, *hortare, ne accedat ad spectacula, neve in tabernâ bibat.* Carolus magnus Ecclesiæ disciplinam in Galliis & occidente restauraturus libro 1. capitulo 14. de monachis & clericis renovandum ducit, quod *in Concilio Laodicensi, nec non in Africano præcipitur, ut Monachi vel clerici tabernas non ingrediantur, edendi vel bibendi causâ.* Utinam; utinam; clerici quidam nostro tempore non indigerent simili renovatorio decreto.

Iulian. Imp.

Canon 29. 13. *Vt missa à Iejunis celebretur.* Canon vero huic titulo respondens est vigesimus nonus Carthaginiensis tertij: *ut Sacramenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, * a excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore * b defunctorum, sive Episcoporum, seu clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam*

* c *pransi*

* c *pransi inveniantur.* Thesaurus antiquitatis latet hoc in canone pro Catholicâ religione. Ac primò quidem communionem non nisi à jejunis celebrandam, quod ab Apostolicâ Ecclesiâ Africa cum fide mutuavit, unde Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. *non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes.* Ante omnem cibum, inquit, seu jejuna. Clarius Cyprianus epistolâ 63. ad Cæcilium, ubi sibi objicit: *non manè sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergò Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Ac reponit: *Christum offerre oportebat circà vesperam diei, ut horâ ipsâ sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi .... nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.* Non post cœnam, sed manè ante cibum, sacrificium offerri consuevisse, docet Cyprianus, quam consuetudinem universalis Ecclesiæ fuisse testatur epistolâ 118. D. Augustinus: *in universâ Ecclesiâ*, inquit, *à jejunis semper accipitur. Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Tertullian. Cyprianus. S. Augustin.

* a *Excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.* Quæsierat à D. Augustino Ianuarius, *quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Pascha fieri debeat, an offerendum sit mane, & rursus post cœnam, propter illud quod dictum est: similiter postquam cœnatum est? an jejunandum, & post cœnam tantummodo offerendum? an etiam jejunandum, & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum?* Ac respondet Augustinus: cum nec in sacrâ scripturâ quæstiones illæ resolvantur, nec tota per Orbem Ecclesia in more aut consuetudine concordet, sed istius generis sint, quæ per loca regionesque variantur, *faciat*, inquit, *quisque, quod in eâ Ecclesiâ, in quam venit, invenerit.* Et infrà: *nonnullos probabilis quadam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguis Domini.* Agit hic D. Augustinus de Afris, qui juxtà canonem suprà citatum, die cœnæ post cibum communicabant, cui D. Augustinus attestatur, se nolle contradicere: *sed nulli etiam contradicere audemus.* Ianuarius. Augustinus.

* b. *Defunctorum.* De orationibus pro defunctis agunt patres Africani, testimonium, quo præclarius desiderari non potest contrà hæreticos nostri temporis. cæterum addunt *Episcoporum* sive *clericorum*, quod illi pomeridiano tempore sepeliri consueverant, ut etiam nunc mos est in Ecclesiâ.

 * c. *Pransi*

* c. *Pransi inveniantur.* Lucet ex hoc loco, etiam pomeridiana sacrificia in usu fuisse per Africanam Ecclesiam, ut docuit Card. Bona lib. 1. rerum liturg. Cap. 21. § 3. cæterum offerri non poterant nisi à jeiunis, unde si pransi non fuissent sacerdotes etiam pomeridiano tempore Sacramenta corporis & sanguinis domini in altari offerre poterant pro defunctis. Eant jam calvinistæ, & novatores omnes, ac Ecclesiam nostram de missâ pro defunctis novitatis arguant, ubi Ecclesiam Africanam canone sæpius firmato ante mille ducentos & octoginta annos id tradidisse conspiciant, quod Catholici sacerdotes in Ecclesiâ nunc temporis celebrant.

Canon 30. 14. *Vt nullus in Ecclesiâ convivetur.* Canon verò: *ut nulli Episcopi vel clerici in Ecclesiâ conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiusmodi conviviis, quantum fieri potest, probibeantur.* Cum Felix curator sub Diocletiano ingressus

Acta Felicis. esset domum, in quâ Christiani conveniebant, *cum apertum esset triclinium*, inquiunt gesta Cæciliani & Felicis, *inventa sunt ibi dolia 4. & orca sex.* Quod nimirum Ecclesia Cirthensis, more tunc temporis recepto, etiam locum haberet, in quem Christiani simul conveniebant, & Agapes celebrabant. Sæpius id in Ecclesiâ fiebat, commedentibus simul cum Episcopo clericis, & cunctis fidelibus, quem morem pro clero aufert canon Carthaginiensis, posteaque sublatum etiam pro populo videbimus infrà.

Canon 31. 15. *Vt pœnitentibus juxta peccatorum modum pœnitentia detur.* Canon verò: *ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentia tempora decernantur.* Mirè confirmat canon antiquum Ecclesiæ morem de pœnitentiâ publicâ: cum quisquam peccata sua confessus erat sacerdoti ad id constituto, & inter peccata aliqua essent, pro quibus publica pœnitentia erat agenda, non poterat sacerdos ille publicæ pœnitentiæ tempus statuere, sed ad Episcopum debebat accedere, illique gravitatem peccati exponere, qui secundum peccatorum differentiam decernebat, quanto tempore pœnitens in unoquoque gradu manere deberet flendo delicta, & consuetis doloris signis emendationem vitæ promittendo. Nondum constituti videbantur hoc tempore omnes canones pœnitentiales, quibus juxtà gravitatem delictorum imponebantur diuturniora pœnitentiæ tempora, sed id ipsum Episcopi arbitrio committebatur, qui primis Ecclesiæ sæculis pœnitentium curam in se suscipiebat, ut indicat quoque canon

Canon 32. sequens ordine 32. *ut presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem.*

tentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente. Ad quæ verba Gabriel Albaspineus annotat: in toto pœnitentiæ cursu per quatuor gradus distincto præter crebras manuum impositiones, quibus acceptis dimittebantur cum cathecumenis, fuisse duas absolutiones, aut duplex reconciliationis genus, minus nimirum, quod in fine tertij gradus, & maius quod in fine quarti concedebatur. Cumque maior reconciliatio, quâ in publicâ missâ ad finem quarti gradus pœnitentes communioni & Sacramentis altaris restituebantur, numquam fiebat à presbyteris, putat Albaspineus intelligendum de minori reconciliatione, quæ in fine tertij gradus absente Episcopo, & necessitate cogente à presbyteris fieri poterat, quod etiam ista ab Episcopi directione penderet. Albaspineus.

16. *Vt non liceat fieri translationes Episcoporum.* Canon verò: *illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenariâ Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villaregiensis Episcopus, plebe suâ derelictâ, Tubuniensem invasit Ecclesiam &c.* Codex aliquis legebat, *Capsensi*, sed retinenda lectio *Capuensi*, quam etiam habet Dionysius Exiguus sub tit. 48. & Ferrago græca apud Zonaram & Balzamonem *ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐν Καπούῃ in Synodo Capua.* Habita fuit ista Synodus tempore Siricij Papæ, illique adfuit D. Ambrosius, qui una cum Episcopis transmarinis compluribus, ut colligere licet ex datâ ipsius ad Siricium Papam epistolâ, adeoque cum Episcopis quoque Afris contrà Donatistas, & Arianos decreverat, illicitas esse *rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum.* Attulerant secum Episcopi Afri hæc Synodi Capuensis decreta, ut Donatistarum tunc latè in Africâ dominantium erroribus obviarent, cumque Cresconius Mauritaniæ Sitifensis Episcopus in ultimum de translationibus impegisset, Honoratus & Urbanus eiusdem Provinciæ legati hac occasione statutum Capuensis Synodi citarunt, & contrà Cresconium obedire reluctantem brachium sæculare interpellari posse, à Concilio Carthaginiensi tertio obtinuerunt. Canon 38. Can. Synod. Capuens.

17. *Vt præter scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum.* Enumerantur omnes sacræ scripturæ libri Canonici, & additur: *hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat; quia à patribus ista accepimus in Ecclesiâ legenda. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarij dies eorum celebrantur.* Et Canon 47.

ex hocce canone permotum credo Christophorum Iustellum in præfa-
Iustellus. ,, tione ad Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi: ,, falluntur, ,, qui huic Concilio ascribunt quinquaginta canones, quorum 21. tan- ,, tum ad illud pertinere reperiuntur: reliqui vero ferè omnes ascri- ,, bendi sunt Concilio Carthaginiensi, quod 22. post annis an. Domi- ,, ni 419. tempore Bonifacij P. R. habitum fuisse verba canonis 47. ,, evidenter arguunt. ,, Eodem ex fundamento motus Baronius,
Baronius. quia in hoc Canone Bonifacij Papæ mentio fit, Canonem Carthaginiensi sub Bonifacio Concilio tribuit, & addit in notis Binnius:
Binnius. *verissimum itaque est, quod suprà notavimus, hâc Synodo canones aliarum plurium Synodorum coagmentatos fuisse.* Verum his omnibus jam dudum respondit Eminentissimus Cardinalis Perronius cap. 38. contrà Angliæ Regem, cuius sententiam in notis suis ad Baronium laudat
Spondanus. ,, Apamearum Episcopus Henricus Spondanus, ubi: ,, omnes il- ,, los 50. Canones verè conditos fuisse (in Carthagin. 3.) egregiè de- ,, monstrat, & vitium collectoris in exprimendo nomine Bonifacij ,, Papæ in canone de libris canonicis aperit. ,, Rationes Perronij non repeto, contrà quæ multa habeo, quæ meritò opponerentur: hoc solum addo, primam Iustelli rationem de omisso hoc canone inter unum & viginti canones ex tertiâ Carthaginiensi Synodo in Ferragine latinâ & græcâ, non subsistere, quod omnium eorum, qui canones Africanos in compendium redegerunt, primus sit Ferrandus
Ferrandus. Carthaginiensis Diaconus, qui tit. 228. refert: *ut præter scripturas canonicas nihil in Ecclesiâ legatur Concil. Laodic. tit. 57. Concil. Carthagin. tit. 45.* Et titulo sequenti 229. addat: *ut liceat passiones Martyrum legere in natalibus eorum Concil. Carthagin. tit. 46.* quibus citationibus non respicit ad Concilium Carthaginiense 3. ubi tit. 47. duo illa simul constituta reperiuntur, sed ad Concilium vulgò Africanum, seu collectionem Canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi canone 46. in hunc
Canon 46. Codicis. usque diem legimus: *liceat etiam legi passiones Martyrum*, cum anniversarij dies eorum celebrantur. Ubi notanda particula *etiam*, quæ alia quædam respicit in Ecclesiâ legi permissa, nec ulla alia sunt quam scripturæ canonicæ, ut canone 47. Concilio Carthaginiensis 3. perhibetur, & clarius canone 36. Breviarij Hipponensis, ubi post scripturas canonicas passiones Martyrum unico canone referuntur. Aliter illa in Codice Canonum Ecclesię Africanę disposita erant ante Ferrandum Carthaginiensem Diaconum, ut quæ de scripturis canonicis statuta erant, sub titul. 45. & quæ de passionibus Martyrum adduntur, sub tit. 46.

tit.46. essent collocata. Ex quibus constat, Dionysium Exiguum ordinem mutasse, dum omisso de scripturis canonicis statuto solum titulum 46. de passionibus Martyrum retulit, cuius collectio subindè in græcum translata solum titulum 46. suo loco retinuit. Unde ex eo quod titulus de scripturis canonicis in Ferragine tam græcâ quam latinâ non inveniatur, nullatenus concludi potest, canonem illa de re statutum non esse Carthaginiensis 3. sed potius econtrà statui debeat, cum constet fuisse omissum. Quod si autem illi canoni in Concilio Carthaginiensi 3. additum fuit, ut de eo confirmando transmarina Ecclesia consuleretur, non *Bonifacio* sed *Siricio* legendum esset, idipsum innuente sequenti canone 48. ubi Siricij Papæ facta est mentio.

18. *De Baptizandis à Donatistis.* Agit Canon de pueris, qui cum apud Donatistas baptizati erant, jam evectioris ætatis ad fidem conversi promoveri petunt ad clerum. Et *de Donatistis*, uti habetur in Canone, *placuit, ut consulamus fratres & consacerdotes nostrum Siricium & Simplicianum.* Cumq; Siricium Papam, & Simplicium Mediolanensem tantum simul Episcopos fuisse constet sub consulatu Attici & Cæsarij, collegit ex hoc canone Perronius illis Consulibus Concilium Carthaginiense 3. celebratum fuisse, & nos adiungimus, Bonifacij nomen in superioris canonis textum irrepsisse, & substituendum eius loco Siricij, sub quo verè Concilium Carthaginiense 3. celebratum fuit. Canon 48.

Canone 50. & ultimo huius Synodi enumerantur aliqui, qui eidem subscripserunt: *& subscripserunt Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi & relecto subscripsi. Epigonius Episcopus Bullensis regionis subscripsi. Augustinus Episcopus plebis Hipponaregiensis subscripsi. Similiter & omnes Episcopi quadraginta quatuor numero, subscripserunt.* Quibus ex verbis habemus D. Augustinum anno 397. fuisse Hipponensem Episcopum, illumque adfuisse huic Synodo tamquam Byzacenæ Provinciæ legatum: Celebratum enim fuit per legatos Provinciarum cum Aurelio Carthaginiensi & aliis Proconsularis Provinciæ usque ad 44. Episcopis. Canon 50.

CAPUT VIII.

De Concilio Carthaginiensi 4. anno 398. Honorio 4. & Eutychiano Coss.

1. *Concilium Carthaginiense 4. ex duobus M.SS. Codicibus à Crabbo editum, cuius præfatio una cum titulis Canonum hic eduntur.*
2. *Quæstio movetur à Iustello de genuitate Canonum Concilio Carthaginiensi tertio tributorum, eiusque fundamentum.*
3. *De genuitate non dubitavit Baronius, quem secutus Perronius varia pro genuitate canonum argumenta profert, quorum unum de omissu in collectione canonum Africanorum hisce statutis ulterius exponitur, & novâ ratione firmatur.*
4. *Nec soli canones ad sacros ordinationes spectantes, sed alios quoque ex 104. ad hanc Synodum spectare, suadetur ex eo, quod pleraque canonum statuta conveniant statui Africanæ tunc temporis Ecclesiæ. Firmatur id ex canone 1. contrà hæreses tunc in Africâ grassantes constituto, & si quod dubium moveri posit de hæresi Pelagianâ, id etiam exponitur, & non obstare monstratur.*
5. *Secundo firmatur id ipsum ex canone 20. jubente Episcopis, verbi Dei prædicationi vacare. In Africâ enim soli Episcopi tractatus habebant ad populos, & non nisi Valerij temporibus introductum est, sacerdotes præsente Episcopo conciones dixisse. Adfertur testimonium Posidij, quod ex loco Augustini firmatur.*
6. *Ex dictis suprà exponitur canon 24. de excommunicatione latâ in eos, qui durante tractatu de auditorio exeunt.*
7. *Titulus canonis 43. agit de persecutionibus infidelium, canon tamen ipse ne quidem agit de persecutionibus infidelium. Agit de tribulationibus Catholicorum, quod tempori congruit, cum Circumcelliones huius Synodi temporibus per Africam grassantes Catholicos ubique affligerent, ut ex S. Optato, & D. Augustino probatur.*
8. *Canon 44. prohibet clericu comam nutrire, nec vetat barbam radere, quod gracisimum saperet. Canon constitutus est contrà quosdam Monachos, qui criniti incedebant, ut curiosè ex D. Augustino eruitur: quamobrem verò in canone non Monachorum sed clericorum mentio fa-*

ctA

cta sit, ulterius inquiritur, & ratio à Baronio allatâ novâ considera-tione firmatur.

9. *Canon 51. statuit clericos etiam artificio victum quærere, quod contrà Monachos ex scholâ Euchitarum & Massilianorum erumpentes statutum fuit, contrà quos etiam librum conscripsit D. Augustinus. Statuti hâc de re canones tres indicant, non omnes 104. canones eiusdem esse Concilij.*

10. *Canones sexagesimus primus, sexagesimus octavus, & septuagesimus contrà Donatistas statuti sunt, quibuscum alij canones tempori huius Synodi congruunt, ut, si statuta huic Synodo adscripta, eiusdem non essent, antiqua tamen forent.*

1. Concilium hoc habemus editum à Petro Crabbo ex duobus Codicibus M. S. S. quorum unus spectabat ad cœnobium Gemblacense, & alius ad monasterium S. Bavonis Flandriæ civitatis, idque cum sequenti præfatione.

Statuta Ecclesiæ Antiqua.

Augusto Honorio 4. & Eutychiano Consulibus, sexto idus Novembris, cum Aurelius Episcopus in Concilio universali Carthagine in secretario cum omnibus consacerdotibus suis consedisset, placuit cum eo cunctis, qui fuerunt in eâdem sanctâ Synodo constituere hæc, quæ ad ordines Ecclesiasticos Canonicis sunt necessaria disciplinis. Ibi in principio constitutum est, qualis ordinari debeat Episcopus.

Tituli Capitulorum.

1. *Qualiter debant Episcopi ordinari.*
2. *Qualiter consecrentur Episcopi.*
3. *Qualiter presbyteri ordinentur.*
4. *Quemadmodum Diacones constituantur.*
5. *Quemadmodum Subdiaconi ordinentur.*
6. *Quemadmodum Acolythi ordinentur.*
7. *Qualiter exorcistæ constituantur.*
8. *Qualiter lectores fiant.*
9. *Qualiter ostiarij ordinentur.*
10. *Qualiter Psalmistæ.*
11. *Qualiter virgines sanctimoniales.*
12. *Qualiter viduæ vel sanctimoniales ad baptisterium ordinentur.*

13. *Qualiter sponsi & sponsa benedicentur.*
14. *De cellulâ sacerdotis.*
15. *De victu & habitu sacerdotis.*
16. *Vt Episcopus libros gentilium non legat.*
17. *Vt Episcopus indigentium curam per presbyteros & Diacones agat.*
18. *Vt Episcopus testamentorum tuitionem non suscipiat.*
19. *Vt Episcopi pro rebus sæcularibus non litigent.*
20. *Vt Episcopus tantum divinis vacet.*
21. *Vt Episcopus ægrotans pro se legatum ad Synodum mittat.*
22. *Vt Episcopus sine testimonio clericorum & plebis clericos non instituat.*
23. *Vt Episcopus causas, clericis præsentibus, audiat.*
24. *Vt quando Episcopus verbum facit, nullus discedat.*
25. *De discordantibus Episcopis.*
26. *Vt Episcopus dissidentes concordare compellat.*
27. *De Episcopo vel clerico in alio loco non transferendo.*
28. *De damnatione Episcorum à Synodo tractandâ.*
29. *De Episcopo, qui alicui crimen obiecerit.*
30. *Quod irrita sit sententia Episcoporum in absentem.*
31. *Qualiter res Ecclesiæ ab Episcopo habeantur.*
32. *De irritis distractionibus Episcoporum.*
33. *De Episcopis vel Presbyteris, ut à cuiuscumque Ecclesiâ in ordine suo recipiantur.*
34. *De primatu consessus Presbyterorum cum Episcopo.*
35. *De consessu Presbyterorum in Ecclesiâ cum Episcopo.*
36. *Vt Presbyteri Parochiani aut per se, aut per alios, qui sacra tractant, Chrisma ab Episcopo petant.*
37. *De obedientiâ Diaconorum ergà Presbyteros.*
38. *Vt Diaconus Eucharistiam jussu Presbyteri ministret.*
39. *Vt Diaconus jubente Presbytero sedeat.*
40. *Vt Diaconus coram Presbyteris interrogatus respondeat.*
41. *Vt Diaconus tempore tantum officij albam induat.*
42. *De clericis, qui pro fide tentati sunt.*
43. *De his qui pro fide ab infidelibus persecutiones passi sunt.*
44. *De tonsurâ clericorum.*
45. *De habitu clericorum.*
46. *De continentiâ clericorum.*
47. *De incessu clericorum.*

48. De

48. *De clericis, qui extrà necessitates ad nundinas vadunt.*
49. *De vigiliis clericorum.*
50. *De clericis ab officio continentibus.*
51. *De clericis, ut artificio victum quærant.*
52. *De clericis, qualiter sibi victum & vestitum quærant.*
53. *Vt artificiolum & litteras discant clerici, qui operari possunt.*
54. *De clericis invidis.*
55. *De clericis accusatoribus.*
56. *De clericis adulatoribus & proditoribus.*
57. *De clericis maledicis.*
58. *De clericis frequenter litigantibus.*
59. *De clericis discordantibus.*
60. *De clericis turpiloquis seu vagis.*
61. *De clericis per creaturas jurantibus.*
62. *De clericis inter epulas cantantibus.*
63. *De clericis sanis jejunia polluentibus.*
64. *De his, qui studiosè Dominico die jejunant.*
65. *De Pascha suo tempore celebrando.*
66. *Vt clericus ab Episcopo injustè damnatus recurrat ad Synodum.*
67. *De seditionariis aut usurariis, ne clerici fiant.*
68. *Vt ex pœnitentibus ordinatus clericus deponatur.*
69. *Vt Episcopus viduæ, vel repudiatæ maritum ad clerum promovens, deponatur.*
70. *Vt clericus hæreticorum convivia vel consortia fugiat.*
71. *Quod hæreticorum cœtus non Ecclesia, sed conciliabulum sit.*
72. *Quod cum hæreticis nec orandum sit nec psallendum.*
73. *Quod cum excommunicatis communicans vel orans excommunicetur.*
74. *de Pœnitentium lege.*
75. *de negligentioribus Pœnitentibus.*
76. *de poscentibus Pœnitentiam, si posteà obmutescant.*
77. *de Pœnitentibus, ut in morte viaticum accipiant.*
78. *de Pœnitentibus, si post viaticum supervivant.*
79. *de Pœnitentibus, si casu aliquo moriantur.*
80. *de manus impositione super Pœnitentes.*
81. *Vt Pœnitentes mortuos efferant & sepeliant.*
82. *Vt Pœnitentes semper genua flectant.*
83. *de senibus honorandis.*
84. *Vsque ad missam cathecumenorum nullus Ecclesiam ingredi prohibeatur.*

85. *Vt qui Baptizandi sunt, nomen dent, & à vino & à carne abstineant.*
86. *Vt nuper Baptizati castè & continenter vivant.*
87. *De Catholicis qui causas apud infideles proponunt.*
88. *De his, qui Ecclesiâ prætermissâ ad spectacula pergunt.*
89. *De his, qui auguriis vel incantationibus vel judaicis superstitionibus serviunt.*
90. *De energumenis.*
91. *Item de energumenis.*
92. *De victu energumenorum.*
93. *Vt oblationes discordantium non recipiantur.*
94. *Vt oppressorum pauperum oblationes non suscipiantur.*
95. *De his, qui oblationes defunctorum Ecclesiis fraudant.*
96. *De accusatore & accusato.*
97. *De eo, qui religiosis fœminis præficitur, ut probetur.*
98. *Vt laicus præsentibus clericis non doceat.*
99. *Vt mulieres publicè docere non præsumant.*
100. *Vt mulieres Baptizare non præsumant.*
101. *De viduis adolescentibus & infirmis.*
102. *Ne clerici viduarum familiaritati associentur.*
103: *De viduis, quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur.*
104. *De viduis, quæ professæ continentiam prævaricatæ sunt.*

2. Gravis est quæstio de actis præsentis Synodi, quæ cum nullibi apud antiquiores latinos, & nec ab auctore Concilij vulgò Africani, nec à Fulgentio Ferrando Carthaginiensi Diacono, nec à Dionysio Exiguo Abbate Romano, nec ab iis, qui codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ in græcum transtulêre, ulla illorum facta sit mentio, supposititia credita sunt à nonnullis viris eruditioribus, quibus viam aperuit Christophorus Justellus præfatione in Codicem Canonum Africanæ Ecclesiæ: „ quod fingunt, inquit, de alio Concilio „ Carthaginiensi, quod quartum vocant, & Honorio 4. & Eutychiano Consulibus convenisse narrant, planè repudiandum est, nec „ fides adhibenda canonibus 104. quos sine auctoritate huic Concilio „ adscribunt. „ Annotat insuper Philippus Labbeus, hunc titulum Concilio præfixum: *Statuta Ecclesiæ antiqua*, ita conceptum esse in Codice Barberino: *statuta orientis antiqua.* Et cum multi canones hac in Synodo reperiantur, quæ aut sumpti sunt ex Conciliis orientalis Ecclesiæ, aut orienti potius quam occidenti convenire videantur,

Iustellus.

Labbeus.

non

non deerunt forsan, qui eminentissimum Cardinalem Bona meritò de suppositione huius Synodi dubitasse existimabunt.

3. Scio quidem, annalium Parentem Barronium de hac Synodo nullatenus dubitasse, sed centum & quatuor canones à ducentis quatuordecim Episcopis anno 398. *Honorio 4. & Eutychiano Consulibus 6. idus Novembris* statutos admisisse, cuius sententiam cap. 48. contrà Angliæ Regem laudat Perronius quatuor rationibus hos canones vindicare studens Concilio Carthag. 4. quarum duæ priores argumenta opposita dissolvunt, & duæ posteriores argumenta sua conficiunt. Dicit in primis ex eo, quod in ferragine latinâ, quam Dionysius Exiguus, & græci imitati sunt, non habeantur canones huius Concilij, non obinde concludendum esse, quod sint suppolititij, quandoquidem plures Africanarum Synodorum canones referat Ferrandus, quarum Synodorum nulla mentio facta reperitur in Concilio vulgò Africano aut ferragine latinâ. Deinde auctorem Concilij Africani centum dumtaxat canones referre voluisse, inter quos collocare non poterat canones 104. huius Synodi, nisi numerum excedendo: illos insuper referre noluisse, quod necesse non esset canones de ordinationibus corpori canonum inseri, cum omnes Ecclesiastici & specialiter Episcopi illos continuò præ manibus habebant. Verum pace Perronij dixerim, infirma sunt hæc duo responsionum momenta, cum ideò potius corpori canonum inseri oportuissent, quod juxtà illos canones Episcopi ordinare deberent, & auctor more suo non omnes, sed aliquos Concilij canones decerpere potuisset, adeoque nisi aliud obstasset, & in corpus canonum redigere. Ad aliud itaque confugiendum est fundamentum, quod si à me petatur? illud fuisse existimem: quod huius Concilij tempore religio erat, silentio obvolvere arcana fidei & Sacramentorum mysteria, ut patet ex Innocentio 1. ideò formam Sacramenti confirmationis epistolæ suæ ad Decentium Eugubinum inserere detrectantis, *ne magis prodere videretur, quam ad Consultationem respondere.* Verum quidem est in huius Concilij canonibus conscriptas haberi sacrarum ordinationum materias & formas, sed id necessarium fuit Ecclesiæ Africanæ, tum ne ab avito ordinationum ritu deflecteret, tum, ut quid hac in re traditum sit, statuto canone confirmaret. Cavebat tamen Ecclesia Africana, ne ritus illi publicitus circumferrentur, quod in causâ fuisse existimem, non Africani Concilij auctorem solum, & qui eius posteà collectionem retulerunt, sed nec ipsum Fulgentium Ferrandum in breviatione canonum

Perronius.

Innocent. 1.

canonum ullam huius Concilij mentionem fecisse, quod post eius dumtaxat tempora Concilium illud editis libris publicatum fuerit, cuius canonem 7. citavit sæculo septimo S. Isidorus Hispalensis Episcopus de offic. Eccles. lib. 2. cap. de exorcist. *Exorcista, cum ordinantur*, inquit, *accipiunt, ut dicit canon, de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, &c.* Quæ sunt ipsissima verba canonis 7. Carthaginiensis 4. & post hæc Synodum hanc citatam fuisse ab Hincmaro Remensi, Burchardo, Ivone, & Gratiano, rectè notavit Perronius.

S. Isidorus.

4. Et hæc quidem de canonibus ad sacros ordinationum ritus spectantibus, quos reverà huius Concilij putamus, licet privatus quidam huius centum & quatuor canonum collectionis auctor fuisset, & sub hoc titulo, *statuta Ecclesia Antiqua* alios tam orientis quam occidentis Ecclesiæ canones collocasset. Id enim inprimis colligitur ex præfatione Carthaginiensis huius Synodi, in quâ expressè asseritur, Aurelium Carthaginiensem Episcopum unà cum Episcopis statuisse ea, *quæ ad ordines Ecclesiasticos canonicis necessaria sunt disciplinis.* Et quamvis hæc verba dubium ingerere possint, an alia statuta præterquam de sacris ordinationibus tractantia huic Synodo sint attribuenda, non contemnendum tamen videtur, quod ante me animadvertit Perronius, pleraque huius Synodi statuta convenire statui Africanæ Ecclesiæ istius temporis; ac primo quidem canone petendum dicitur ab Episcopo: si credat *totam Trinitatis Deitatem coessentialem, & consubstantialem?* Quod contrà Arianos positum tunc ubique per Ecclesiam dispersos. Item *si novi & veteris testamenti unum eumdemque credat auctorem & Deum?* quod petebatur ad exclusionem Manicheorum tunc per Africam vagantium, & teste Augustino libro de Hæresibus cap. 46. apud Carthaginem præcipuè abominanda suæ sectæ scelera exercentium: plura nefaria namque in commixtione perpetrantes generationem impediebant, *unde*, inquit Augustinus, *nuptias sine dubio condemnant*, contrà quos & hoc in capite petitur ab ordinando Episcopo: *si nuptias non improbet?* Item petitur: *si extrà Ecclesiam Catholicam nullus salvetur?* Quod contrà Donatistas positum est, qui extrà Ecclesiam universalem in parte Africæ meridionalis constituti suis salutem promittebant, & latè per omnem Africam dispersi magno in numero habitabant. Unum tantum additur: *si in Baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur:* Quod contrà hæresim Pelagianam constitutum esse, nemo dubitare potest: cum autem Pelagius anno 411. ad Africam

Præfatio Synodi.

Canon 1.

Augustinus.

cam venerit, & non nisi anno 412. ab Aurelio damnatus reperiatur in Synodo Carthaginiensi, meritò queritur, quî fieri potuerit, quod anno 398. contrà Pelagij hæresim pro ordinatione interrogati sint Episcopi? verum cum in confesso sit apud omnes, ante Pelagium scripsisse eius discipulum Cælestium, & ante omnia hæresis Pelagianæ capita librum conscriptum fuisse contrà peccati originalis traducem, qui ad Africam mitti potuit, antequam auctores ad Africam pervenerunt: quandoquidem in primo Concilij Carthaginiensis capite de solo contrà originalis peccati traducem errore fiat mentio, lucet profectò, Capitulum hoc editum fuisse ante manifestata cætera Pelagianæ hæreseos capita, cum solus contrà peccati traducem error innotuisset ex libro Cælestij, qui non anno circiter 402. ut putat Garnerius dissert. 1. de primis auctoribus hæresis Pelagianæ, scriptus fuit, sed ante an. 398. ut fidem facit præsentis Synodi capitulum 1. quod in antiquo Codice Barberino vocatur, *præfatio Capitulorum de sacris ordinationum ritibus*, quæ capitula Synodo Carthaginiensi quartæ extrà omne dubium putamus adscribenda.

5. Habetur tit. 20. *ut Episcopus tantum divinis vacet*: Canone autem, *ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantum vacet.* Quod quantum Africanæ Ecclesiæ conveniat, nemo eruditus ignorat: constat enim Africam præ cæteris orbis Catholici regionibus habuisse prædicantes Episcopos, & Apostolicam ad Timotheum de *prædicando verbo* doctrinam diligentius observasse. Vocabant Afri conciones ad populum *tractatus Episcopales*, & cum Donatistæ de Macario somniassent, quod ad populum concionatus fuisset, respondet S. Optatus libro 3. contrà Parmenianum: *& locutum eum esse aliquid in populo constat, sed insinuandi alicuius rei causâ, non tamen tractandi, quod est Episcoporum.* Id adeò proprium fuisse Episcopis Afris censent cum Baronio eruditi, ut usque ad tempora D. Augustini in Africâ solos Episcopos prædicasse existiment, & numquam presbyteros nisi in absentiâ Episcoporum. Durasse aiunt consuetudinem usque ad tempora Valerij Hipponensis Episcopi, qui cum græcus erat, & linguam latinam non satis ad prædicandum noverat, Augustinum suo loco prædicare permisit. Gaudebat Valerius, inquit Possidius Calamensis Episcopus in vitâ Augustini cap. 5. quod sibi divinitus homo concederetur talis, *qui posset verbo Dei & doctrinâ salubri Ecclesiam Dei ædificare: cui rei se homo naturâ græcus, minúsque latinâ linguâ & litteris instructus, minus utilem per-* *videbat.*

Canon. 20. S. Optatus. Possidius.

videbat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesiâ Evangelium prædicandi ac frequentissimè tractandi contrà usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum, unde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus, in orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens, utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectatorum non curabat linguas, dummodò factitaretur à presbytero, quod à se Episcopo impleri minimè posse cernebat. Addit quod Augustini exemplo *acceptâ ab Episcopis potestate presbyteri nonnulli coram Episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei.* Hæc Possidius, loquens proculdubio de Carthaginiensi Ecclesiâ, in quam Aurelius Carthaginiensis Episcopus eumdem morem introduxit; quem laudat ipse Augustinus epistolâ 77.

Augustin. *& præcipuè*, inquit, *de sermone presbyterorum, qui te præsente populo infunditur.* Sicque correctus mos ille, quem D. Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum sugillaverat. *Pessima consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui.*

6. Cæterum hocce ex loco alius canon exponi potest, cuius titulus ordine 24. sic habet: *ut quando Episcopus verbum facit nullus discedat.*

Canon 24. Verum ubi titulus habet *Episcopus*, ibi canon legit *sacerdos. Sacerdote verbum faciente in Ecclesiâ, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Si titulus ille solus mendax inveniretur, *Episcopi* loco *Sacerdotis* nomen substituere non auderem: sed cum errores alij in titulos huius Concilij irrepserint, corrigere non omittam. Fateor quidem, fideles olim Episcopos suos magnâ attentione auscultasse, & non sine notâ al quâ exire licuisse; verũ cum apertæ essent januæ Ecclesiæ usque ad missam cathecumenorum, ante quam tractatus habebantur ab Episcopis, tantumne crimen dicemus, de Ecclesiâ durante tractatu Episcopali exire, ut obinde excommunicatio ferretur in egredientes? putarem itaque more in Africâ mutato, ubi sacerdotes quidam præsente Episcopo prædicabant, aliquos contrà indignatos fuisse, & quia acquiescere nolebant huic disciplinæ noviter introductæ, ubi presbyteri prædicare incipiebant, exisse de Ecclesiâ, quorum temeritati ut occurreret Aurelius, statuit hunc canonem 24.

Canon 43. 7. *De his qui pro fide ab infidelibus persecutiones passi sunt.* Si titulus canoni conveniret, & canon 43. de persecutione ab infidelibus motâ ageret, nihil amplius requireretur ad canones alteri Concilio longè anteriori adscribendos, quandoquidem integro fermè sæculo ante Synodum 4. Carthaginiensem persecutiones infidelium per Africam cessarint. Verum de persecutione aut infidelibus, ne verbum quidem in canone 43.

none 43. qui ita se habet : *Christianum Catholicum, qui pro Catholicâ fide, & pro Ecclesiasticâ re, & Christianâ religione tribulationes patitur, honore omni à sacerdotibus honorandum. Etiam & per Diaconum ei victus administretur.* Alij pervetusti Codices hunc canonem ita legunt: *Christianum Catholicum, qui pro Catholicâ fide tribulationes patitur, omni honore à sacerdotibus honorandum, etiam in quotidiani victus ministerio.* Ad quæ Severinus Binnius: „ jugis illa Africanæ Ecclesiæ persecutio Donatistis authoribus concitata, quâ plures Catholici ab ijsdem gravissima paterentur, hisce canonibus occasionem dedisse videtur. „ Nec vana Binnij divinatio : Donatistas enim & præcipuos eorum asseclas circumcelliones Catholicis in Africâ fuisse infestissimos, in tertio contrà Parmenianum Donatistarum principem libro scribit S. Optatus : currebant per omnes nundinas, ubi ære alieno oppressos liberabant à creditoribus, & nolentes metu mortis impellebant : vias publicas obstruxerant & armis instructi, dominos de vehiculis suis excussos ante mancipia sua dominorum locis sedentia serviliter currere impellebant : erant rabidi, irati, subtiles in seductionibus, *in cædibus immanes*, ut fidem facit S. Optatus libr. 2. addens de tempore Juliani apostatæ, quod multi ex eorum numero per loca plurima *cruentas operati sunt cædes*, in Ecclesiâ Lemellensi ab ijs *super altare Catholici Diaconi occisi sunt*, in Mauritaniæ civitatibus eorum instantiâ *mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nascituri.* Et ne crederes, hæc illis tantum temporibus accidisse, adest nobis Augustinus, qui variis locis de Donatistarum violentiis conqueritur, signanter vero epistolâ 50. ad Bonifacium comitem, cuius auxilium contrà eos implorat, ut mulcta pecuniaria ijs imponeretur, à quibus aliquas violentias Ecclesia Catholica ulterius pateretur. Profert exemplum Maximiani Vagiensis Episcopi à Donatistis variis vulneribus ad mortem usque percussi, & omittere se fatetur, quam multa horrenda Episcopi & clerici perpessi sunt, *quod quorumdam oculi extincti sunt, & cuiusdam Episcopi manus & lingua præcisa est, nonnulli etiam trucidati.* Et cum hæc aliaque legimus in D. Augustino, mirari non debemus canonem 43. tempore D. Augustini loquutum de *tribulatione* pro Christianâ religione perpessâ. Patres verò incipiunt Canonem ; *Christianum Catholicum*, ut innuerent illum contrà Donatistas statutum, quibuscum controversia fuit de nomine Catholici, quo fideles ab ipsis erant distincti, vide Collationem Carthaginiensem.

Canon 43. | Alia Lectio. | Binnius. | S. Optatus. | Augustin.

8. Titulus 44. agit *de tonsurâ clericorum.* Canon vero habet : *clericus* Canon 44.

cus nec comam nutriat , nec barbam. Codex Gemblacensis legit, *nec barbam tondeat* , barberinus vero Codex , *nec barbam radat* , sicuti etiam legit Frontoduceus : quæ lectio si tenenda foret , jam constaret canonem hunc græcismum sapere , quin imo impositæ à schismaticis calumniæ vires addere , cum jam inde à tempore Michaelis Cerularij schismatici græci latinis pro crimine imponant , quia *barbam radunt.* quod certè fuco aliquo obiicerent , si antiquitus rasio barbæ canone prohibita fuisset. Sed appage cum tali lectione , to *nec* innuit conjunctionem *Comæ & barbæ* , de quibus statuit canon , quod eas clericus non nutriret, & pleraque exemplaria non addunt , *radat* aut *tondeat* , ac meritò : quia canon constitutus est contrà clericos , qui comam nutrire volebant , idque quâ occasione factum sit , jam investigabimus. Monachos tondi aut radi consuevisse, ex antiquorum monimentis patet , nec probatione indiget, cum D. Augustinus ex Italiâ monachatum in Africam introducens monachos tondi præceperit : advenerant quidem ante tempora D. Augustini eremitæ aliqui aut monachi de Ægyptiorum cœnobiis & Hierosolymorum Ecclesiis Carthaginem , sed adeo rarò , ut sacrilegus Carthaginiensium populus eos tamquam novum aliquid exciperet, sicut innuit Salvianus lib.8. de providentiâ , ubi addit de monachis per Augustinum introductis,

Salvianus. *quod intrà Africæ civitates , & maximè intrà Carthaginis muros palliatum & pallidum , & recisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum videre , tam infelix ille populus quam infidelis sine convitio atque execratione vix poterat.* Atque hinc factum putem, aliquos ex monachis crinitos incedere voluisse , de quibus D. Augustinus libro 2. retract.

Augustin. cap.21. *quod criniti erant quidam eorum.* Loquitur D. August. ex opere monachorum , ubi cap.31. ob contentiones & jurgia inter monachos hac de re exorta ad instantiam Aurelij Carthaginiensis Episcopi ita in eos invehitur. *An ita vocandum est , ut nec tonsores operentur? an quia evangelicas volucres imitari se dicunt , quasi depilari timent , ne volare non possint. Vereor in hoc vitio plura dicere propter quosdam crinitos fratres , quorum præter hoc multa & pœnè omnia veneramur.* Sed inquies , quorsum hæc omnia de monachis , ubi canon agit de clericis? scio responsionem eminentissimi Cardinalis Baronij, Monachismum in Ecclesiâ Africanâ huius Concilij tempore ascitum fuisse in clerum,& Imperatorem Theodosium lib.32. cod. de Episcopis & clericis , hoc anno 398. rescripsisse , si quos Episcopi deesse sibi clericos arbitrarentur , ex monachorum numero rectius eos ordinandos fore : nec improbo

improbo solutionem sed ulterius confirmo. Cum enim passim huius Concilij tempore monachi in clerum assumerentur, & inter illos plerique essent ex crinitis, voluerunt etiam comam nutrire & sine tonsurâ ad ordinum gradus promoveri, quod hoc canone prohibitum innuit titulus, *de tonsura clericorum*. Quod si tamen cuiquam id minus arrideat, addi potest, crinitos illos comam & barbam longiores gestasse quod eas post Episcopalem tonsuram ex quâdam sinistrâ sacræ scripturæ interpretatione numquam amplius radi sinerent, quâ ex re ne idem tumultus in clero oriretur, qui inter monachos fuerat, cautum est hoc canone, ne clericus comam nutriret, aut barbam, sed si non rasas saltem præcisas, & more cleri Africani, ex parte aliquâ decurtatas gestarent.

9. Titulus 51. *clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum querat.* Non mea, primum, sed Eminentissimorum Cardinalium Baronij & Perronij sententia est, hunc canonem cum sequentibus statutos fuisse contrà quosdam monachos, qui ex scholâ Euchitarum & Massilianorum eruperant errantes, monachos & clericos manibus operari non posse, contrà quos D. Augustinus librum suum *de opere monachorum composuit*, cuius rationem reddit lib. 2. retract. cap. 21. *ut de opere Monachorum librum conscriberem, illa me necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alij se suis manibus transigebant obtemperantes Apostolo, alij vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes unde necessaria vel haberent, vel supplerent, sed potius supplere præceptum evangelicum existimarent atque jactarent, ubi Dominus ait: respicite volatilia cœli, & lilia agri. Vnde etiam inter laicos inferioris propositi, sed tamen studio ferventes existere cœperant tumultuosa certamina, quibus Ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis illud defendentibus.* Hæc de monachis, qui dum sæpius in clerum cooptati nec artificio victum quærebant, nec alios quærere sinebant, occasionem dedêre Patribus Africanis statuendi hunc canonem, quem sequuntur eâdem de re duo alij canones 52. & 53. ex quibus lucet non omnes centum & quatuor canones unius Concilij esse posse, quando quidem unum Concilium tres canones eâdem de re constituisse, verosimile non videatur.

Canon 51.

Augustin.

10. Quid plura? canon 61. statuit: *clericum per creaturas jurantem acerrimè obiurgandum, si perstiterit in vitio excommunicandum:* quod huius Concilij tempori congruit, cum occasio canonis desumi potuit ex Donatistis, de quibus ad Parmenianum Donatistarum

Canon 61.

S. Optatus. Episcopum sanctus Optatus lib. 2. *per vos jurant & personas vestras jam pro Deo habere noscuntur. . . . ò sacrilegium impietati commixtum, dum homines per vos jurantes libenter auditis.* Hoc enim sacrilegium ne committerent clerici catholici, & sic Donatistarum errorem foverent, rectè obviare potuit canon; uti & canon 68. *ex pœnitentibus clericus non ordinetur* alteri Donatistarum errori, qui omnis generis homines etiam clericos & Episcopos inter pœnitentes collocabant, de quo latius ad canones Concilij Carthag. 5. Can. 70. *clericus hæreticorum & schismaticorum tam convivia quam sodalitates evitet æqualiter.* Quod tempori Donatistarum, qui schismatici vocabantur, aptatum constat. à canone 74. usque ad 80. quibus agitur de pœnitentibus, quæ statuta sunt, referuntur non solum à Burchardo, Ivone Carnotensi, & Gratiano in decreto 26. quæst. 6. & 7. sed etiam magnâ ex parte probantur à Leone 1. epist. 91. ad Theodorum, & intimæ antiquitati consona esse, in notis ad canonem 78. & 80. tuetur Gabriel Albaspineus. Can. 84. *ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem sive hæreticum, sive judeum usque ad missam Cathecumenorum.* Ex quo patet canonem statutum fuisse, dum paganismus nondum extinctus erat in Provinciis Christianis, ut notat Cardinalis Perronius, quocum existimo, statuta omnia licet huic Synodo non essent adscribenda, pleraque tamen antiqua esse, & tempori huius Synodi convenientia. Subscribunt Aurelius Carthaginiensis Episcopus, Donatianus Talabricensis primæ sedis, & Augustinus Hipponensis, qui cum cæteris Episcopis mense Novembri convenire potuerunt, quod tunc Gildone (qui tyrannidem contrà Imperium in Africâ assumpserat) sublato annua Synodus celebrata sit, quæ hucusque celebrari non valuerat, quidquid Baronium secuti complures existimarint, hoc eodem anno 6. Kalend. Iunij aliam Synodum plenariam Carthagine habitam fuisse.

CAPVT

CAPVT IX.

De Concilio Carthaginiensi post Consulatum Honorij 4. & Carthaginiensi 5. an. 400. post Consulatum Manlij & Eutropij habito.

1. *Concilium Carthaginiense anno 399. habitum, in quo legatis ad Imperatorem proficiscentibus multa commissa sunt, quæ alteri Synodo tribuuntur.*
2. *Synodus Carthaginiensis dicta quinta, cuius præfatio & tituli canonum adferuntur.*
3. *Habet præfatio hanc Synodum habitam fuisse* postconsulatum, *qui postconsulatus anxiè à viris eruditus quæsitus, ut patet ex Baronij & Perronij sententiis.*
4. *Vtriusque sententiæ ad trutinam revocatæ à vero deviare noscuntur, neque post Consulatum Stiliconis ut putat Perronius, neque post Consulatum Cæsarij & Attici, ut credebat Baronius, sed post consulatum Manlij habitam fuisse hanc Synodum, verosimilius videtur.*
5. *Canon 3. agit de sacerdotibus & levitis, ut ab uxoribus se contineant, ubi inquiritur etiam de continentiâ Subdiaconorum, quos in Africâ ab uxoribus suis abstinere debuisse ostendimus.*
6. *Canon XI. agit contrà errorem Donatistarum de manu non imponendâ lapsis sacerdotibus, cuius disciplinæ ratio adducitur, & variis Patrum Africanorum testimoniis comprobatur.*
7. *Canon XV. agit de Idololatriis per Imperatores destruendis, ex quo cum Baronius argumentum desumat pro tempore huius Synodi mutando, latius de Idolorum destructione variis temporibus mandatâ, pertractatur.*

1. NOn hærebo in Concilio Carthaginiensi post Consulatum Honorij Augusti 4. & Eutychiani 5. anno 399. quinto Kalendas Maias celebrato, ubi legationem susceperunt Epigonius & Vincentius ad Honorium Imperatorem, ut pro confugientibus ad Eccle-

siam

siam rescriptum impetrarent, quod lib.34. de Episcopis & clericis Cod. Theodosiani reperitur, de quo agit Baronius ad annum 399. numero ult. extat huius Synodi præfatio in Concilio vulgò Africano, nec aliud statutum refertur in eâ, quam de legatione ad Imperatores transmissâ, quamvis, ut rectè Perronius, alia complura hâc in Synodo statuta fuerint malè à suo capite in Collectionibus Canonum Africanorum avulsa, & Concilio post Consulatum Flavij Stiliconis tributa apud Dionysium & in collectione græco-latinâ. Canones verò huius Synodi putamus eos esse, quibus aliquid ab Imperatoribus petendum innuitur, & quorum tituli referuntur à Dionysio Exiguo sub num.58. *de reliquiis idolorum vel templis ab Imperatoribus abolendis.* Sub num.60. *de paganorum conviviis.* Sub num.61. *de spectaculis ut die Dominico vel cæteris Sanctorum festivitatibus minimè celebrentur.* Sub num.63. *de histrionibus Christianis factis.* Sub num.64. *de manumissionibus in Ecclesiâ celebrandis, ab imperatore poscendum.* Et sub numero 65. *de Equitio damnato Episcopo.* Cui canoni subscribunt Aurelius Carthaginiensis Episcopus, & alij, qui huic Synodo anno 399. interfuerunt.

Præfatio Synodi Carthagin. 5.

2. Restat, ut hoc Capite de Synodo Carthaginiensi 5. agamus, cuius hæc est præfatio: *post Consulatum placuit, ut die sextâ Kalendarum Iunij Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ subter inserta statuerentur. Cum Aurelius Episcopus una cum Episcopis suis consedisset, adstantibus Diaconibus, constituta sunt hæc, quæ in sequenti Concilio definita sunt.*

Tituli Capitulorum.

1. *De clericis ad testimonium non pulsandis.*
2. *De clericis pro crimine suo damnatis, ut à quolibet non defensentur.*
3. *De sacerdotibus & levitis, ut ab uxoribus se contineant.*
4. *De rebus Ecclesiæ sine Consilio Metropolitani Episcopi non alienandis.*
5. *Vt nullus Episcopus relictâ Cathedrâ in Diœcesi resideat.*
6. *De his qui nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut Baptizentur. Similiter de consecratione Ecclesiarum faciendum est.*
7. *De tempore Paschali seu Concilij.*
8. *De intercessoribus, ne cathedram morientis Episcopi diu retineant, sed infrà annum sacerdotem provideant.*
9. *De defensore Ecclesiarum à principe postulando.*

10. *Vt*

10. *Vt Episcopi ad diem Concilij occurrant.*
11. *Vt lapsis Sacerdotibus manus sicut laicis non imponatur.*
12. *De clericis excommunicatis, quamdiu eis asserere liceat innocentiam suam.*
13. *De clericis vel Monachis ab alio Episcopo ordinatis.*
14. *De Basilicis, quæ sine Martyrum reliquiis dedicata sunt.*
15. *De idololatriis destruendis.*

3. Habet præfatio: *post Consulatum placuit, ut die 6. Kalend. Iunij.* quæ manca esse, nemo eruditus ignorat: Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 398. alium ordinem Carthaginiensium Synodorum secutus, hanc Synodum inter Carthaginienses, quæ Canones edidēre, non quintam sed tertiam dici debere existimat, celebratamque fuisse ante Synodum 4. eodem cum illâ anno 398. quod in manuscripto Codice reperiatur: *post Consulatum Cæsarij & Attici die 6. Kalend. Iunij.* Cæsarius namque & Atticus Consules fuēre anno 397. quorum postconsulatus incidit in annum 398. verum huic sese opponunt novi Canonum Africanorum editores, & signanter Christophorus Justellus in præfatione ad Codicem Canonum Africanæ Ecclesiæ, „ ubi: „ hanc Synodum post Consulatum Flavij Stiliconis coactam „ fuisse ipsa acta Synodi indicant, quæ ita exordiuntur in Collectio- „ ne M. S. Isidori Mercatoris, quam penes nos habemus. *post Con-* „ *sulatum Flavij Stiliconis 16. Kalend. Iulias.* „ Laudat hæc tacito auctoris nomine Eminentissimus Cardinalis Perronius contrà Angliæ regem cap. 48. & concludit hanc Synodum non tertiam, sed verè quintam esse, & habitam anno 401. qui fuit annus post Consulatū Stiliconis: addit testimonium D. Augustini ex epistolâ 236. ad Xantippum, ubi refert tanquam canonem nouissimè editum, quo statuitur, ut quoties clerici damnati infrà annum causam non egerint, *nulla eorum vox posteà penitus audiatur*, quæ sunt verba canonis 12. huius Carthaginiensis quinti. Jam verò innuit Augustinus anno, quo scripsit hanc epistolam, Pascha 8. idus Julij haberi debuisse, quo die Pascha tempore Episcopatus Xantippi Numidiæ Primatis non celebrabatur, nisi anno 402. & juxtà quæ anno 401. præcedenti Concilium Carthaginense 5. celebrari debuit.

Codex M. S.

Collect. Isid. Mercatoris.

Augustin.

4. Et hæc quidem duæ Eminentissimorum Cardinalium sententiæ, quarum neutra sine difficultate defendi potest. Sicut enim sententia Baronij mutat ordinem Conciliorum Carthaginiensium, contrà fidem

antiquorum codicum, ita sententia Perronij collocat hanc Synodum post Consulatum Stiliconis, contrà codicum Africanæ Ecclesiæ testimonia. Quomodo enim anno 401. haberi potuit 6. Kal. Iunij, aut 16. Kal. Iulij Concilium Carthaginiense 5. ubi codex canonum Africanorum 16. Kal. Iulias post Consulatum Stiliconis refert aliud Concilium inferius memorandum? habet quidem antiquus codex Isidori Mercatoris *post Consulatum Stiliconis*, sed alij codices legunt: *post Consulatum Cæsarij & Attici*, ex quorum Codicum varietate colligimus, ab aliis hæc postea addita fuisse, & ab ipso Isidoro Mercatore tantum conscriptum fuisse, *post Consulatum*; quod exemplar, quo usus est, Consules non habebat annotatos. Quia tamen Isidorus in Hispaniâ scribens tempus huius Synodi annotare voluit, notam temporis ibidem receptâm addidit: *ærâ* 438. quæ coincidit cum anno 400. incarnationis Dominicæ, quo anno nullum aliud Africanum Concilium celebratum habemus, & cui si Concilium Carthaginiense 5. vendicemus, omnes difficultates superabimus, quæ moveri possunt tam circà ordinem Conciliorum Africæ, quam rescripta Imperatorum de abolendis Idololatriæ reliquiis, ut ex scholio Canonis 15. constabit.

Scholia Canonum.

Canon 5. 5. Habet titulus 3. *de sacerdotibus & levitis, ut ab uxoribus se contineant*. Canon verò: *præterea cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentiâ referretur, placuit Episcopos, & presbyteros, & Diaconos secundum propria statuta, etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*. Extat hic canon etiam in Concilio vulgò Africano, & pro his verbis, *secundum propria statuta*, legit: *secundum priora statuta*, quæ si requiras? invenies canonem 2. Concilij Carthaginiensis sub Genethlio, ubi ad instantiam Epigonij Bullensium Regiorum Episcopi, *ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant* ubi notanda sunt: *vel qui Sacramenta contrectant*, sub quibus etiam Subdiaconos comprehendi putamus, quos & in 3. canone Concilij Carthaginiensis 5. editionis Vulgatæ omissos fuisse ab exscriptoribus, fidem facit idem canon à Dionysio Exiguo inter Carthaginienses relatus sub tit. 25. ubi:

Can 2. Concil. Carth. 2.

Aurelius

Aurelius Episcopus dixit: addimus fratres charissimi praeterea, cum de quorumdam clericorum, quamvis lectorum erga uxores proprias incontinentiâ referretur, placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, presbyteri, sed & Episcopi secundum propria statuta, etiam ab uxoribus se contineant, ut tanquam non habentes videantur esse, quod nisi fecerint ab Ecclesiastico removeantur officio. Caeteros autem clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori aetate. Quibus verbis hunc canonem etiam retulit Cresconius Episcopus Africanus tit. 109. suae collectionis, qui si non sit huius Carthaginiensis 5. saltem alicuius posterioris meritò habendus erit, ex quo discimus in superioribus Conciliis statutum fuisse, ut Subdiaconi & maioris ordinis clerici ab uxoribus se contineant, quod referri debet ad secundum canonem Carthag. secundi, & tertium Carthaginiensis quinti, ut & rectè censeamus, in vulgatâ canonis 3. editione supra laudatâ ab exscriptoribus omissum fuisse nomen Subdiaconi. Cod. Canon.

6. Titul. 11. *ut lapsis sacerdotibus manus sicut laicis non imponatur.* Canon 11. Verba canonis huc spectantia sunt: *item confirmatum est, ut si quando presbyteri vel Diaconi in aliquâ graviori culpâ convicti fuerint, quâ eos à ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam poenitentibus vel fidelibus laicis imponatur, &c.* Positus est canon, ne error Donatistarum in Ecclesiam Catholicam irreperet, & contrà antiquam Ecclesiae disciplinam manus Episcopis & maioris ordinis clero imponeretur in poenitentiam. Primus, qui hoc ausus fuit contrà maiorum statuta in Ecclesiâ Africanâ, fuit Homicida Purpurius, de quo S. Optatus libro 1. refert, quod solitâ malitiâ fretus contrà Caecilianum hanc sententiam tulerit: *exeat huc, quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de poenitentia.* S. Optatus. Secundus vero reperitur Donatus à Casis Nigris Carthaginem translatus, qui & condemnatus fuit à Melchiade Papâ: *quod confessus sit, se rebaptisasse & Episcopis lapsis manum imposuisse: quod ab Ecclesiâ alienum est.* Concil. Rom. Extat sententia apud eumdem Optatum libro 1. qui & graviter notat libro 2. Donati sequaces, ubi: *invenistis pueros, de poenitentiâ sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent.* S. Optatus. Ut enim D. Augustinus epistolâ 50. ad Bonifacium: *ut constitueretur in Ecclesiâ, ne quisquam post alicuius criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae.* Augustinus. Pluribus agit Gabriel Albaspineus Aurelianensium Antistes observat. 5. & 6. in Optatum de huius disciplinae capite: refert

S. Optatus. verba S. Optati: *multis notum est, & probatum persecutionis tempore, Episcopos aliquos inertiâ & confessione Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua*

Albaspineus. *figerent, imperavit.* Et notat, quod à veteri Ecclesiæ disciplinâ alienum sit, ut loquitur Melchiades Papa, imponi pœnitentiam Episcopis, & maioris ordinis clericis: ratio est, quia non conveniebat Episcopo, Presbytero, aut Diacono, qui aliena potius peccata tempore sacrificij, quam propria deflere debebant, inter flentes, eiulantes, & humi jacentes extrà Ecclesiæ limina conspici in primo Gradu, vel in secundo cum Cathecumenis à magistris fidei instrui, vel in tertio publicis & solemnibus exorcismis purgari, qui ad purgandum erant constituti, unde gradus pœnitentiæ in Ecclesiam introductæ sunt, simul excipi oportuit ob ordinis dignitatem maiorum clerum, ad

Augustin. quod alludit D. Augustinus suprà: *sed rigore factum est disciplina.* Hinc itaque rectè statuit Siricius Papa epistolâ ad Himerium Tarraco-

Siricius. nensem Episcopum cap. 14. *illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ità & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci.* Vivebat Siricius tempore Donatistarum, qui dum Episcopos inter pœnitentes collocabant, simul eosdem deponebant; unde S. Optatus contrà illos, quod jugulaverint inter pœnitentiam, & sauciaverint Episcopos ac sacerdotes, quod assumebant alios in clerum ex pœnitentibus contrà eamdem Ecclesiæ disciplinam, quam tuetur

Canon 68. Carthag. 4. Canon 68. Concilij Carthagin. 4. *ex pœnitentibus (quamvis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem.*

Canon 15. 7. Titul. 15. *De idololatriis destruendis.* Canon verò: *item placuit ab Imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiæ Idololatriæ non solum in simulachris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodè deleantur. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginis suprà comprehensis in nostro Concilio statutis subscripsi. Similiter septuaginta duo Episcopi subscripserunt.* Agit canon de reliquiis Idololatriæ destruendis, quod cum anno 399. Honorius Imperator edito ad Apollodorum Africæ vicarium rescripto fieri mandavit, putavit ex eo Baronius, hanc Synodum anteriorem esse huius Imperatoris rescripto, & consequenter tertiam esse, non quintam, & anno 398. Kalend. Junij habitam ante quartam Carthaginiensem. Verum à Baronio hac in re declinat Eminentissimus Cardinalis Perronius, qui animadvertit, Canonem 58.

Codicis

Codicis Ecclesiæ Africanæ esse Concilij Carthaginiensis an. 399. post Consulatum Honorij 4. & Eutychiani, ad cuius petitionem Honorius Imperator rescripto ad Apollodorum Africæ Proconsulem extante in Cod. Theodosiano præcipit, idola gentilium à templis auferri, & sacrificia eorum tolli, ædificia tamen integra conservari: *decernimus enim, ut ædificiorum quidem sit integer status.* Hoc autem cum an. 399. factum sit, anno 400. alia Synodus Carthaginiensis, quæ quinta dicitur, potuit petiisse ab Imperatoribus, *ut reliquiæ Idololatriæ non solum in simulachris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodè deleantur.* Erant enim arbores, quos vetustate sacrari credebant Gentiles, de quibus Quintilianus lib. 10. *quasi sacras vetustate quercus adoramus.* Et Tacitus de Germanis: *lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant.* Et D. Augustinus serm. 241. de tempore: *quicumque in agro suo aut villâ, aut juxtà villam aliquam arbores aut aras, vel qualibet fana habuerit, ubi miseri homines solent aliqua reddere, si non eas destruxerit vel succiderit, in illis sacrilegiis quæ ibi facta fuerint, sine dubio particeps erit.* Et hoc est, quod Africani tanquam idolorum reliquias deleri postularunt in Synodo Carthaginien. 5. ex quo eam imperatorum edictis posteriorem concludit Perronius. *Car*, inquit, *quant au decret, ou estoit requise la destruction des temples bastis aux champs, & qui n'apportoient aucun ornement aux villes, le quel semble devoir avoir precedé l'edit des empereurs addresse au Prefect d'orient, il n'est point dans le cincquieme Concile de Carthage en chef, mais dans la seul rapsodie des Conciles d'Affrique, qui à transferè ce Canon, & plusieurs autres du Concile tenu apres le Consulat d'honorius & Eutychianus, d'ou fut decernée la premiere legation vers les Empereurs, ou Concile tenu apres le Consulat de stelicon, ou fut decernée la seconde.* Hæc accuratè Eminentissimus Cardinalis Perronius, cuius sententiam per omnia laudavimus uno excepto, de Concilio Carthaginiensi 5. habito post Consulatum Stiliconis, cum celebratum fuisse Stilicone Consule, indicaverimus suprà, & post Consulatum Stiliconis alia celebrata sint Carthaginiensia Concilia, de quibus infrà.

Lex Honorij

Synod. Carthagin.

Quintilianus

Tacitus.

S. Augustin.

Perronius.

CAPUT X.

De variis Conciliis Africæ, quorum aut ordo immutatus, aut canones suppositītij, vel deperditi, usque ad Collationem Carthagine habitam.

1. *Concilio Carthaginiensi post Consulatum Flavij Stiliconis canones attribuuntur, qui non sunt illius: præfatio istius est genuina, & præclarum præbet de Africana Ecclesia erga Sedem Apostolicam reverentiâ argumentum.*
2. *Eodem Consulatu idus Septembris habita est alia Synodus Carthagine, cuius præfatio adfertur cum alio luculentiori de subiectione erga Sedem Apostolicam testimonio.*
3. *Synodo illi attribuuntur Canones 20. quorum quatuor dumtaxat priores ipsius esse dignoscuntur. Canon 3. adfertur, qui meminit Concilij transmarini hactenus ignoti, cuius acta inquiruntur, & statuta desuper Africana Ecclesia fusius expenduntur.*
4. *Anno 402. habita est Synodus Milevitana 1. cuius præfatio adfertur, & in Concilio vulgò Africano corrupta monstratur, uti & malè Synodo Milevitana 2. tributa ostenditur. Præfationem subsequuntur Canones 6. quorum tituli adferuntur.*
5. *Canones illi non extant suo ordine in collectionibus tam græcis quam latinis, canon namque primo loco positus, est canon secundus occasione Xantippi & Victorini editus, de quibus fusius tractatur additâ expositione canonis tertij.*
6. *Canon quartus Milevitanus agens de Consule annotando in litteris ordinationum Episcopalium statutus est occasione eiusdem Xantippi & Victorini, idque ut in posterum similis contentio evitaretur.*
7. *Ab anno 403. ad annum 405. tria Concilia habita sunt, de quibus parum aut nihil superest.*
8. *Anno 407. Concilium Carthagine fuit, cui apud Dionysium Exiguum sexdecim canones tribuuntur.*
9. *Canon 10. mentionem facit Seniorum à novâ Germaniâ, occasione*

cuius

cuius hic latius agitur de senioribus Ecclesiæ, præter quos etiam seniores laicos fuisse, putat Iustellus.

10. *Canone 11. & 12. mentio fit Romanæ Ecclesiæ, cui Africana Ecclesia in formatis suis ad transmarinas partes transmissis subiectionem debitam ostendit.*

11. *Cætera Concilia usque ad Collationem Carthaginiensem nihil continere alicuius momenti, & quædam à suo tempore amota, ex variis indiciis monstratur.*

1. EXtat Concilium Carthaginiense post Consulatum Fl. Stiliconis anno 401. 16. Kal. Julias habitum, quod refertur initio Concilij vulgò Africani, in quo ei subiiciuntur 32. canones, quos collectores huius Concilij esse putarunt, cum pro maximâ parte sint canones Concilij Carthaginiensis 3. Dionysius Exiguus titulum huius Synodi collocans sub num. 57. Codicis, ei subiicit 9. canones, quod idem servatum est in Codice Africano Græco latino, cum tamen quidam illorum canonum reperiantur esse Concilij Carthaginiensis anni 399. ut capite præcedenti annotavimus. Præfationem itaque huius Synodi canonibus non suis imperitè præfixam putamus, nihilque certò illi adscribi posse, quam legationem, quæ destinata fuit ad Romanum & Mediolanensem Episcopos, de quâ Aurelius in eadem præfatione: *eligendum esse unum à nostro numero consacerdotum, qui auxiliante Domino orationibus vestris & has ipsas necessitates suscipere possit, & gnaviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiæ partes, ut tam sanctis fratribus & consacerdotibus nostris venerabili sancto fratri Anastasio sedis Apostolicæ Episcopo, quam etiam sancto fratri Venerio sacerdoti Mediolanensis Ecclesiæ, necessitatem ipsam, ac dolorem, atque inopiam nostram valeat intimare. Ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum, quod noverint communi periculo providendum, maximè quia tanta indigentia clericorum est, multaque Ecclesiæ ita deserta sunt, ut ne unum quidem Diaconum vel inlitteratum habere reperiantur.* Plura habemus ex hac Aurelij allocutione: ac præsertim cleri inopiam per regiones Africæ, quod Donatistæ tunc temporis latè diffusi omnes ferè Ecclesias occupassent. Verum quidem est, procurante Aurelio & adiuvante Augustino plerosque Donatistas conversos fuisse, sed cum eos ad clerum promoveri vetasset Anastasius Papa in Concilio Italico, cui Venerius Mediolanensis subscripserat, legationem ad illos mittendam dixit Aurelius, ut Donatistæ conversi ad Eccle- Præfatio Carthagin. anno 401.

siam

sium promoveri possent ad ordines, de quo fusius Aurelius sub hoc titulo 57. collectionis Africanæ: *ut parvuli apud Donatistas baptizati, in Catholicâ Ecclesiâ clerici ordinentur. Sed hoc* inquit *maiori fratrum supradictorum considerationi dimittendum censeo, ut prudentiori suo Concilio nostræ suggestionis sermonem, cum perpenderint, quid de hâc re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his, qui infantes baptizati sunt, satagimus, ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati.* Instat planè Aurelius, rem hanc transmarinis Episcopis indicandam, ut quid agendum sit, decernerent: cumque caput Ecclesiæ agnoscerent Pontificem, ab Anastasio Papâ in Concilio Italiæ constituto meritò decisionem rei exspectant Patres Africani.

Aurelius.

2. Sequitur in collectionibus canonum Africanorum apud Græcos & latinos collectores Concilium Carthaginiense eodem anno habitum post Consulatum Fl. Stiliconis idus septembris. Eius præfatio extat apud Dionysium Exiguum, & ita se habet: *Vincentio & Flavito VV.CC. Conss. idus Septembris, Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ, cum in Concilio congregati in Ecclesiâ Carthaginiensi consedissemus ex Africanis omnibus Provinciis Episcopi, id est Aurelius eiusdem sedis Episcopus cum collegis suis, quos eorum subscriptio manifestat: recitatis Epistolis beatissimi fratris & consacerdotis nostri Anastasii, Ecclesiæ Romanæ Episcopi, quibus nos paterna & fraterna Charitatis sollicitudine, ac sinceritate adhortatus est, ut de hæreticorum & schismaticorum Donatistarum insidiis & improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam Catholicam graviter vexant, nullomodo dissimulemus. Gratias agimus Domino nostro, quod illi optimo, ac sancto Antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in unâ compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.* Scripserant Patres Africani litteras ad Anastasium & Venerium, quibus Pontificem reposuisse alias, fidem faciunt acta huius Synodi: perierunt tamen vel latent istæ Anastasij Papæ responsoriæ, quas Patres hac in Synodo recipiunt tanquam à summo Ecclesiæ Præsule conscriptas ex paternâ sollicitudine, piam curam pro membris Christi in transmarinâ Africæ parte constitutis gerente: nec illustrioribus verbis prædicare poterant illum, quem omnis sub cœlo Ecclesia nunc in Romano Pontifice agnoscit, Apostolicæ Cathedræ principatum.

Præfat. Concil. Carthag. anno 401.

3. Huic præfationi subiiciuntur tituli, quorum 1. sub num. 66. *ut cum Donatistis lenius agatur.* 2. sub num. 67. *de litteris mittendis judicibus, ut ea, quæ inter Donatistas & Maximianistas acta sunt, innotescant.*

testant. 3. sub num.68. *ut clerici Donatistarum in Ecclesiâ Catholicâ suscipiantur in clero.* Et 4. sub num.69. *ut legatio ad Donatistas componenda pacis gratiâ dirigatur.* Sequuntur alii tituli sexdecim usque ad num.86. qui tam apud Dionysium Exiguum, quam alios collectores Græcos malè huic Synodo attribuuntur, cum inter illos reperiantur undecim canones desumpti ex Concilio Carthaginiensi 5. soli itaque quatuor citati spectant ad hanc Synodum, quæ uti contrà Donatistas coacta fuit, ita & quatuor illos canones pro causâ Donatistarum posuit tertiò statuens sequentia: *deinde placuit, ut litteræ mittantur ad fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad sedem Apostolicam, in quâ præsidet memoratus venerabilis frater & collega noster Anastasius, quo noverit habere Africam magnam necessitatem propter Ecclesiæ pacem & utilitatem: ut ex ipsis Donatistis quicumque clerici correcto Consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscuiusque Episcopi Catholici voluntatem atque Consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiuntur, sicut prioribus eiusdem divisionis temporibus factum esse, manifestum est. Quod multarum & penè omnium Africanarum Ecclesiarum, quibus talis error exortus est, exempla testantur: non ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur: sed ut illud maneat circà eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omni modo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris Catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit, non eis obsit, quod contrà honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in transmarino Concilio statutum est; id est ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum Concilium: sed exceptis his, per quos Catholicæ unitati consulitur.* Canon 3. Meminit canon Concilij transmarini, cuius nulla memoria in tomis Conciliorum, vel apud scriptores Ecclesiasticos reperitur. Cum tamen anno 401. ex Concilio Carthagin. 16. Kalend. Julias legatio transmissa fuisset ad Anastasium Papam pro Donatistis ab errore conversis ad sacros ordines promovendis, habitum fuit Romanum aut Italicum Concilium, cui Venerius Mediolansis interfuit cum aliis Episcopis, ex quo Anastasius Papa litteras transmisit nomine suo, quæ recitatæ fuerunt hac in Synodo eas afferente eodem legato in Africam ad suos reduce, quarum compendium refert Aurelius in præfatione: *recitatis epistolis beatissimi fratris & consacerdotis nostri Anastasij Ecclesiæ Ro-* Aurelius.

manæ Episcopi, quibus nos paterna & fraterna caritatis solicitudine ac sinceritate adhortatus est, ut de hæreticorum & schismaticorum Donatistarum insidiis, & improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam Catholicam graviter vexant, nullo modo dissimulemus. Statuerat igitur Concilium Italicum, non dissimulandum esse cum Donatistis, quod canon 3. citatus inculcat: *in transmarino judicio statutum est, ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerunt, non suscipiantur in honoribus suis.* Laudant hoc decretum patres Africani, & venerantur hoc solum excepto, quod ob penuriam cleri dispensetur cum ijs, *per quos Catholicæ unitati consulitur*, vel ut anteà dixerant, per quos *unitatis compensatio procuratur.* Eos enim in suis honoribus suscipi, petunt ab Anastasio, sicut tempore Cæciliani & Donati statutum fuerat à Melchiade Papâ, de quo Augustin. epistolâ 162. *Sanitatis recuperandæ optionem liberam fecit, cæteris paratus communicatorias litteras mittere, etiam ijs, quos à Maiorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.* Et hoc est quod in exemplum allegant Patres Africani, cum dicunt: *sicut prioribus eiusdem divisionis temporibus factum est.* An autem summus Pontifex Anastasius secundò rogatus Africanæ Ecclesiæ idipsum indulserit, monimentorum defectu decerni nequit, perierunt enim Pontificis illius acta & decreta, quorum unum dumtaxat refertur ab Anastasio Bibliothecario in Pontificali: *& hoc constituit, nullâ ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque Episcoporum designaret chirographos, quia & eodem tempore Manichei inventi sunt in urbe Româ.*

Augustinus. Patres Africani in Cod. Anastas. Bibliothec.

4. Anno 402. habita fuit prima Synodus Milevitana, cuius præfatio extat apud Dionysium Exiguum sub num. 85. & incipit: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis 5. Consulibus sexto Kalend. Septembris in civitate Milevitanâ, in secretario Basilicæ cum Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis in Concilio universali consedisset adstantibus Diaconibus.* Iisdem planè verbis incipit in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Græcè latinè edito: sed apud Concilium vulgò Africanum legitur: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Augg. Viris Clariss. Coss.* ubi, ut rectè notat Baronius, errore imperitorum librariorum loco V. C. numeri notæ, qua exprimitur quintus eorumdem Consulatus, scriptum fuit: *Viris clarissimis*, cuiusmodi nomenclatura abhorret ab Imperatoribus. Et tamen cum hac vitiatâ Consu-

Præfat Synodi Milevit. Conc. Afric. Baronius.

Consulum notâ reperitur eadem præfatio ante Concilium Milevitanum 2. novo plane errore, utpote quæ vindicanda sit non anno 416. quo Consules fuère Theodosius Aug. 7. & Iunius Quartus Palladius, sed Concilio Milevitano anni 402. quo Consules fuère Arcadius & Honorius Augusti quintum. Additur in eâdem præfatione apud Dionysium Exiguum, apud auctorem Concilij vulgò Africani, & Codices Canonum Africanorum græcolatinos, relecta fuisse & ab Episcopis probata decreta, *quæ jam dudum vel in Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita*, ac sequuntur apud eosdem tituli sequentes.

1. *De Episcoporum ordine, ut qui posterius ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre.*
2. *De Archivo & Matriculâ Numidiæ.*
3. *De Quod vult Deo Episcopo.*
4. *De Maximiano Episcopo.*
5. *Ut Episcopi, qui ordinantur, ab ordinatoribus suis epistolas accipiant, quæ diem & Consulem præferant.*
6. *De his, qui vel semel in Ecclesiâ legerint, ab aliis non posse promoveri.*

5. De his autem canonibus, quamvis dubitari non possit, constat tamen eos in Concilio vulgò Africano, & apud Dionysium Exiguum ac collectores græcos non rectè sub numeris suis dispositos, ut ex eo colligimus, quod post laudata præfationis verba: *Adstantibus Diaconibus*, sine ullo titulo sequatur: *Aurelius Episcopus dixit, quoniam Ecclesia Sancta unum est corpus*, Et reliqua de Hipponensis & Carthaginiensis Synodorum decretis confirmandis, quæ non fuerunt pars præfationis, sed Canonis primi Milevitani incipientis per illa verba: *Aurelius Episcopus dixit.* Nec gratis hæc dici, fidem facit Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Diaconus, qui in breviatione canonum refert sub titul. 78. *ut nullus Episcopus prioribus suis se audeat anteponere, Concilio Milevitano titulo* 2. Ex hoc enim habemus, canonem, qui ordine primus refertur à Dionysio & aliis, non primum esse, sed secundum, adeoque *de confirmandis Hipponensis & Carthaginiensis Conciliorum decretis* fuisse titulum Canonis 1. & de non anteponendo prioribus suis Episcopo, esse titulum Canonis 2. qui constitutus fuit occasione Xantippi Tagonensis civitatis, & Victorini alterius urbis Numidiæ Episcopi de primatu contendentium. Putat Eminentissimus Cardinalis Baronius, & post eum Justellus in notis ad can. 86. Codicis Afri- Ferrandus.

 cani,

cani, Numidiam in duas Provincias fuisse divisam juxta fidem præfationis Synodi sextæ Carthaginiensis, quæ meminit *duarum Numidiarum*, cumque Ecclesia in Provinciarũ divisione ordinem Imperij sequeretur, contrà Xantippum primatum assumpsisse Victorinum tamquam alterius Numidiæ Seniorem Episcopum, ac illud improbasse Augustinum epistolâ 217. ad Victorinum. Verum agit D. Augustinus de contentione Xantippum inter & Victorinum, qui ultimus Numidiæ Episcopos ad Concilium convocabat tractatoriâ ad omnes Numidiarum Episcopos transmissâ, & illi Concilio interesse renuit Augustinus rogans, ut Victorinus prius instare dignetur, *ut*, inquit, *inter tuam sanctimoniam & senem Xantippum concorditer constet, quis vestrum debeat convocare Concilium.* Quo loquendi modo D. Augustinus innuit, quæstionem fuisse de Primatu totius Numidiæ, non partis alicuius in Provinciam redactæ. Et certè mentio *duarum Numidiarum* in præfatione sextæ Carthaginiensis Synodi est vitiosa, cum illis temporibus Numidiam unicam dumtaxat fuisse Provinciam, clarum fiat ex Notitiâ Imperij tempore Arcadij & Honorij confectâ, juxta quam Sextus Rufus in breviario unius tantum Provinciæ Numidiæ meminit. Aliunde itaque petenda est ratio contentionis, ex ætate nimirum aut tempore ordinationis, ex quâ pendebat Primatus in Africanis Provinciis: & hoc est, quod D. Augustinus ante omnia inquiri postulat, ut Episcopi in unum convocati, *quis eorum verum dicat*, *agnoscant*. Hocque est, quod cum constitisset in Concilio Milevitano 1. occasionem dedit canoni 2. *ut nullus Episcopus prioribus se audeat anteponere*, quod contrà Victorinum statutum fuit, qui repertus erat junior ordinatione quam Xantippus. Quod autem hæc observatio nostra veritati consonet, docet canon huius Synodi non secundus sed tertius de Archivo & Matriculâ Numidiæ: *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut Matricula & Archivus Numidiæ, & apud primam sedem sit, & in Metropoli, id est Constantinâ. Apud primam Sedem*, inquit canon, innuens unicam tantum sedem Primatus honore conspicuam in Numidiâ reperiri, & quamvis addatur: *in Metropoli Constantinâ*, id eatenus non additur, ut duplex Primatus in Numidiâ innuatur, sed ut Primatus Ecclesiasticus à Metropoli civili non pendere monstretur in Africâ, cum in eius Provinciis penderet ex ætate Senioris Episcopi, qualis erat tunc Xantippus vel Constantinæ Metropolis, ut putat cum Baronio Iustellus, vel Tagonensis, ut scribit epistolâ 217. D. Augustinus.

Augustin.

Canon 2. Milevitanus.

Canon 3. Milevitanus.

6. Quinto

6. Quinto titulo habetur apud collectores suprà de ordinando Episcopo, ut ab ordinatoribus suis epistolas cum die & Consule notatas accipiant, quem canonem citat Fulgentius Ferrandus sub titulo 10. non tanquam quintum, sed quartum Milevitanum, *ut Episcopus ordinatus ab ordinatore suo litteras subscriptas accipiat, ordinationis eius diem simul & Consulem continentes. Concil. Milevitano tit.4.* sequi ergo debet hic canon post illum, qui statuit Numidiæ Archivum etiam in Metropoli Constantinâ servandum. Cum enim illo canone Victorino Primatum obtendenti abnegatum esset Archivum, & in civitate Metropolitanâ; ac penes Xantippum Provinciæ Primatem custodiri debere statutum fuisset, pergit hic canon similis contentionis fomitem extinguere, pro quo statuit, in ipsius Episcopi ordinatione litteras ab ordinatoribus Episcopis conscribendas *continentes Consulem & diem.* Illis enim epistolis conscriptis, ubi de primatu contentio oriretur, jam facile erat difficultatem sopire, cum ex notâ Consulis de anno, & ex notâ diei constaret de antiquiore ordinationis tempore. Cæterum ex hoc canone patet, qualiter Africana Ecclesia ante Dionysium Exiguum subnotare solebat statuta Ecclesiastica, Consulum nimirum notâ iisdem subnexâ. Neque refert Donatistas apud D. Augustinum in breviculo collationum tertiæ diei pro Cirthensi Conciliabulo sine Consulum notâ appellasse ad consuetudinem maiorum, asserentes *hanc esse Ecclesiasticam consuetudinem, ne dies & Consules decretis Episcoporum conscriberentur, legi volentes etiam Concilium Cypriani, ut hoc probarent.* Hæc enim vana erant, ut notat Augustinus, & non nisi ad moras nectendas proposita. Acta enim Martyrum ab ipsis Donatistis fabricata, & in appendice ad S. Optatum edita, habebant Consulem & diem, de quibus num. 435. collationis 3. diei. Neque Melchiadis Concilium tantum in causâ Cæciliani Consulum notam habebat, sed & ipsum Cirthense Conciliabulum, & multo plura Concilia in vetustis Archivis tunc latentia, ut suspicati sunt Episcopi Catholici.

Canon 4. Milevitanus.

Donastitæ.

7. Restat jam paucis agere de Conciliis Africæ post primum Milevitanum habitis tempore Innocentij 1. quæ octo recensentur, ac primum anno 403. *Gloriosissimo Imperatore Theodosio Augusto & Rumorido V. C. Conss. VIII Kal. septembris Carthagine. in Basilicâ regionis 2.* ubi legato ad Anastasium Papam transmisso in Africam redux, quid sedi Apostolicæ placuisset in recipiendis ad ordines Donatistis exposuit, & Donatistarum præpositos à singulis Episcopis conveniendos statutum fuit, una cum formâ conventionis Donatistarum, quâ

Concil. Carthag. an. 403

quâ ipsis præsentari deberet tractatus inter legatos utriusque partis. Anno 404. aliud Concilium refertur à Collectoribus canonum Africanorum, quod legationem adversus Donatistas tractatum respuentes misit ad Imperatores cum commonitorio, quo rogant Patres tuitionem pro Catholicis contrà Donatistas & circumcelliones, ac leges
Concil. Carthag. an. 404 renovari de mulctâ pecuniariâ aliisque. Incipit: *Gloriosissimo Imperatore Honorio Augusto VI. Consule VI. Kalendas Iulias Carthagine* &c. Anno
aliud an. 405 sequenti 405. *Stilicone secundo & Anthemio VV. CC. Coss. X. Kalendas Septembris.* Alia Synodus habita fuit, cuius breviarium extat in Concilio vulgò Africano sub tit. 61. & apud Dionysium Exiguum sub tit. 94. in quo & *recitata littera Papæ Innocentij, ut Episcopi ad transmarina pergere facile non debeant*, quod contrà appellationes statutum non fuit, sed contrà crebras Episcoporum Africæ profectiones trans mare, etiam ad Imperatores pro causis Ecclesiasticis.

8. Anno 406. habitum non fuisse plenarium Africæ Concilium, vel ex eo colligere licet, quod nulla illius apud collectores reperiatur
Carthagin. anno 407. memoria, & anno sequenti 407. in Concilio *Gloriosissimis Imperatoribus Honorio 7. & Theodosii iterum Augustis Consulibus idus Iunias Carthagine* habito, abrogatum sit Hipponensis Concilij statutum de singulis annis contrahendo Concilio Africæ plenario, & decretum, illud loco & tempore habendum, quando urgebit necessitas. Cæterum quia plures canones huic Synodo attribuuntur, placet titulos eorum ex Dionysio Exiguo hic subnectere, ut & ea, quæ aliquid consideratione dignum continent, notis illustremus.

1. *Concilium universale nonnisi necessitate faciendum.*
2. *Vt ab electis judicibus provocare non liceat.*
3. *De legationibus diversarum Provinciarum.*
4. *De executoribus Ecclesiæ.*
5. *Vt ab Imperatoribus postuletur advocatorum defensio pro causis Ecclesiæ.*
6. *Vt sit legatio libera.*
7. *Protestatio Maurorum Pontificum de Primoso.*
8. *De plebibus, quæ numquam Episcopos habuerunt.*
9. *De plebibus vel diœcesibus ex Donatistis conversis.*
10. *De suggestione Maurentij Episcopi.*
11. *De Pacificandis Ecclesiis Romanâ & Alexandrinâ.*
12. *De his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant.*
13. *De precibus ad Altare dicendis.*

14. De

14. *De his qui publicorum judiciorum cognitionem ab Imperatore poposcerint.*
15. *De his qui cum in Africâ non communicant, voluerint trans mare subrepere.*
16. *Vt pergentes ad comitatum causam suam vel Carthaginiensi, vel Romano Pontifici insinuare procurent.*

9. Titulo 10. agitur de suggestione Maurentij Episcopi, qui à senioribus Ecclesiæ accusatus erat, quos & Proinde Xantippus Primas Numidiæ jussit ad hoc plenarium Concilium occurrere, *& cum quærentur hi, quos adesse voluit à Diaconis pro foribus, id est Seniores à novâ Germaniâ, ac minimè invenirentur, secundo vel tertio requisiti: propterea censuit sanctum Concilum, ut litteræ ad eumdem senem Xantippum prærogentur, quo noverit voluntati plebis memoratæ nullomodo injuriam Episcopi succumbendum.* Referre hæc placuit ob nomen Seniorum, quorum frequens mentio in Conciliis & monumentis Africanis. Tertullianus in Apologetico: *præsident probati quique Seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* S. Optatus lib. 1. agens de de Mensurio ad comitatum pergente: ornamenta Ecclesiæ *fidelibus Senioribus commendavit.* Et post ordinationem Ceciliani: *convocantur suprà memorati Seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam.* Nundinarius Cirthensis Diaconus in gestis purgationis Cæciliani & Felicis de Sylvano, quod traditor esset, ideoque, inquit in eius ordinatione, *vos Seniores clamabatis: exaudi Deus civem nostrum. ille traditor est.* Et anteà: *quòd omnes vos Episcopi, Presbyteri, Diacones, Seniores scitis.* Et Purpurius à Limatat in epistolâ ad Silvanum: *adhibete conclericos & Seniores plebis Ecclesiasticos viros, & inquirant diligenter, quæ sunt istæ dissensiones.* Et aliam epistolam inscribens. *Clericis & Senioribus Cirthensium.* Et Donatistæ in epistolâ Synodali apud Augustinum in psalm. 36. dicentes necessario causam Primiani *Seniorum litteris eiusdem Ecclesiæ postulantibus audiendam.* Et ipse Augustinus epistolâ 136. *dilectissimis fratribus clero, Senioribus, & universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis.* Et libro 3. contrà Crescon. cap. 56. *Peregrinus Presbyter, & Seniores Ecclesiæ Musticanæ.* Et serm. 19. de verbis Domini: *cum ob errorem aliquem à Senioribus arguuntur.* Ex quibus omnibus constat verissimum esse, quod in notis ad S. Optatum observat Albaspineus; quod in Ecclesiâ Africanâ *præter Ecclesiasticos & clericos quidam ex plebe Seniores, & probatæ vitæ res Ecclesiæ curabant.* Christophorus Iustellus in notis ad hunc canonem tuetur, alios fuisse

Tertullian.

S. Optatus.

Gesta purgationis.

Purpurius.

Donatistæ.

Augustin.

Albaspineus.

fuisse Seniores laicos, de quibus canon 19. Codicis Africani: ut Catholici Donatistas *in singulis quibusque civitatibus vel locis per magistratus, vel Seniores laicorum conveniant.* Alios Seniores Ecclesiasticos, de quibus canon præsens ordine centesimus in Codice Africano græcè latinè edito. Sicut autem magistratus, rectores, & curatores, quia ex Senioribus præficiebantur civitatibus, Seniores dicti sunt, ita ob eamdem rationem dictos Seniores Ecclesiæ existimem, qui ad exemplum Synagogæ initio Ecclesiæ instituti fuëre, de quo D. Ambrosius in 1. ad Timoth. 5. *Synagoga & posteà Ecclesia Seniores habuit, quorum sine Concilio nihil agebatur in Ecclesiâ: quod quâ negligentiâ obsoleverit, nescio; nisi forte doctorum desidiâ aut magis superbiâ, dum sibi volunt aliquid videri.*

Canon 91. Codicis.

Ambrosius.

10. Canone 11. & 16. mentio fit Romanæ Ecclesiæ, ac priori quidem de pacificandâ Romanâ & Alexandrinâ Ecclesiâ, de quo canon: *placuit etiam, ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad S. Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia intrà se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Ad quem canonem rectè notat Baronius, cum agere de dissensione exortâ ob D. Chrysostomum factione Theophili Alexandrini in exilium missum, quam ob causam Innocentius Papa, teste Palladio Helenopolitano, Theophilum & alios orientis Episcopos à communione separare decreverat: hoc autem, ne fieret, vel si factum erat, ne perseveraret, rogandum ducunt Patres Africani, qui etiam in signum suæ ergà Romanum Pontificem reverentiæ statuunt canone posteriori, *de formatis* ad Sedem Apostolicam dandis, adeo ut nullus Afrorum Episcoporum ad comitatum Imperatoris pergere poterat, nisi prius formata monstraretur Pontifici Romano, à quo tunc formatam ad comitatum accipiebat in signum potestatis Patriarchalis, quam Romanus Pontifex etiam per Africam obtinebat.

Canon 11.

11. Cætera usque ad collationem Carthaginiensem, quæ in Codice Africanæ Ecclesiæ referuntur, extantia Concilia, nihil consideratione dignum pertractant: duo habentur tributa anno 408. Basso & Philippo Consulibus: quorum unum 16. *Kalend. Iulias Carthagine*, alterum 3. *idus Octobris*, ibidem celebrata fuerunt ob legationem contrà paganos & hæreticos transmittendam. Sequitur Concilium *Gloriosissimis Imperatoribus Honorio VII. & Theodosio* 3. *Augustis Coss.* 17. *Kalend. Iulias* Carthagine habitum, quod Labbeus in annum 407. reijcit. Sed cum illo anno celebratum fuerit Concilium aliud Carthaginiense *idus Iunias*, & Theodosius Consul tertium fuerit anno 409. putamus

Concil. Carthag. an. 409

cum

cum Binnio, errorem irrepsisse in Consulatum Honorij, & loco VII. legendum esse VIII. cum Honorius 8. & Theodosius 3. Consules fuerint anno 409. Similem errorem irrepsisse putem in sequens Concilium Carthaginiense, quod Codices canonum Africanorum Græci latini tribuunt *post Consulatum Honorij VIII. & Theodosij 4. Augustorum XVIII. Kalend. Iulias.* Præterquam enim, quod illo anno jam assignavimus aliud Carthaginiense Concilium 17. Kal. Iulias habitum, accedit Honorium 8. & Theodosium 4. numquam simul fuisse Consules, sed bene Honorium 8. & Theodosium 4. anno 410. unde apud Dionysium Exiguum legitur correctius: *post Consulatum Gloriosissimorum Imperatorum Honorij VIII. & Theodosij 3. Augg. XVIII. Kal Iulias Carthagine in Basilica regionis secundæ: in hoc Concilio legationem susceperunt contrà Donatistas florentius, Possidius, Præsidius, & Benenatus Episcopi, eo tempore, quo lex data est, ut liberâ voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.* Contrà Donatistas habitum fuit hoc Concilium, quod hâc legatione tandem obtinuisse toties desideratum tractatum Donatistas inter & Catholicos habendum, indicat collatio Carthaginiensis habita anno 411. sequenti, de qua hic fusius ageremus nisi infrà dissert. Ult. iterum de illâ agendum esset.

Concil. Carthag. an. 410.

CAPVT XI.

De Synodis in causa Donatistarum & Pelagianorum habitis tempore Innocentij I. & signanter de Synodo Milevitanâ anno 416.

1. *Anno 412. duæ Synodi habitæ sunt, una in causâ Pelagianorum Carthagine, alia in causâ Donatistarum Cirtæ in Numidiâ, cuius Synodica subnotatio vitiosa est.*
2. *Marius Mercator meminit trium Conciliorum contrà Pelagianos in Africâ coactorum, quorum duo celebrata sunt anno 416. in civitatibus Carthaginiensi & Milevitanâ.*
3. *Acta Milevitani Concilij summatim referuntur ex tomis Conciliorum*

cum eiusdem præfatione, quæ ad Milevitanum primum spectat, & non ad hoc secundum.

4. *Canones 27. huic Concilio tributos eius esse negat Iustellus: non omnes ei suppositos tuentur Cardinales Perronius & Baronius.*

5. *Cæterum unicam tantum Synodicam ad Innocentium primum transmissam, cætera vero supposititia esse tuemur cum Garnerio, canones enim octo priores spectant ad aliquod Concilium Carthaginiense.*

6. *Vndenam canones cæteri desumpti sunt, paucis indicatur.*

7. *Canon 27. huic Milevitano Concilio tributus, desumptus est ex Concilio Carthaginiensi anno 418. ut ex verbis ipsis manifestè deducitur.*

8. *Tertiam Synodum à Mario Mercatore memoratam putat Labbeus esse 5. Episcoporum, quorum Synodicam habemus ad Innocentium primum transmissam. Verum infirmatur hæc opinio & rationibus destituta ostenditur.*

9. *Alia itaque videtur Synodus Carthaginiensis, quam putamus illam esse, quæ anno 412. celebrata fuit.*

1. SI mens esset, cuncta Africanæ Ecclesiæ Concilia notis illustrare, fusius hic agerem de singulis Africæ Synodis, quæ Collationem subsecutæ sunt: sed cum brevitati studeamus, sufficit ex Marij Mercatoris commonitorio annotare, cum primum Cælestius Pelagij discipulus ex Urbe Romanâ Carthaginem venisset, coram Aurelio per Paulinum Diaconum in Synodo fuisse accusatum de sex erroribus, *ubi plurimis Episcopis judicantibus* Cælestium damnatum fuisse, scribit Orosius, qui & eorum Synodum nuncupavit Africanam. Ioannes Garnerius in publicatis à sese Marij Mercatoris operibus assignat hanc Synodum Honorio 9. & Theodosio 5. Coss. habitam mense Februarij anno Christi 412. nec sola hæc Synodus illo anno habita fuit in Africâ, sed alia quoque Cirtæ in Numidiâ celebrata fuit sub Silvano Numidiæ Primate in causâ Donatistarum. Extat inter litteras D. Augustini eius epistolâ Synodalis ordine 152. cum hâc inscriptione: *Silvanus Senex, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cæteri Episcopi de Concilio Cirtensi ad Donatistas.* Ex quâ constat, habitum Concilium contrà Donatistarum calumnias, quibus sese in collatione victores mansisse ubique gloriabantur: temporis subnotatio sic legitur: *Hæc ad vos scripsimus 17. Kalendas Iulias Piissimo Honorio Augusto VIII. Consule.* Sed errorem in numerum irrepsisse, rectè ad annum 412. notat Cæsar Baronius: *cum octavus pro nono Consu-*

Orosius.

Synod. Aug.

Baronius.

Consulatu sit positus. Hoc enim anno Honorius fuit Consul nonum, ut patet ex fastis, ac rescripto ad Præfectum prætorio contrà Donatistas 3. Kalendas Februarij hoc anno *Honorio IX. & Theodosio V. AA. Conss.* Lex Honorij Statuerat illo rescripto Honorius Ecclesias Catholicis reddendas, & varias pœnas pecuniarias in Donatistas, quibus graviora statuit an. 414. X. Kalend. Iulij Constantio & Constante Consulibus data ad Dulcitium Tribunum lege extante lib. 54. de hæreticis Codic. Theodosian. jussi sunt hâc ultimâ lege Donatistarum Episcopi facultatibus privari, & in exilium mitti, quod cum in Africâ publicatum fuit, convenëre 30. Donatistarum Episcopi sub Petiliano Constantiniensi in ignotâ nobis civitate. Meminit huius Conciliabuli D. Augustinus contrà Gaudentium libro 1. cap. 37. *in Concilium autem tanta (ut putatis & jactatis) persecutionis tempore amplius etiam quam triginta convenire potuistis, ubi & Petilianus fuit.* Statutum autem ibi fuit, Ecclesias non deserendas esse, nec in exilium consentiendum, sed potius propriis manibus pereundum voluntariâ nece sibi illatâ, quod pluribus locis deplorat S. Augustinus. S. Augustin.

2. Marius Mercator in suo commonitorio causam damnationis Pelagij relaturus, testatur libros eius erroribus Scatentes in Africam missos, *ubi tribus Conciliis congregatis memorati lecti sunt libri.* Ad quæ verba notat in margine Philippus Labbeus: *duo Carthaginiensia cum Milevitano intelligere videtur. Extant illorum duæ Epistolæ cum Canonibus tertij.* Verum hæc ipsa parum fusius examinanda sunt. Primam Carthaginiensem Synodum adversus Pelagium & Cælestium habitam fuisse Theodosio August. VII. & Iunio Quarto Palladio Coss. circà tempus autumni anno Christi 416. in dissertatione 2. de Synodis astruit Garnerius, qui & refert Synodicam huius Concilij ad Innocentium primum transmissam ab Aurelio, Numidio, alijsque numero sexaginta sex Episcopis, quorum omnium sedes investigat Garnerius in notis. Quin autem hæc Synodus una ex illis sit, quarum meminit Marius Mercator, nemini dubium esse potest: an tamen prima sit, & non potius secunda Carthaginiensis merito dubitatur, ut constabit ex infrà dicendis. Secunda Synodus, cuius meminit Marius, eodem an. 416. ijsdemque Consulibus habita fuit Milevi circà finem Octobris, cuius Synodica extat inter Epistolas Augustini ordine 92. & à Silvano Numidiæ Primate, alijsque sexagintà Episcopis scripta est ad Innocentium primum. Extat inter Epistolas D. Augustini, quia ab eo dictata fuit, & subscripta: referuntur in eâ de hæresi Pelagianâ duo capitula, Marius Mercator. Labbeus.

pitula, quorum primum est de errore Pelagianorum, Gratiam Dei ad salutem necessariam non esse dicentium; secundum verò de eorum errore contrà peccatum originale parvulos sine baptismo salvandos somniantium. Et addunt Patres in Synodicâ: *hac ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginiensis Ecclesiæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causâ scripsisse comperimus.* Ex quibus colligimus, Synonodum Milevitanam Carthaginiensi esse posteriorem: eodem tamen anno utramque habitam fuisse, testantur rescripta Innocentij primi ad Synodum anno sequenti 417. sexto Kalendas Februarias data.

Syn. Milevit.

3. Extant acta huius Synodi in tomis Conciliorum cum præfatione, quæ incipit: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis Viris Clarissimis Consulibus VI. Kalendas Septembris in Civitate Milevitanâ &c.* Verum hæc præfatio non est Synodi Milevitanæ secundæ, de quâ in præsenti agimus, utpote quæ habita fuit Theodosio 7. & Iunio Quarto Palladio Coss. anno 416. Sed est Synodi Milevitanæ primæ ante annos 14. habitæ Consulibus Arcadio & Honorio Augustis, ut ipsa præfatio indicat. Sequuntur post laudatam præfationem 27. Canones, quorum tituli sequentes.

Tituli Canonum Milevitanorum.

1. *Contrà Pelagianos, qui dicunt, etiam sine peccato mori potuisse Adam.*
2. *Quod juxtà Apostoli testimonium etiam parvuli, qui nihil peccati adhuc commiserunt, omnes in peccatorum remissione veraciter baptizentur.*
3. *Quod Gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adjuvat, ne committantur.*
4. *Quod per Gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.*
5. *Quod Gratia Dei præstet, ut lex impleatur; non (sicut ait Pelagius) facile, quasi sine gratiâ Dei difficilius possit impleri.*
6. *Quod juxtà sententiam Ioannis Evangelistæ nemo sit, qui esse possit sine peccato.*
7. *Quod unicuique etiam justo, non solum pro aliis, sed & pro semetipso dicere oporteat: dimitte nobis debita nostra.*
8. *Quod à sanctis veraciter dicatur: dimitte nobis debita nostra.*
9. *Quod ad communes causas Ecclesiæ generale Concilium congregari oporteat,*

oporteat, in privatis vero causis speciale uniuscuiusque Provinciæ.

10. *Vt Epistolas ad Concilium evocandum Metropolitanus subscribat, & dirigat.*

11. *Vt de hæreticis & infidelibus, quidquid in Concilio constituitur, à principe impetretur.*

12. *Vt preces & orationes compositæ, nisi probatæ fuerint, in Concilio non dicantur.*

13. *Vt posteriores anterioribus Episcopis non præferantur, nec inconsultis Primatibus suis aliquid agere præsumant.*

14. *Vt Episcopi pro tempore consecrationis suæ litteras ab ordinatoribus habeant.*

15. *Vt ubi primum quis legerit, ibi permaneat clericus.*

16. *Vt pro causis Ecclesiarum executores vel advocati à Principe postulentur.*

17. *Vt neque dimissus neque dimissa alteri conjungantur.*

18. *De his, qui in suâ Provinciâ non communicant, ut alibi non communicent.*

19. *De clericis, qui apud Principem sæculare judicium, aut Synodale impleverint.*

20. *Vt sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, & qualiter formatæ fiant.*

21. *De Episcopis, qui, quod repetere poterant, prætermissâ Synodo invaserunt.*

22. *De clericis, qui de judicio Episcoporum suorum conqueruntur.*

23. *De his qui apud hæreticos pœnitentiam acceperunt.*

24. *De Episcopis negligentibus adversus hæreticos.*

25. *Vnde suprà.*

26. *De virginibus, quæ infrà 25. annos necessitate cogente velantur.*

27. *De Episcopis, qui post acta Carthaginiensis Synodi retenti sunt ad ad reliqua peragenda.*

4. Hæc quidem tituli canonum, quos dum Justellus in præfatione ad codicem Africanæ Ecclesiæ huius Concilij negasset, insurgit contrà eum eminentissimus Cardinalis Perronius cap.48. in replic. adversus responsum Angliæ regis, & propositis sibi partis adversæ rationibus, ubi conatus est ijs satisfacere, prætendit vitio collectorum decreta huius Synodi posita post præfationem prioris Milevitani Concilij, & utriusque canones cum aliis huic secundæ Milevitanæ esse tributos quidem, sed non omnes ei suppositos, quandoquidem Concilium

Concilium Turon. 2. Turonense 2. anno 567. canone 20. referat : *cum etiam id in antiquis Milevitanis canonibus fuerit statutum : item placuit, ut quicumque Episcopum necessitate periclitantis pudicitia virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus Parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium,*

Perronius. „ *quod de istorum annorum numero constitutum est.* „ Quæ sunt, inquit „ Perronius, propria verba canonis 26. Concilij Milevitani, quod „ hodie præ manibus habemus. „ Accedit eminentissimus Annalium parens, qui ad annum 416. numero 3. putat partem præfationis,

Baronius. „ & 8. priores canones huius esse Synodi : „ in eius exordio, inquit, „ præfixa habetur nota diei & Consulis, quæ est prioris Milevitani „ Concilij, cui interfuit (ut vidimus) Aurelius Carthaginiensis „ Episcopus, & cætera que habentur usque ad illa verba : *ideoque* „ *pariter.* Quæ vero hæc sequuntur acta, huius de quo agimus, sunt „ Milevitani Concilij usque ad octavum canonem. „

5. Verum cum eminentissimi Cardinales fateri debeant, & fateantur, magnam confusionem hisce in canonibus & in Concilij Milevitani actis ab ignaro aliquo collectore factam, mirari lubet, viros eruditos pro suâ huius Synodi canonibus authoritate vindicandâ laborasse, cum tanta, quanta sit, supposititia videatur, unicâ eius Synodicâ, ut animadvertit Joannes Garnerius, ad Innocentium primum exceptâ, de quâ egimus suprà. Enimverò initium præfationis usque ad illa verba : *ideoque pariter*, non huius sed alterius Concilij Milevitani esse, consentiunt omnes etiam ipse Baronius. Verba

Præfatio. autem sequentia : *ideoque pariter quædam de causis fidei, unde nunc quæstio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu sanctissimo primitus tractentur : deinde subsequantur & aliqua, quæ disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria existunt.* Hæc inquam non sunt consona stylo Africanæ Ecclesiæ,

Labbeus. sed ut notat Labbeus in margine : *pravè à sciolo inserta sunt.* Canones autem octo priores, quos putabat Baronius huius esse Concilij, reverà non esse, rectè animadvertit Garnerius in notis ad Synodicam,

Garnerius. „ ubi : „ præter hanc epistolam nihil Synodi remanet, quamvis enim „ fuerint olim, sintque etiamnum, qui celeberrimos octo Ecclesiæ „ Africanæ canones, adversus hæresim Pelagianam, Milevitanos „ vocent, id faciunt tamen nunc temporis paucissimi ex sententiâ. „ Reliqui ut veterem atque popularem appellationem retineant. Sci-

„ tum

„ tum enim est ab eruditis, canones istos eo primum nomine voca-
„ tos fuisse, propter solam veteris collectoris præiudicatam auctori-
„ tatem; nec ullâ ratione dici posse sancitos in uno ex duobus Mile-
„ vitanis Conciliis, neque enim in primo universali; si quidem
„ coactum sit anno 402. cum nondum orta fuisset hæresis Pelagiana,
„ certè nondum Africanis innotuisset: neque etiam in secundo Pro-
„ vincionali, cum Augustinus in plenario totius Africæ Concilio
„ conditos testetur, Codex canonum ab Adriano 1. missus ad Caro-
„ lum Magnum, in Carthaginiensi Synodo." Hæc Garnerius, quibus consonat Quesnellius, & addo Patres Milevitanos in suâ ad Innocentiū primum Synodicâ tantum duo hæresis Pelagianæ capita retulisse, non octo, subdentes reliqua ex Synodicâ Carthaginiensi, quæ ad Pelagium spectant, Pontificem posse cognoscere.

6. Post octo canones contrà Pelagianam hæresim statutos, legitur in actis ante canonem 9. ***hucusque de fide contrà Pelagianos, nunc regulæ tractentur Ecclesiastica.*** Quæ verba non sunt Concilij, sed scioli istius, qui præfationem suprà citatam verbis suis auxerat, & sequentes canones 19. ex variis Africæ Conciliis depromptos Milevitanæ Synodo secundæ falsò attribuebat, de quo Baronius: ***reliqui verò, qui sequuntur ad finem usque, diversorum esse apparent Conciliorum Africanorum Canones.*** Justellus autem existimat, esse canones Concilij Milevitani primi, cuius secundus canon hac in Synodo est ordine decimus tertius, & canon quartus hac in Synodo est ordine 14. & canon sextus est hac in Synodo ordine 15. Item Concilij Carthaginiensis Honorio 7. & Theodosio 2. Coss. habiti anno 407. cuius canon 1. prout refertur in Concilio vulgò Africano sub titulo 62. vel in codice Africano græco latino sub tit. 95. reperitur in Milevitano 2. ordine nonus. Canones de executoribus, & advocatis Ecclesiæ relati sub titulis 96. & 97. Codicis reperiuntur in Milevitano 2. uno canone ordine 16. canon relatus in Codice sub titul. 102. ***de his qui uxores, aut quæ viros dimittunt***, reperitur in Milevitana 2. ordine 17. & sic de aliis, cum canones 18. 19. & 20. extent in Codice Africano sub titulis 105. 104. & 106. Demum esse alterius Concilij Carthaginiensis Honorio 12. & Theodosio VIII. Consulibus habiti, ex quo desumpti sunt non solum octo priores canones Milevitani contrà Pelagianos, sed & canon 21. Milevitanus, qui in Codice habetur sub titulo 120. canon Milevitanus 22. in Codice sub titulo 125. canon Milevitanus 24. in Codice sub titulo 121. canon 25. in Codice

Baronius.

Codice sub titulo 123. & canon 26. *de velandis virginibus in casu necessitatis* reperitur in Codice sub titulo 126. tanquam Concilij Carthginiensis anno 418. Consulibus Honorio 12. Theodosio VIII. habiti : tantum abest, hoc ex canone pro genuinis Concilij Milevitani actis aliquid concludi posse; citavit quidem hunc canonem de velandis virginibus tanquam Milevitanum Synodus Turonensis 2. sed quid aliud ex eo concludi potest, quam auctorem Farraginis Concilio Milevitano tributæ anteriorem fuisse Synodo Turonensi ?

7. Quam autem veritati consonet, quod hactenus de Milevitanorum canonum suppositione adduximus, clarius firmari non potest, quam ex canone 27. pro ultimo Milevitano hactenus habito : *item placuit, ne diutius universi Episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur, ab universo Concilio ternos judices de singulis Provinciis eligi.* Ad quæ verba notat Labbeus in margine : *ultimus hicce canon aperte indicat verbis istis, non ad particularem Milevi Synodum, sed ad Concilium universale Carthagine habitum regulas istas omnes referendas.* Et rectè, extat enim hic canon sub Concilio Carthaginiensi anni 418. in Codice G. L. sub titulo 127. unde fuit à suppostore desumptus, & tanquam canon 27. Concilio Milevitano tributus, cui tribui non poterat, tum quod Milevitana Synodus tantum erat Provincialis Numidiæ, tum quod illi non adfuerit *Aurelius Carthaginiensis*, qui tamen huic canoni subscriptus habetur.

Canon 27.

Labbeus.

8. Tertia Synodus, cuius meminit Marius Mercator, est Carthaginiensis, quam Labbeus putat fuisse quinque Episcorum *Aurelij, Alipij, Augustini, Evodij, & Possidij* : confirmat id ipsum Garnerius in illius Synodi Carthagine à 5. Episcopis sub finem anni 416. habitæ notis, additque, tres Episcopos fuisse è Numidiâ Alipium, Augustinum, & Possidium, duos ex Proconsulari Provinciâ, Aurelium, & Evodium. Aurelium quidem Carthaginiensem, Alipium Tagastensem, Augustinum Hipponensem, Evodium Uzalensem, & Possidium Calamensem. Verum hoc esse unum ex tribus Conciliis, unde colligatur, hactenus non video : scribit Marius Mercator in commonitorio *tribus Conciliis* in Africa congregatis damnatos Pelagianos, & Romam relationes desuper missas, Apostolicâ denique sententiâ rescribente ad prædicta Concilia Pelagium communione fuisse privatum : sed ubinam scribit Marius Mercator, unum ex illis Conciliis fuisse quinque Episcoporum, aut Innocentium ad omnia tria Concilia rescripsisse ? est quidem locus D. Augustini epistolâ 47. ad Valentinum

Marius Mercator.

tinum ubi : *quod scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis Episcopum de Concilio Provinciæ Carthaginensis, & de Concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à 5. Episcopis, & quid ipse ad tria ista rescripsit.* Verum hoc in loco non dicit Augustinus, epistolam à 5. Episcopis scriptam esse Synodicam Carthaginiensem : quin imò duo tantum Concilia ad Innocentium scripsisse dum meminit, 5. Episcoporum epistolam pro Synodicâ non habuit, de qua in eadem ad Valentinum epistolâ : *scripsimus etiam ad B. M. Papam Innocentium præter Conciliorum relationes litteras familiares, ubi de ipsâ causâ aliquanto diutius egimus.* Litteras 5. Episcoporum non Synodicas, sed familiares nominat Augustinus, quas non videtur scripsisse Aurelius Carthaginiensis, sed Aurelius Macomadiensis, qui tertio nominatur in inscriptione Synodicæ Milevitanæ. Ratio autem hoc asserendi videtur ex eo firmari, quod extent responsoriæ litteræ Innocentij primi ad Aurelium, Alypium, Augustinum, Evodium, & Possidium Episcopos, & præter has aliæ eodem die 6. Kalend. Februar. ad Aurelium Carthaginiensem datæ, in quibus Innocentius Papa tantum meminit familiaris epistolæ seorsim à solo Aurelio conscriptæ, quam nec ipse Aurelius scribere opus habuisset, si familiari epistolæ quinque Episcoporum per Iulium Africanæ Ecclesiæ legatum una cum Synodicis duabus Romam perferendæ subscripsisset.

9. Alia igitur videtur Synodus Carthaginiensis, cuius meminit Marius Mercator, ut post hæc scripta mecum sentire reperi Quesnellium dissertat. 13. de Conciliis Africanis, qui existimat primam Synodum Carthaginiensem habitam fuisse anno 412. & aliam anno 416. Quandoquè verosimilius credideram, primam Synodum à Mario Mercatore memoratam non esse illam, quæ anno 413. habita fuit, utpotè quæ acta sua ad sedem Apostolicam non retulit, sed illam, quæ anno 416. celebrata fuit, & secundam quæ coacta est anno 417. in Autumno : sed re sagaciori lance perpensâ, cum Marius Mercator scribat, duo Concilia Carthaginiensia occasionem dedisse Innocentio 1. damnandi Cælestium & Pelagium, & Innocentius primus anno 417. obierit die 2. Aprilis, debuit necessariò aliquod Concilium Carthaginiense fuisse ante Autumnum anni 417. celebratum. Cumque ante illud tempus duo dumtaxat Carthaginiensia Concilia in causâ Pelagij habita fuerint, quorum primum an. 412. aliud an. 416. celebrata sunt, de ijs intelligendus est Marius, cum scriptum reliquit, quod à tribus Concilijs de rebus Pelagianorũ habitis relationes missæ

 sunt

sunt Romam, unde & sub Innocentio primo Apostolica scripta emanarunt, quibus Cælestius & Pelagius Ecclesiastica communione privati sunt, quam Innocentij sententiam firmavit Zosimus post varia occasione Cælestij & Pelagij Catholicam fidem simulantium Africanos inter & Romanos inita Consilia, & missa rescripta dissertatione sequenti parum fusius examinanda, ut hic annotare sufficiat, quod S. Prosper memoriæ posterorum consecravit in chronico ad annum 419.

Zosimus. *Concilio apud Carthaginem habito 214. Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata: quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.*

CAPVT XII.

De Concilio Zellensi & Tractoriâ Syricij Papæ, & an sint supposititia.

1. *Acta Concilij Zellensis referuntur, prout edita sunt à Quesnellio in Codice Canonum.*
2. *Additur tractoria Siricij Papæ ad Africanos missa, & in Concilio Zellensi relecta.*
3. *Et acta Zellensis Synodi & tractoriam Siricij supposititia esse, tuetur Quesnellius, cuius rationes summatim referuntur.*
4. *Cæterum ex loco Concilij nullum pro suppositione actorum desumi posse fundamentum, monstratur ex eo, quod non Thelense, aut Teleptense, sed Zellense sit legendum.*
5. *Neque ex tempore, quod anno 418. 24. Februarij retinendum putamus.*
6. *Habitum fuit Zellæ in Byzacenâ Provinciâ sub Donatiano eius Primate, fuitque Provinciale.*
7. *Præfationis formam nullum suppositionis indicium continere, accuratè perpensis omnibus ostenditur.*
8. *Epistola tractoria, vel ut alij volunt, tractatoria Siricij Papæ superest unica, neque id affectatum sed potius genuini fœtus indicium. Confirmant id ipsum varij Codices M.SS. & breviatio Canonum Ferrandi Carthaginiensis Diaconi, ex quâ omnia fermè Siriciana epistolæ capita proferuntur.*

9. Caput

9. *Caput primum & secundum citantur à Ferrando additis ijs, quæ sunt in favorem Romanæ Ecclesiæ. Caput tertium convenit in sensu, & sequentia etiam in verbis cum ijs, quæ citantur à Ferrando.*

10. *Caput 9. etiamsi suadeat continentiam, non ideò reputatur suppositi- tium, quin imo vel ex hoc epistolam genuinam esse, monstramus, & quantâ Africani Antistites observantiâ Pontificiis decretis obtemperabant, vel ex hoc capite eruitur.*

1. EXtat in tomis Conciliorum Teleptense sub Zosimo Papâ habitum post Consulatum gloriossimi Honorij XI. & Constantij II. 6. Kalendas Martias, quod idem capite 60. Codicis Canonum editum est à Paschasio Quesnellio hisce verbis:

CANONES CONCILII THELENSIS.

Secundum tractatoriam Syricij Papæ per Africam.

Post Consulatum gloriosissimorum Augustorum Honorij XI. & Constantij VI. Kalend. Martij. Congregato Concilio in Ecclesiâ Apostolorum plebis Thelensis, beatus Pater primæ Sedis Donatianus civitatis Theleptensis, cum resedisset, considentibus secum Ianuario, Felice, Secundo, Cirio, Secundiano, Getâ, Eunomio, Maximiano, Donato, Cresconio, Soprato, Restituto, Iuliano, Maximino, Romano, Tertiolo, Micilo, Maximo, Donatiano, Basilio, Papiniano, Porphyrio, item Porphyrio, Donato, Iuliano, Tuto, Fortunio, Quintiano, Capione, & Cæteris Episcopis, nec non etiam Vincentio & Fortunatiano, legatis Provinciæ Proconsularis ad Bizacenum Concilium directis, Vincentius & Fortunatianus dixerunt.

*Etiam cum * Tusdrum fuissemus, sicut mecum recolit memorialis auditio vestra, & Epistolas Sanctæ memoriæ Siricij Sedis Apostolicæ Episcopi dedissemus, unaque earum recitata esset à sanctimoniâ fratris nostri Episcopi Latonij, utrasque nos afferre suggestio indicavit: has recitari donate. Episcopi dixerunt: recitentur epistolæ venerabilis memoriæ Siricij: ut noverimus, quid earum textus contineat. Cumque traderentur, Privatus notarius dixit.* * *Tisdro.*

EXEMPLUM TRACTATORIÆ SIRICIJ EPISCOPI URBIS ROMÆ.

2. *Dilectissimis fratribus & Coepiscopis per Africam, Siricius. Cum in*

unum plurimi fratres convenissemus, ad Sancti Apostoli Petri reliquias, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium, placuit ut propter emergentes plurimas caussas, quæ in Aliquantis non erant caussæ, sed crimina, de cætero esset solicitudo unicuique in Ecclesiâ curam huiusmodi habere, sicut Apostolus prædicat Paulus:

Ephes. 5. *ut exhibeat Deo Ecclesiam non habentem maculam aut rugam: ne per alicuius morbidæ ovis afflatum contaminata videretur. Quâ de re meliori Consilio id sedit, propter eos maximè, qui in præsenti valetudine corporis aut fessæ ætatis causâ minimè adesse potuerunt, litteras tales dari, non quæ nova præcepta aliqua imperent: sed quia ea, quæ per ignaviam desidiamque aliquorum neglecta sunt, observari cupimus, quæ tamen Apostolicâ patrum sanctione sunt constituta;*

2. Thess. 2. *scriptum est enim: state & tenete traditiones nostras sive per verbum, sive per epistolam. Illud certè debet mentem vestram, dilectissimi fratres, vehementius excutere, ut ab omni labe sæculi istius immunes ad Dei conspectum securique veniamus. Non*

Luca 12. *enim erimus immunes, qui præsumus plebibus. cum scriptum sit: cui multum creditum fuerit, plus ab eodem requiritur. Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed & pro populo credito cogimur reddere rationem, populum disciplinam deificam erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui statuta maiorum non tenentes, castitatem Ecclesiæ suâ præsumptione violarunt, voluntatem populi sequentes, & Dei judicium non timentes. Ergo ne pari more silentio connivere, atque adhibere consensum talibus videamur, unde gehennæ pœnas incurrere, dicente Domino: si videbas furem*

Psalmo 90. *currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas: hæc sunt, quæ deinceps intuitu divini judicij omnes Catholicos Episcopos expedit custodire.*

Vulg. & Cod Thuan. *Sedis Apostolicæ hoc est Primatis.* *Primum ut extrà conscientiam Sedis Apostolicæ Primates nemo audeat ordinare, integrum enim judicium est, quod plurimorum sententiâ consecratur.*

2. *Ne unus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam: ne furtivum beneficium præstitum videatur: hoc enim in Synodo Nicænâ constat esse definitum.*

3. *Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet.*

4. *Vt mulierem viduam clericus non ducat uxorem.*

5. *Vt is qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.*

6. *Vt de alienâ Ecclesiâ ordinare clericum nullus usurpet.*

7. *Vt abiectum clericum alia Ecclesia non admittat.*

8. Vt

8. *Ut venientes à Novatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur, eo quod rebaptizant.*

9. *prætereà quod dignum & pudicum est & honestum suademus, ut sacerdotes & levitæ cum uxoribus suis non coeant: quia in ministerij quotidianis necessitatibus occupantur; ad Corinthios enim Paulus sic scribit; dicens: abstinete vos, ut vacetis Orationi: si ergo abstinentia laicis imperatur, ut possint deprecantes audiri; quanto magis sacerdos omni momento paratus esse debet munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare cogatur? qui si carnali concupiscentiâ contaminatus fuerit, quid faciet: excusabit? quo pudore? sacrificabit vel baptizabit? quâ mente usurpabit? quâ conscientiâ? quo merito se exaudire credit, cum scriptum sit: omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Quapropter hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas excusare. Forte creditur, posse presbyterum, vel potius debere uxorem habere; quia scriptum est: unius uxoris virum? sed non permanentem in concupiscentiâ generandi dixit; sed propter continentiam futuram: neque enim integros non admisit, qui ait: vellem autem omnes homines sic esse, sicut & ego. Et apertius alibi declarat dicens: qui autem in carne sunt Deo placere non possunt: vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.*

Hæc itaque, fratres, si plenâ vigilantiâ fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses & schismata non emergent, locum non accipiet Diabolus sæviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur; caritas spiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis, cum voluntate concordabit; pax utique Dei nostri salvatoris, quam proximus passioni servandam esse præcepit, & hereditario eam jure dereliquit dicens: pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Et dictum Apostoli: ut unanimes unum sentientes permaneamus in Christo. Nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes. Non hominibus, sed Deo salvatori nostro placeamus. His præceptis omnibus, si fideliter voluerimus obedire, custodiet Dominus corpora nostra & animas nostras in die, quâ redditurus est unicuique juxtà opera sua. Si quis sane inflatus mente carnis suæ ab hac canonum ratione voluerit evagari, sciat se à nostrâ communione seclusum, & gehenna pœnas habiturum. Præterea misericordia cum judicio esse debet: Talibus enim oportet nos labentibus manum porrigere, quæ sic currentem non pertrahat in ruinam. Data Romæ in Concilio Episcoporum octoginta: sub die 8. idus Ianuarij: post Consulatum Arcadij Augusti, & Bautonis virorum clarissimorum Consulum.

3. Huc usque acta Concilij, quæ superesse traduntur, cæteris, si quæ fuerunt, temporum diuturnitate deperditis. Cæterum gravis movetur difficultas à Paschasio Quesnellio differt. 15. de hoc ipso Concilio, quod post communem eruditorum omnium applausum ipsi primo visum fuit suppositititium: *certissimum enim mihi est*, inquit, *& Synodum, & epistolam meram esse fabulam, merumque commentum.* Rationes verò addit, quarum primam repetit ex nomine Concilij in quo variant periti, plerisque Teleptense vocandum esse putantibus, cum Telense omnes Codices antiquiores habeant. Secundò ex tempore Concilij, quod 6. Kal. Martias ponitur, cum generalis totius Africæ conventus mense Maio sequente congregari deberet, & jam tum indictus esset, ad quem omnia huius Synodi acta facilè potuissent differri. 3. Ex ipsius Synodi qualitate, quæ generalis non fuit, sed Provincialis, ad quam legati aliarum Provinciarum non solent accedere. 4. Ex formâ præfationis, cuius verba aliundè desumpta sunt. 5. Ex actis ipsius Synodi, quorum unica Siricij epistola superest, quod nimis affectatum est, & à quodam Romanæ amplitudinis studioso suppositum, cum per eam ætatem certum sit, Africanos suarum Ecclesiarum administrationem ex propriarum Synodorum canonibus gessisse, nec leges Ecclesiasticæ disciplinæ à transmarinis regionibus sibi imponi passos. Demum ipsam Siricij epistolam, occasione cuius hic Synodi pannus descriptus est, commentitiam esse, tum quia caput 1. de non ordinando extrà conscientiam sedis Apostolicæ primate repugnet disciplinæ Africæ, tum quia reliqua ex epistolâ Innocentij 1. ad Victricium desumpta sunt, idque admixtis multis loquendi modis à sedis Apostolicæ stylo alienis, tum denique, quod Capitulum ultimum de continentiâ sacerdotum & levitarum solummodò sit suasorium, ubi deberet esse præceptorium. Hæc ferè omnia Quesnellius speciosè proponit, quæ parum latius exponenda sunt.

Quesnel.

4. Ac primo quoad locum Concilij, quem Baronius, Binnius, & Sirmondus Teleptensem civitatem putarunt, ducti ex eo quod Donatianus Teleptensis Bysacij Primas eidem præsedisse referatur. Verum jam dudum notavit Cardinalis Perronius cap. 48. replic. ad Angliæ regem, *Concilium Zellense malè inscribi Telense in Proemio.* Eodem nomine vocatur hoc Concilium ab Illustrissimo Parisiensium Archiepiscopo de Marca lib. 1. cap. 8. num. 4. nec sine fundamento: testatus est enim nuper vir eruditus Chiffletius in notis ad breviationem

Perronius.

canonum

canonum Ferrandi Diaconi, hanc Synodum in Trecensi Codice vocari Zellensem, cui accedit ipse Ferrandus Carthaginiensis in Africâ Diaconus, qui in suâ canonum breviatione ante undecim sæcula conscriptâ non uno sed pluribus locis citat Concilium Zellense cum epistolâ Siricij Papæ.

5. Secundò quoad tempus, habitum fertur post Consulatum Gloriosissimorum Augustorum Honorij XI. & Constantij VI. Kal. Martij, id est anno 418. 24. februarij, quo tempore cum nullum plenarium Concilium celebraretur, hæc Synodus Provincialis haberi potuit in civitate Zellensi, cuius Episcopus Donatianus adfuit collationi Carthaginiensi, ubi num 135. *Donatianus Episcopus plebis Zellensis, præsente V. C. tribuno & notario Marcellino superius mandavi & subscripsi Carthagine. Quare è diverso habeo Natalicum. Et accedente Natalico Episcopo, idem dixit: agnosco illum.* Adfuit & quidam Donatianus Concilio Carthaginiensi anno 416. eiusque Synodicæ subscriptus habetur, ad cuius nomen addit in notis Garnerius: *Zeggensis sive Zellensis*, sed undenam ipsi constet Zellam fuisse Provinciæ Proconsularis civitatem, hactenus videre non potui: sane si verum sit, quod notat Chiffletius, Zellam etiam vocatam fuisse Usulam, cum Usulensis Episcopus in catalogo Episcoporum Africæ ponatur sub Provinciâ Byzacenâ, Zellam eiusdem Provinciæ fuisse oportuit. Collat. Carthagin. Garnerius.

6. Quoad Synodi qualitatem, non plenariam sed solum Provincialem fuisse, queri potest. Habita dicitur sub Donatiano primæ sedis civitatis Teleptensis, qui Donatianus subscriptus habetur Concilio Milevitano 2. uti & insertus collationi primi diei, ubi adfuisse legitur *Donatianus Episcopus Ecclesiæ Teleptensis.* Fuit autem Telepte urbs Provinciæ Byzacenæ D. Cypriano & Augustino notissima, cumque huius urbis Episcopus hocce tempore esset Byzacenæ Provinciæ Primas, sub ipso celebratum dicitur hoc Concilium, quod occasionem tribuit Quesnellio exclamandi: „ doctis ignotum non esse, „ quid Telensis civitas, quid Teleptensis; illam in Proconsulari „ Provincia, hanc in Byzacenâ; uniusque Provinciæ Primatem „ in alterâ nec Synodum habere, nec ei præesse potuisse. „ Verum nos, qui hanc Synodum nec Telæ in proconsulari Provinciâ, nec Telepte in Byzacio; sed Zellæ in Byzacio celebratam putamus, Synodum Zellensem in Provinciâ Byzacenâ tamdiu sub ipsius primate Donatiano celebratam dicemus, quamdiu Zellam ad aliam Provinciam quam Byzacenam spectare, monstratum non fuerit. Milevit. 2. Quesnel.

7. Quoad

7. Quoad formam præfationis; eam ex variis Synodi actis conglomeratam indicat Quesnellius, quod Synodus Carthaginiensis anni sequentis eodem modo incipiat: *post Consulatum, &c.* In eodem & in Milevitano Concilio præses Donatianus reperiatur, uti & legati Proconsularis Provinciæ Vincentius & Fortunatianus. Verum quia Synodus Carthaginiensis 6. inchoat suam præfationem cum hisce
Præfatio Carthag. 6. temporum notis: *post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij XII. & Theodosij VIII. Augustorum VIII. Kalendas Iunij.* An ideo
Præfatio Zellen. supposititia hæc præfatio incipiens cum illis: *post Consulatum gloriosissimorum Augustorum Honorij XI. & Constantij VI. Kalendas Martij?* Quia item canone ultimo Concilij vulgò Milevitani secundi de Provinciâ Byzacenâ electus dicitur Donatianus Primas, & in subscrip-
Milevit. 2. tionibus secundo loco legitur: *Donatianus Teleptensis primæ sedis subscripsi*, an ideo præfatio huius Synodi supposititia credetur, quod Zellensi Synodo præsedisse dicatur Donatianus Teleptensis? tantum abesse hoc puto, ut vel hinc potius concludi deberet pro genuitate ipsius præfationis, uti & ex epistolâ Aurelij Carthaginiensis Episcopi
Aurelius. anno 419. missâ *dilectissimis ac desiderabilibus fratribus & consacerdotibus Donatiano primæ sedis, Ianuario, Felici, Palatino, Primiano, Gaiano, & alij Gaiano, Ianuario, Victorino, & cæteris per tractum Provinciæ Byzacenæ, & Arzugitanæ constitutis.* Deinde, quia in canone ultimo Milevitani jam citati electi dicuntur legati de Provinciâ Carthaginiensi, *Vincentius, Fortunatianus, & Clarus*, an ideo Fortunatianus & Vincentius in Synodo Byzacenâ hocce tempore legati esse non potuerint? Vincentius & Fortunatianus simul loquuti feruntur, quod absurdum putat Quesnellius, cum sæpius integrum Concilium dicatur locutum, & hoc etiam in usu fuerit Afris, ut eiusdem Provinciæ legati duo simul loquerentur. In Concilio Carthaginiensi 3. legitur tribus diversis canonibus, quod Honoratus & Urbanus Mauritaniæ Sitifensis legati fuerint quartò simul locuti. Canone item 90. Codicis Ecclesiæ Africanæ. *Lucianus & Silvanus Episcopi legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis dixerunt, &c.* Atqui duo legati sunt, qui perhibentur dixisse, *etiam cum Tusdrum fuissemus, &c.* Nec à vero deviant in memoriam revocantes Concilium Thusdritanum, quamvis enim nullibi in annalibus aut tomis Conciliorum huius Synodi mentio facta sit, celebratum tamen fuit Thusdri aliquod Concilium, cuius sub numeris 76. & 77. meminit Ferrandus Carthaginiensis Diaconus: fuit autem Thysdrus civitas Provinciæ Byzacenæ, utpote quam Ptolo-

Ptolomeus libro 4. Geographiæ sub Adrumeto civitate tunc Primariâ collocat: unde iterum firmatur id, quod legati dixerunt, quod cum ijsdem Patribus Byzacenis in Concilio Thusdritano fuerint, sicut enim nunc in Zellensi, ita antea in Thysdritano Concilio Episcopi Byzaceni coadunati fuerunt, ubi Latonius Episcopus legere potuit unam Siricij Papæ epistolam, vixit enim anno 411. Latonius Tenitanus, qui & collationi Carthaginiensi interfuit, ubi in cognitione primi diei legitur sub numero 120. *Latonius Episcopus Ecclesiæ plebis Tenit. Idem dixit præsto sum. Securus* (Donatistarum) *Episcopus civitatis superius dixit, agnosco illum.* Quod autem Tenit fuerit civitas Provinciæ Byzacenâ, habes ex catalogo Episcoporum Africæ per Sirmondum edito, & per Chiffletium Victori Vitensi tributo, ubi sub Provinciâ Byzacenâ collocatur: *Pascasius Tenitanus.* Et eant jam, qui volunt prologum Concilij Zellensis confictum esse ab aliquo Romani splendoris augendi studioso, quasi impostoris versutia ita tegi potuisset, ut non in pluribus peccasset. Ptolomeus. Collat. Carthagin. Catal. Episc.

8. Demum ex actis unicam superesse Epistolam Siricij Papæ, nimis affectatum asseritur & ab adulatore quodam suppositum: quasi verò, si impostoris manus hic intervenisset, unam solum, & non duas Siricij Epistolas, quarum mentionem faciunt legati Proconsularis Provinciæ, hic substituisset? si ex eo, quod monumenta antiquitatis mutila sunt, pro eorum suppositione argumentum desumere liceat, quot Concilia, quot acta, quot antiquorum scripta abjudicanda erunt? auctoritatem tamen, licet mutila, obtinent, & obtinebunt apud posteritatem, sicut & hoc Zellensis Concilij fragmentum cum Siricij epistolâ, quæ in tot antiquissimis Codicibus M.SS. reperitur, ut de eius fide vix dubitari sinat venerandæ antiquitatis maiestas. In ipsâ canonum collectione, quam Quesnellius ex Codicibus M.SS. Bibliothecæ Thuanæ & Oxoniensis editam ità deprædicat, habetur capite 60. & quod caput est, ante omnium M.SS. Codicum ætatem, Capitula quædam Zellensis Concilij citavit Ferrandus Carthaginiensis Diaconus, idque ex epistolâ Siricij Papæ, ut patet ex variis breviarij locis, quæ juxta capità ipsius Sicirianæ Epistolæ posita hic subiungimus. M.SS. Cod.

Ex Epistola Siricij Papæ.

1.

Ut extra conscientiam Sedis Apostolicæ hoc est Primatis, nemo audeat ordinare, integrum enim judicium est, quod plurimorum conscientia consecratur.

2.

Ne unus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam: ne furtivum beneficium præstitum videatur hoc enim in Synodo Nicænâ constat esse definitum.

3.

Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debeat.

4.

Ut mulierem viduam clericus non ducat uxorem.

5.

Ut is qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.

6.

Ut de alienâ Ecclesiâ ordinare clericum nullus usurpet.

7.

Ut abiectum clericum alia Ecclesia non admittat.

8.

Ut venientes à Novatianis vel Montensibus

Ex Breviatione Canonum Ferrandi Diaconi.

4.

Ut Episcopus à tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. Concil. Nicæn. titul. 4. item titul. 6. Concil. Antiochen. titul. 19. Concil. Laod. titul. 12. Concil. Carthagin. sub Antistite Genethlio titul. 10. Concil. universali Carthagin. titul. 49. Concil. Zellensi. Ex epistolâ Papæ Siricij.

6.

Ut unus Episcopus Episcopum non ordinet. Exceptâ Ecclesiâ Romanâ. Concil. Zellen. ex epistolâ Papæ Siricij.

3.

Ut qui post baptismum sæculari militiæ nomen dederit ab ordinatione arceatur. Concil. Cellensi.

130.

Ut mulierem clericus non ducat uxorem, & ut is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum. Concilium Zellens. Ex epistolâ Papæ Siricij.

Deest in Ferrando.

138.

Ut abiectum clericum alia Ecclesia non admittat.

174.

Ut venientes à Novatianis vel Montensibus

tensibus per manus impositionem suscipiantur, eo quod rebaptizent.

tensibus per manus impositionem suscipiantur. Concil. Zellensi. Ex epistolâ Papæ Siricij.

9.

Præterea quod dignum & pudicum est & honestum suademus, ut sacerdotes & levitæ cum uxoribus suis non coeant, &c.

16.

Ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abstineant. Concil. Carthag. titul. 1. Concil. Zellensi.

9. Ex hisce Siricij Papæ capitulis primum expendimus supra, quod ideo integrum non reperitur apud Ferrandum titul. 4. quia ibi de ordinandis Episcopis varia canonum statuta referuntur. Caput 2. de non ordinando Episcopo ab uno etiam refertur à Ferrando titul. 6. sed additur. *Exceptâ Ecclesiâ Romanâ*. Quod reverà non esse Ferrandus. in epistolâ Siricij à Concilio Zellensi exhibitâ, fidem faciunt tot manuscripti Codices, quotquot istius epistolæ inveniuntur: additum itaque oportuit, nimirum ab ipso Ferrando, ut fidem faciunt exemplaria breviationis canonum sub ipsius nomine edita, & ex antiquioribus M. SS. Codicibus per Iustellum & Chiffletium typis excusa: unde & Christianus Lupus in notis ad appendicem canonis 4. Nicæni hoc Ferrandi testimonio utitur ad asserendum Sedis Apostolicæ privilegium. Scio quidem huic contradicere Paschasium Quesnellium dissert. 15. cap. 2. qui hoc longè à sensu Africanæ Ecclesiæ alienum putat. Afferens Concilium Carthaginiense sub Bonifacio anno 525. quod tempore Ferrandi renovavit canones de non appellando trans mare: verum mirari lubet, virum eruditum ex canonibus, qui pro presbyteris Afris statuti fuerunt, quibus ex antiquâ gentis regulâ aut more appellatio transmarina interdicta erat, aliquid piscari conatum contrà Sedis Apostolicæ privilegia nullam cum appellationibus connectionem habentia. Deinde in eadem Synodo ex Concilio decimo citatur, *ut Episcopi ad transmarina pergere non facilè debeant*, quibus Concil. Carthagin. sub Bonifacio. verbis indicatur, ob graves rationes licitum fuisse Episcopis ad transmarina judicia pergere, & prout ante & post Augustini tempora sæpius factum est, ad transmarina appellare, ut ex Concilio Carthaginiensi sub Bonifacio etiam quoad appellationes pro jure Apostolicæ sedis habeatur testimonium. Caput 3. quoad sensum habetur etiam sub titulo 3. apud Ferrandum, sed cum verba eadem non sint, & loco Zellensis citet Concilium Cellense, videtur ex solo Cellensi Concilio Canonem illum retulisse, omissâ obinde citatione ex epistolâ Siricij

Papæ, ex quâ etiam omittit in suâ canonum breviatione titulum sextum Papæ Siricij, quod non omnes omnium Conciliorum Africanorum canones, sed aliquos dumtaxat citandos assumpsisset. Capita 4. & 5. ijsdem verbis citat. Ferrandus sub tit. 130. uti & caput Siricij 8. sub titulo 174. in quo mentio fit Montensium & Novatianorum, de quibus meritò ad Afros scripsit Siricius, quod in Africâ Novatiani & Montenses tunc temporis reperiebantur.

10. Sola quæstio restat de capite 9. ubi Siricius Papa suadere videtur continentiam ab uxoribus, quasi lege continentiæ non tenerentur sacerdotes & Levitæ, ubi tamen ipse Siricius epistolâ ad Himerium Tarraconensem scribit: *sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora.* Ex quibus verbis impolturam manifestam fieri putat Quesnellius, qui numquam, quoties de continentiâ clericorum actum fuit in Conciliis Carthaginiensibus, aliquam mentionem Telensis Concilij vel Siricij factam esse animadvertit. Verum cum numquam mentio facta reperiatur aliorum Telensium statutorum, parum aut nihil urget hoc argumentum negativum: & quod Quesnellius absurdum putat de admonitione pro continentiâ, hoc Parisiensis Archiepiscopus de Marca lib. 1. cap. 8. tanquam egregium testimonium deprædicat pro investigandâ Africanæ Ecclesiæ disciplinâ. Putat Africanos nullâ certâ lege scriptâ ad continentiam clericorum, obstrictos fuisse ante Siricium Papam, quod ego ita exponendum assumo, ut ab initio Ecclesia Africana continentiam servarit, eamque illa ab Ecclesiâ Romanâ per traditionem receperit, quam maior clerus consuetudine roboravit usque ad tempora Damasi Papæ, vel Siricij, de quo auctor catalogi tempore Iustiniani Imperatoris: *hic constitutum fecit de omni Ecclesiâ, & direxit per Provincias.* Constitutum enim illud fuisse de continentiâ à maiori clero servandâ, testis est ipsius Siricij successor Innocentius I. in illâ, quam ad Exuperium dedit, epistolâ, ubi loquens de continentiâ Presbyteris & Diaconis per Siricium præscriptâ: *nam si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse; his ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero penitus incipiant abstinere.* Non agit Innocentius de incontinentiâ illorum, qui ad sacros gradus promoti erant cœlibes, de quorum continentiâ numquam dubitatum fuit, sed de illorum continentiâ, qui matrimonio juncti sacros gradus perceperant: & de hisce dubium emerserat,

Siricius.

Catalogus Rom. Pontif. in Siricio.

Innocent. I.

emerserat, an continentiæ legibus tenerentur, negabant enim greci & eorum consuetudo in quasdam occidentis partes irrepsisse videbatur, uti indicant verba Innocentij primi superius relata ex epistolâ ad Exuperium Tolosanum: id quoque indicat pro Hispaniâ Siricius in epistolâ ad Himerium Tarraconensem, ubi plurimos sacerdotes Christi atque levitas post longa consecrationis suæ tempora de coniugibus propriis sobolem procreasse refert. Id demum pro Africâ idem Siricius sufficienter indicat in suâ ad Africanos Episcopos tractoriâ à Concilio Zellensi probatâ, in quâ tamen non adeò rigorose incontinentes primâ vice ducit puniendos, quod sciret Afros præ cæteris Patriarchatus occidentalis populis ad incontinentiam semper fuisse proclives, & tam *infrequens & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quam novum & inauditum, Afrum non esse Afrum*, ut loquitur libro 7. de gubernatione Dei Salvianus Presbyter Massiliensis. Sciebat hæc omnia Siricius Papa, & ne incontinentes quidam clerici illic reperti in peius declinarent, leniter primo cum illis agendum ducit, & suasorio modo procedit, sic tamen ut præceptum continentiæ sacerdotibus & levitis ex Apostolicâ traditione impositum probet, & incontinentiam illorum opprobrium vocet: unde & Ferrandus hanc Siricij admonitionem rectè pro mandato habuit, cui Ecclesia Africana adeo fideliter obtemperavit, ut missâ hâc Siricij tractoriâ anno 385. ad Provincias Africæ, in signum suæ erga sedem Apostolicam reverentiæ coadunati totius Africæ Episcopi illicò continentiam maioris cleri scripto canone firmarint, ut fidem facit Synodus Carthaginiensis secunda canone 2. *cum in præterito Concilio de Continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui constrictione quadam castitati per consecrationes annexi sunt, Episcopus inquam, presbyter & Diaconus, tractatu pleniore, ut pudicitiam custodiant, doceantur.* Concilio præterito, id est inquit à Marca, *ad summum anno 388. eâ de re scriptam fuisse legem apud Africanos*, quam anno sequenti 389. Carthaginiense secundum tractatu pleniore exponendam ducit ex quibus omnibus lucet, tantum abesse, quod hoc ultimum caput Syricianæ epistolæ aliquod indicium secum ferat suppositionis, ut potius ex illo de genuitate constet epistolæ, quia modus scribendi congruit rebus & tempori.

Salvianus.

Carthag. 2. Canon 2.

Marca.

CAPVT XIII.

De Concilio Carthaginiensi Sexto. Fl. Monaxio & Plinta Coss. anno 419. ubi & de Codice Canonum Africanæ Ecclesiæ.

1. *Occasio Synodi ex causâ Apiarij, & sententia quorumdam de tempore illius variis annis continuata.*
2. *Eodem anno finitam fuisse, quo incboata est, putat Perronius, annus autem ex Coss. colligitur, qui extant in præfatione, cui 10. tituli canonum subijciuntur.*
3. *Sequitur in tomis Conciliorum alterius Synodi titulus, tanquam Carthaginiensis septima, cum tamen sit eiusdem Carthaginiensis sexta, sed actionis secunda, ut probat Perronius.*
4. *In Concilio vulgò Africano canone 100. post relatum canonem 5. actionis secundæ mentio fit discessionis legatorum finito nimirum Concilio, unde de tempore huius Synodi novum argumentum pro sententia Perronij.*
5. *Sola quæstio restat de Concilio vulgò Africano centum titulorum, cui addit Dionysius Exiguus alios 33. canones tanquam Carthaginiensis sexti: Codicem hunc à 217. Episcopis in Concilio Carthaginiensi factam tuentur plures, contrà quos sentit Perronius, putans particularis cuiusdam collectoris opus esse.*
6. *Adfertur titulus Codicis ex Variis, & expensis quibusdam ex 33. canonibus, sententia Perronij laudatur.*
7. *Post 33. canones sequuntur in Codice alij centum, qui plerisque in locis fidelius referuntur.*
8. *Non deesse tamen suos nævos ex variis subsequentium canonum titulis ostenditur, ex quibus & de auctore huius Codicis aliqua aperiuntur.*

1. EXtat in tomis Conciliorum Concilium Carthaginiense ordine, ut vocatur, sextum, de quo putant plerique, quod habitum sit Monaxio & Plintâ consulibus occasione Apiarij Siccensis presbyteri, qui

qui ab Urbano Episcopo suo damnatus Romam appellaverat, & à Sozimo Papâ communioni restitutus fuerat. Cumque tam ob Appiarij causam, quam ob alias rationes modum Apellationum tangentes à Zozimo transmissi fuissent Faustinus Ecclesiæ Potentinæ Episcopus, Philippus & Asellus presbyteri, iique mortuo Sozimo causam suam prosecuti sint in Concilio Carthaginiensi sexto mense Maij habito, & per quinque annos usque ad Cælestini tempora protracto, donec de canonibus Nicænis constaret. Idem planè sentiunt doctores Colonienses in sua Conciliorum editione, qui Synodo hunc præfixerunt titulum: *Concilium Carthaginense nomine VI. ordine tempor. 5. tempore Sozimi, Bonifacij, & Calestini.* Quod pluribus Binnius exponit in notis. Tit. Concil.

2. Verum hisce se opponit Eminentissimus Cardinalis Perronius cap. 38. sæpius citato, putatque eodem anno, quo inchoata fuit Synodus Carthaginiensis sexta, eodem & finitam, Consulibus nimirum *Monaxio & Plinta*: seu *post Consulatum Honorij 12. & Theodosij VIII. Augustorum VIII. Kalendas Iunij Carthagine in secretario Basilica Fausti*, sub Aurelio Carthaginiensi cum ducentis septemdecim Episcopis coram Faustino Potentino Episcopo Philippo & Asello Presbyteris ac Sedis Apostolicæ legatis, ut habet præfatio huius Synodi. Adduntur tituli canonum sequentes:

1. *Allocutio Aurelij Episcopi sancti ad Synodum.*
2. *Responsio Faustini Episcopi legati Romana Ecclesia de his, qua in Ecclesia partim canone partim consuetudine sunt firmata.*
3. *De commonitorio Romani Papa citato.*
4. *Alipij Episcopi responsio pro veris exemplaribus Nicani Concilij perquirendis.*
5. *Vbi Faustinus Episcopus dixit, ut Romano Papa Synodus pro inquirendâ Nicena Synodi veritate innotescat.*
6. *De sententiâ Sardicensis Concilij recitata à postulante Novato Episcopo.*
7. *Vbi Augustinus Episcopus cum Synodo Nicanum Concilium servare promittit.*
8. *Vbi Faustinus Episcopus pro dubietate recitati capituli Romano Papa petit scribendum.*
9. *Vbi Synodus exemplaria Nicani Concilij magis ab orientalibus competenda decrevit.*
10. *Professio fidei Nicani Concilij.*

3. Sequitur post hanc Synodum in tomis Conciliorum alterius titulus

tulus hisce verbis conceptus : *Concilium Carthaginense septimum 38. Episcoporum.* Eiusque præfatio habet : *post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij 12. & Theodosij 8. Augustor. 3. Kalend.* Iulij Carthagine in secretario Basilicæ restitutæ, cum Aurelius Episcopus una cum Faustino Ecclesiæ Potentinæ Provinciæ Italiæ piceni, legato Romanæ Ecclesiæ, Vincentio Culusitano, &c.* Quod non aliud Concilium, sed prius dumtaxat continuatum animadvertit cum Annalium parente Eminentissimus Cardinalis Perronius, qui ita loquitur cap.48. *Que le 6. Concile de Carthage & le septieme ne furent point deux divers Conciles, ains deux actions d'un seul & mesme Concile ; l'une celebrée le huictieme des Calendes de Iuin* sous le douzieme consulat d'Honorius, & l'autre celebrée trois Iours apres, c'est à dire le cinquieme de Calendes de Iuin * sous le mesme douzieme consulat d'Honorius, mais qu'elles sont contées comme deux Conciles differents, d'autant que la premiere fut tenuë par tout les deux cents dix sept evesques, qui estoient venus au Concile, & la seconde fut tenuë par les vingt deux deputez, qui resterent pour achever les affaires du Concile apres que les 217. Evesques eurent esté licentiez. Car ce que l'illustrime Cardinal Baronius, & les Docteurs de Cologne ecrivent, que les 217. Evesques n'assisterent à la premiere action du Concile, que par leurs deputations & signatures, & qu'il ny eut de presents à la primiere action, que les 22. deputez, qui se trouverent à la seconde, meuz de ce, que le procez verbal de la premiere porte : Seant Aurelius & les divers legats des Provinces Africaines, est combattu & par l'ancien usage des Conciles d'Afrique, qui nous apprend qu'il y avoit grande difference entre les deputez que les Provinces elisoient pour assister aux Conciles, & les deputez que les Conciles elisoient pour achever le reste de leurs affaires : & par l'ouverture de la premiere action, ou Aurelius rendit Graces à Dieu de l'arrivée d'une si grande compagnie ; & par l'ouverture de la seconde, ou il fut dit que les vingt deux deputez avoient esté eleuz, pource que les autres evesques c'estoient plaints de ne pouvoir attendre la fin des affaires du Concile.* Placuit hunc totum Perronij discursum exscribere, quia morem Africanæ Ecclesiæ aperit de eligendis singularum Provinciarum Episcopis, prout vigintiduo ex ducentis septemdecim delecti sunt, qui actione 2. Concilij Carthaginiensis sexti statuerunt canones 5. quorum tituli sunt.

Synodi Præfatio.

* *Iunias.*

Perronius.

* *Apres.*

* *Apres.*

1. *De excommunicatis, ut ad clericorum accusationem non admittantur.*
2. *De personis, quibus clericorum accusatio interdicitur.*

3. De

3. *De his qui primum crimen objectum non probarunt, ut ad cætera non admittantur.*
4. *De personis, quæ adversus clericos testimonium dicere prohibentur.*
5. *De eo, quem solo suo testimonio præsumpserit excommunicandum Episcopus.*

4. Atqui hæc sunt, quæ Concilio Carthaginiensi sexto attribui possunt, canones nimirum quatuordecim, quorum novem priores statuti sunt à ducentis septemdecim Episcopis actione 1. quinque posteriores ab Aurelio Carthaginiensi Primate, cum diversarum Provinciarum viginti duobus legatis præsente Faustino sedis Apostolicæ legato, qui statim post secundam actionem discessit, ut notat Perronius ex canone 100. Concilij vulgò Africani, in quo post relatum canonem 5. actionis secundæ Aurelius dixisse perhibetur: *quæ vero adhuc expressa non sunt, die sequenti per fratres nostros Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum presbyteros venerabili fratri & Coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus.* Quo ex loco probat Peronius, die sequenti Faustinum discessisse, fine nimirum imposito Concilio Carthaginiensi 6. ut non modò Concilium sextum non duraverit quinque annis, sed nec usque ad reditum legatorum, qui ad Cyrillum Alexandrinum & Atticum Constantinopolitanum missi erant jussu Concilij Carthaginiensis 6. pro exquirendis statutis Nicæni Concilij, quæ anno 419. Monaxio & Plintâ consulibus adducta sunt mense Novembris, unde & ad Bonifacium primum ex Africâ missa sunt eodem anno 6. Kalendas Decembris, ut fidem facit titulus Symboli Nicæni in Concilio vulgò Africano sub num. 104. *exemplaria Concilij Nicæni directa sub die 6. Kalendas Decembris post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij XII. & Theodosii* * *IX. Augustorum Bonifacio urbis Romæ Episcopo.* Ex quibus constat verum esse Perronij effatum, quæ post secundam actionem Concilij Carthaginiensis sexti habita feruntur de appellationibus, non esse à patribus acta in uno continuato Concilio, sed in pluribus: *& que toutes les assemblees, qui se firent depuis*, inquit Perronius, *furent autant de Conciles distinctes & separez.*

Canon 5. Act. 2.

Tit. Symboli Niceni.

* VIII.

Perronius.

5. Sola quæstio esse potest de Concilio vulgò Africano, cuius auctor anonymus omnium mortalium primus acta de appellationibus sub Zosimo, Bonifacio, & Cælestino in unum Concilium sub 100. numeris redegit, quibus addit Dionysius Exiguus triginta tres canones, tanquam essent Concilij Carthaginiensis post consulatum Honorij 12. & Theodosij VIII. in quo Codex centum canonum

Africanorum fuerit firmatus; quod idem volunt collectores Græci, quorum collectionem Africanorum canonum Christophorus Iustellus edidit ante sexaginta annos in Galliis, & nuper ex Codice Amerbachiano cum notis Zonaræ, Aristeni, & Balzamonis Gulielmus Beveregius in Angliâ, quæ ultima editio totam hanc collectionem in quatuor actiones partitur, tanquam omnes canones unius essent Concilij. Defendunt quidem novi collectores Beveregius & Iustellus Codicem hunc tanquam collectionem à 217. Africanis Episcopis in Concilio Carthaginiensi factam, sed repugnat Cardinalis Perronius, qui disertè scriptum reliquit cap. 48. contrà Angliæ regem: *nous au contraire, pretendons qu'il y à esté compilé par quelque rapsodiste impertinent, soit Africain pendant le dernier & plus Barbare temps de la domination de Wandales en Afrique, soit Europeen pendant que l'heresie & la tyrannie des Wandales empeschoient les Catholiques de deça la mer de pouvoir avoir exacte communication & connoissance des choses Ecclesiastiques d'Afrique. Et sommes appuyez en ceste creance par infinies raisons.* Rationes has edito integro canonum Africanorum Codice jam typis mandare paraveram, cum ecce temporis penuriâ ab instituto cogor desistere, & pro notis ad unumquemque Codicis canonem specimine aliquo lectorem benevolum dimittere.

Perronius.

6. Habet Codex hunc titulum in Græco apud Zonaram, Aristenum, & Balzamonem: *canones 217. beatorum Patrum, qui Carthagine convenerunt.* Apud Photium in præfatione ad Nomocanonem: *Synodi Carthaginensis canones CXXXVIII.* Apud Iustellum in Cod. M. S. *Codex canonum Africanæ Ecclesiæ.* Et incipit: *post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij 12. & Theodosij 8. Augustorum, 8. Kalendas Iunias.* Quod est verum exordium Synodi Carthaginiensis 6. an. 419. habitæ, cui & proinde hoc in Codice attribuuntur novem priores canones, cuius tituli numero 2. retulimus supra. Additur hoc in Codice: *statuta quoque Nicæni Concilij in viginti capitulis similiter recitata sunt. Deinde quæ in Conciliis Africanis promulgata sunt actis præsentibus inserta noscuntur.* Capitula vero illa in Conciliis Africanis promulgata referuntur triginta tria, quæ jam dudum ante nos contrà Angliæ regem expendit Cardinalis Perronius, & non ab aliquâ Synodo Africanâ, sed potius particulari rapsodistâ in ordinem congesta fuisse, ijs rerum momentis demonstrat, quæ nemo prudens contempserit. Canon 2. *de Trinitate prædicandâ* desumptus fuit ex Concilio Carthaginiensi 2. sub Genethlio, ubi reperitur ordine 1.

Tit. Codic. Photius. M. S. Cod. Can. 2. Cod.

ne 1. & incipit ex editione Lucæ Holstenij: *Genethlius Episcopus dixit,* at hic inchoat cum illis verbis: *universum Concilium dixit.* Cui accedit, quod in Codice Africano non referatur integer sed tertiâ parte truncatus, quod non nisi à quodam particulari rapsodistâ fieri potuit. Canon 4. Codicis de diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis incipit: *Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ Provinciæ Piceni legatus Romanæ Ecclesiæ dixit. Placet ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant &c.* Can.4. Cod. Qui non est canon Concilij Carthaginiensis 6. sed posterior pars canonis secundi Concilij Carthaginiensis 2. statutus 29. annis antequam Faustinus Zosimi Papæ legatus ad Africam pervenit. Canones decimus & undecimus Codicis, ab Alypio Episcopo Provinciæ Numidiæ legato statuti referuntur, cum non duo sed unicus sit canon inter Carthaginienses sub Genethlio ordine octavus eo tempore statutus, quo Alypius nondum erat Episcopus. Canonem 13. Codicis Aurelio tributum ex tribus canonibus Carthaginiensis 2. in unum conflatum esse, notat Perronius, quod idem de canone 15. Codicis habet Labbeus, qui ex tribus canonibus Carthaginiensis tertij confectus est, uti & canon 16. Codicis ex quatuor: *liez, & confus sans ordre les uns avec les autres*, ut scribit Perronius. Perronius. Canon 25. Codicis auctorem suum prodit, qui eumdem ex Concilio Carthaginiensi 5. desumendo interpolavit, ut manifestum fiet, si hunc cum canone 3. Carthaginiensis 5. componas. Quid plura? post allatos complures canones Carthaginiensis 5. subdit auctor canonem 32. qui iterum desumptus est ex Carthaginiensi tertio: & huic collectioni 33. canonum audet subijcere hanc clausulam in M. S. Codice relatam: *finis canonum Synodi Sanctorum Patrum 217. cum Aurelio Carthagine congregatorum.*

7. Nec hic finit collector sed post hanc conclusionem novum titulum refert: *canones diversorum Conciliorum Ecclesiæ Africanæ.* Et addit in Codice: *recitata sunt etiam, in istâ Synodo diversa Concilia universæ Provinciæ Africæ, transactis temporibus Aurelij Carthaginiensis Episcopi celebrata.* Canones illi sunt numero centum, quos omnes desumpsit collector ex Concilio vulgò Africano, cuius auctor alius est ab eo, qui totum Codicem Synodo Carthaginiensi 6. supposuit vel 33. priores canones in ordinem redegit. Incipit auctor cum Concilio Hipponensi, & post Consules ibidem citatos addit: *gesta huius Concilij ideo descripta non sunt, quia ea, quæ ibi statuta sunt, in superioribus probantur inserta,* Cod.Canon. quæ nec ad 33. canones, nec ad Synodum

dum Carthaginiensem 6. referri possunt, utpote in quibus non reperiuntur statuta Hipponensia. Pergit ad canones, quorum plures ex Concilio Carthaginiensi desumpsit, & ex duobus in unum conflavit,
Can.43.Cod uti patet in canone 43. Codicis ex 31. & 32. Carthaginiensis tertij confecto, & in canone 45 Codicis ex canonibus 34. & 35. Carthaginiensis tertij composito. Habet tamen aliqua longè correctiora, quam apud alios collectores inveniuntur, ut patet nominatim ex ca-
Can.52.Cod none 52. Codicis de visitandis Provinciis, qui est canon 42. Carthaginiensis 3. à collectore istius Synodi omissus, qui ut locum omissi canonis 42. suppleret, mediam partem canonis 43. loco 42. supposuit, ut constat ex canone 53. Codicis ubi unâ serie referuntur, quæ in Concilio Carthaginiensi 3. seorsim excuso à se invicem ineptè di-
Can.70.Cod visa sunt. Canon 70. Codicis statuit, ut Presbyteri & Diaconi ab uxoribus abstineant secundum priora statuta. Ea à Græcis versa sunt: *κατὰ τούς ἰδίους ὅρους Secundum proprios terminos*, quæ cum æquivocum reddant sensum, ita à Zonarâ, Aristeno, & Balzamone exponuntur, ac si per vices & hebdommadas sui ministerij tantum ab uxoribus sese continere debeant, quod longè à sensu canonis alienum esse nemo non videt, qui vel illum in Codice legit.

8. Non desunt tamen huic Codici Africano sui nævi in posterioribus canonibus, ubi num. 90. referuntur plura de legatis diversarum Provinciarum tanquam distincta Synodi Carthaginiensis anno 403. statuta, cum sint eiusdem præfatio continuata. Canone 93. Codicis refertur præfatio Concilij Carthaginiensis anni 405. & addi-
Actor Codic. tur: *huius Concilij gesta ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quam aliqua generalia, constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum eiusdem Concilij brevem digessi*. Quæ verba privatum collectorem spirant, uti & illa in cano-
Canon 100. Codicis. ne 100. *sanctum Augustinum*, quæ fidem faciunt, collectorem vixisse post mortem Augustini, cum sanctus dicebatur. Fuit autem hic collector, qui duos canones 117. & 118. ex unico confecit: qui posteriorem sessionem Concilij Carthaginiensis 6. à priore avulsam sub titulo 127. collocavit: qui canonem 5. posterioris illius sessionis in duos divisit: qui non modo Synodicam Carthaginiensis 6. ad Bonifacium Papam, sed & rescripta Cyrilli VI. Kalend. Decembris ad Bonifacium directa apposuit, & non Attici modo epistolam cum exemplaribus Nicænis eidem adiunxit, sed & Epistolam Concilij Africani ad Cælestinum Pontificem, diu postea datam tanquam

Carthagi-

Carthaginiensis 6. Synodicam sub tit. 138. collocavit. Finita fuit Synodus Carthaginiensis anno 419. Kal. Iunias, & finitâ Synodo data fuit die sequenti Synodica ad Bonifacium primum, & eo non obstante attribuit Synodo sextæ Carthaginiensi auctor Codicis litteras 6. Kal. Decembris datas ad Bonifacium, qui usque ad annum 422. superfuit, ut nemo sit, quin videat ineptissimum esse, Synodo Carthaginiensi sextæ tribuere Synodicam ad Bonifacij successorem Cælestinum, qui 3. Novembris anno 422. Pontificatum adeptus est. Atqui hæc sufficiant de Conciliis Africæ, eorumque canonibus, & canonum collectione.



DISSERTATIO IV.

DE SUCCESSIONE EPISCOPORVM CARTHAGINIENSIVM INCREMENTIS ET DECREMENTIS AFRICANÆ ECCLESIÆ,

Usque ad eiusdem interitum sæculo 8. per Sarracenorum irruptiones introductum, & huc usque continuatum.

CAPVT I.

De Successione Primatum Carthaginiensium.

1. *Difficultas perveniendi ad notitiam Successionis Præsulum Carthaginiensium ex defectu monimentorum: Augustinus mentionem facit* 70. *præcessorum D. Cypriani, non quod ante Cyprianum* 70. *Episcopi sederint Carthagine, sed cum Agrippino* 70. *Episcopi in unâ Synodo simul adfuerint.*
2. *Primum, quem novimus Carthaginiensium Episcoporum, esse Agrippinum,* 2. *Cyrum, tertium Donatum Cypriani Antecessorem, ex variis testimoniis eruitur.*
3. *Donato anno* 248. *Successisse Cyprianum, Cypriano anno* 258. *Lucianum, Luciano Restitutum, & Restituto Mensurium, qui sub Diocletiano sedit, paucis ostenditur.*
4. *Mensurio anno* 306. *Successit Cæcilianus, qui pro competitore primò habuit Maiorinum, deinde Donatum à Casis Nigris. Cæciliano successit Rufus, qui pro competitore habuit Donatum Magnum,* à quo, *teste Hieronymo,* per Africam Donatiani.
5. *Rufo successisse Gratum, & Grato Genethlium, sub quo pulso Carthagine Donato à Donatistis electum fuisse in schismate Parmenianum, ex variis testimoniis deducitur.*

6. Gene-

6. *Genethlio successit anno 390. Aurelius, qui usque ad Cælestini tempora post annum 243. sedit. Aurelium subsecutus est Capreolus, Capreolum Quodvultdeus, ut testis est Victor Tunnonensis, cui addit Victor Vitensis, Quodvultdeum in exilium à Wandalis missum.*
7. *Post interregnum 15. annorum anno 454. ordinatus est Carthagine Deogratias, quo post tres annos defuncto, mansit Ecclesia 24. annis sine pastore, ut primum anno 480. Eugenius successerit Deogratias, qui usque ad annum 496. superfuit.*
8. *Eugenio mortuo mansit viduata Ecclesia per annos 27. sub Imperio Trasimundi regis.*
9. *Post Trasimundi obitum Ecclesiæ apertæ sunt, & anno 523. Bonifacius Episcopatum Carthaginiensem adeptus est, cui anno 335. successit Reparatus.*
10. *Reparato anno 552. ob defensionem trium capitulorum deposito substitutus fuit Primosus, qui est ultimus successorum Carthaginiensium, quem novimus, quamvis alios quosdam ex subsequentibus sæculis habeamus sibi non immediate succedentes.*

1. ETiamsi plures in Africæ Provinciis fuerint Primates, eorum tamen successionem investigare opere difficillimum foret, quod non in unâ sed diversis civitatibus sederint; uno Carthaginiensi excepto; cuius sedes in eadem semper civitate permansit. Nec ex minimis difficultatibus censeri debet, quæ de successione Episcoporum Carthaginiensium exurgit; cum enim nemo, quod sciam, eorum Cathalogum posteritati consecravit, indagantem successores in sede Carthaginiensi primates oportet cuncta antiquitatis monimenta percurrere, & in sepultis plerumque sub ruderibus vetustatis Carthaginiensium Præsulum memoriis divinare sæpius, quam certum aliquid asserere. Scripsit quondam magnus Africanæ Ecclesiæ splendor Augustinus librum de unico baptismo contrà Petilianum, & cap. 13. mentionem facit *de septuaginta Præcessoribus Cypriani*: unde quæri posset, num septuaginta præcessores in sede Carthaginiensi habuerit Cyprianus, nisi res ipsa obsisteret, & tantam Presulum Carthaginiensium multitudinem temporis brevitas erroris argueret, ac septuaginta Præsules duobus sæculis in unâ sede sibi successisse, incredibile effecisset. Cum itaque sic locutus est Augustinus, intelligendus venit cum D. Cypriano epistolâ 70. *de* Augustin. Cyprianus.
Antecesso-

Antecessoribus, nimirum septuaginta totius Africæ Episcopis, qui ipsius tempora antecedentes tanquam Coepiscopi cum Agrippino Carthaginiensi, ut interpretatur epistolâ 71. de rebaptizatione hæreticorum constituerant: sicque ipse Augustinus cap. 14. *hoc de Agrippino aliisque Episcopis, qui illa Concilia fecisse perhibentur*, intelligenda tuetur.

Augustin.

1. Agrippin.

2. Primus itaque, quem novimus ex primis sedis Carthaginiensis Episcopis, refertur apud Cyprianum Agrippinus, qui ad initium sæculi tertij superfuisse existimatur, utpote qui à Tertulliano in partem pro rebaptizatione hæreticorum tractus Concilium habuit anno 245. cum 70. Africæ & Numidiæ Episcopis. Cyprianus epist. 78. ad Quintum, & 73. ad Iubaianum, Augustinus libro 4. de baptismo, cap. 6. & Vincentius Lerinensis contrà hæreses, cap. 9.

2. Cyrus.

Martyrolog.

Sequitur secundus, quem novimus, Cyrus: cum enim Martyrologium Romanũ pridiè idus Iulij habeat: *Carthagine sancti Cyri Episcopi in cuius Festivitate Sanctus Augustinus de eo sermonem ad populum habuit*, & Possidius Calamensis in Africâ Episcopus attestetur in indiculo operum Augustini de sermone ab eo in Cyri festivitate habito, debuit Cyrus Carthagine sedisse ante Augustinum, cumque vix tempus appareat, quo Cyprianum inter & Augustinum eius Episcopatus assignaretur, & Pontio Cypriani Diacono teste plures ante Cyprianum *ex bonis & sacerdotibus* sederint, Cyrum unum ex illis fuisse arbitramur, qui Cyprianum præcesserunt, quidquid post Cyprianum sedisse ad an. 303. autumet Baronius.

Pont. Diac.

3. Donatus.

Tertius nobis notus est Donatus Cypriani Antecessor, sub quo nonaginta Episcoporum Concilium celebratum fuit contrà Privatum hæreticum, uti clarè testatur Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Papam.

4. Cyprian.

Fasti Idacij.

3. Donato anno 248. *Philippo & Augusto consulibus* successit Cyprianus, qui ut referunt Fasti per Sirmondum editi sub nomine Idacij, *Tusco & Basso consulibus passus est die 18. Kalendarum Augusti*. Præfuit itaque Ecclesię Carthaginiensi usque ad annum 258. quo laudati consules reperiuntur in fastis.

5. Lucianus.

S. Optatus.

Cypriano anno 258. successit Lucianus teste S. Optato Milevitano lib. 1. contrà Parmenianum, ubi enumerans Cæciliani Antecessores, *erat*, inquit, *altare loco suo in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt Cyprianus, Lucianus & cæteri.*

6. Restitutus.

Luciano successit Restitutus, quamvis Baronius ad an. 261. existimet, quod post Lucianum substitutus fuerit Mensurius. Cum enim in Martyrologio

tyrologio Romano ad quintum idus Decembris habeatur, *Carthagine S. Restituti & Martyris, in cuius solemnitate sanctus Augustinus de eo ad populum sermonem habuit*, & huic Augustini Sermoni attestetur in operum Cathalogo Possidius Calamensis, debuit Augustinum inter & Cyprianum vixisse, ante quem Pontius eiusdem Cypriani Diaconus testatur nullum Episcopum sedisse, qui ad passionem venisse memoratur. Martyrolog. Roman.

Restituto succedere potuit Mensurius, qui ut rectè Baronius, tempore Diocletiani sedisse reperitur. Circa initium sæculi tertij exorta est Diocletiani persecutio, & antequam pacis tempora sub Maxentio Imperatore illuxerant Ecclesiæ, obiit vel in comitatu, vel in itinere, cum teste S. Optato lib. 1. *jussus reverti Carthaginem, pervenire non potuit.* 7. Mensurius S. Optatus.

4. Mensurio anno 306. successit Cæcilianus, cum eo anno *jubente Deo indulgentiam mittente Maxentio Christianis . . . Suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano Episcopus ordinatur*, ut habet S. Optatus eodem lib. 1. Addit pro competitore primum Donatistarũ Episcopum habuisse Maiorinum, cui cum Gabriel Albaspineus putet successisse translatum à Casis nigris Donatum, cum eodem Donato anno 313. in Concilio Romano, & anno sequenti in Arelatensi Synodo de ordinatione sua egit, & in annum usque 325. Ecclesiæ Carthaginiensi præfuit, utpote de quo Hincmarus Remensis in opere contra Hincmarum Laudunensem cap. 21. *Cæcilianus Nicanæ Synodo interfuit*, & Concilium 5. collat. 5. *Cæcilianus Episcopus Carthaginensis solus ex totâ Africâ pervenit ad Nicanum Concilium*, & Gelasius Cyzicenus, cum in historiâ Niceni Concilij testatur, quod acta Cęciliano commissa fuerint per Africæ provincias ad Episcopos dirigenda, quæ & sese per eum recepisse testantur patres Africani in epistolâ Synodicâ ad Bonifacium primum. 8. Cæcilian. S. Optatus. Hincmarus Remensis. Synod. 5.

Cæciliano, testibus Baronio, Albaspineo aliisque, successit Rufus, qui Concilio Romano sub Iulio 1. anno 337. subscriptus habetur, habuit pro competitore Donatistâ, Donatum magnum, de quo D. Hieronymi Chronicon ad an. 331. *Donatus agnoscitur, à quo per Africam Donatiani.* 9. Rufus. Hieronym.

5. Rufum pro successore habuisse Gratum cum eodem Albaspineo tuetur Cæsar Baronius ad an. 337. num. 69. Interfuit Gratus Concilio Sardicensi an 347. & canone 5. Concilij Carthaginiensis primi anno 348. meminit illius, quod in Concilio Sardicensi statuerat. Habuit pro æmulo eumdem Donatum magnum, ad quem orientales schismatici ex Philippolitano conventiculo anno 347. Pseudosynodicam transmiserunt, quæ sub nomine Sardicensis à Donato Carthaginiensi, 10. Gratus.

& partis suæ Episcopis evulgata, memoriam veri Sardicensis Concilij eralit ex Africâ, ut D. Augustini temporibus magno eruditionis detrimento præter acta illius Pseudosynodi nulla cognoscerentur Sardicę ab orthodoxis patribus, & inter eos à 36. Episcopis Africanis, statuta.

11. Genethl. Post Rufum sequitur Genethlius, qui an. 358. Donato Carthagine pulso pro competitore Donatista habuit Parmenianum. Crediderat Baronius, & cum eo Binnius, Aurelium fuisse ante Genethlium, sed error est de annalibus, pace annalium parentis dixerim, merito expungendus. Vidit hoc ipsum Albaspineus Aurelianensis Episcopus, & Philippus Labbeus in Notis Conciliorum marginalibus, qui cum tomo 2. edidisset Synodum Carthaginiensem 2. anno 390. celebratam, non sub Genedio, ut habent corrupta illius acta, sed sub Genethlio, ut habent correctiora ex Manuscripto Codice Vaticano per Lucam Holstenium restituta, jam apparuit non Aurelium, sed Genethlium fuisse interlocutum, cui consonat testimonium Augustini, qui cum anno 388. Mediolani fuisset conversus, testatus est libro 22. de civitate Dei, cap. 8. se post quatuor annos Aurelium reperisse adhuc Carthaginiensem Diaconum.

12. Aurelius. 6. Anno 390. post habitam à Genethlio Carthaginiensem Synodum eidem successit Aurelius, ad quem tanquam Episcopum an. 391. litteras dedit Augustinus. Interfuit Concilio Carthaginiensi 3. Cæsario & Attico Consulibus anno 397. multisque aliis præsedisse & subscripsisse reperitur: cum templum Cælestis dedicasse in Basilicam Christianam, testis est S. Prosper Aquitanicus, & pro competitore Donatista anno 411. habuisse Primianum Parmeniani successorem schismaticum, fidem facit collatio Carthaginiensis. Superfuit Aurelius usque ad Cælestini tempora, qui anno 423. Pontificatum iniit, putatque Garnerius post Aurelij ad Cælestinum Synodicam aliquanto tempore supervixisse, & anno 426. aut sequenti primum ex hac vita ad meliorem transmigrasse.

13. Capreol. Aurelium subsecutus est Capreolus, sub quo Romano Imperio ad interitum properante Africa per Vandalos anno 427. invaditur, quam ob causam anno 431. convocato Concilio Ephesino generali 3. ad illud legatos Provinciarum Africæ transmittere non potuit, *sed Besulam Diaconum suum misit*, inquit Liberatus in breviario c. 5. adjunxitque litteras excusatorias, ob quas à Cyrillo Alexandrino laudari meruit act. 1. Ephesini Concilij, prout rectè quoque animadvertit Vincentius Lirinensis posteriori parte commonitorij.

Liberatus

Capreolo,

Capreolo, ut fidem facit Victor Tunnonensis, substitutus est Quodvultdeus, sub quo Geisericus Theodosio 17. & Festo consulibus, anno nimirum 439. *Carthaginem dolo pacis invadit.* Ita S. Prosper in chronico, *& tunc* inquit Victor Vitensis, *memoratæ urbis Episcopum, id est Carthaginis, Deo & hominibus manifestum, nomine Quodvultdeus, & maximam turbam clericorum navibus fractis impositam, nudos atque exspoliatos expelli præcepit. Quos Dominus miseratione bonitatis suæ prospera Navigatione neapolim Campaniæ perducere dignatus est.* 14. Quodvultdeus. S. Prosper. Victor Vitensis.

7. Carthaginiensi Episcopo Neapolim relegato mansit Ecclesia sine Episcopo annis 15. & inquit Victor Vitensis: *post hæc factum est supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginiensi Ecclesiæ post longum silentium desolationis Episcopum ordinari Deogratias.* Addit id factum ante captam à Generico Romam, quam statim postea 15. regni sui anno, Christi nimirum 455. cœpit, cumque addat, *functus est autem sacerdotio annis tribus*, patet ab anno 454. ad annum 457. sedisse. 15. Deograt. Victor Vitensis.

An. 457. defuncto Deogratias Episcopo *Geisericus*, inquit Victor Vitensis lib. 1. persecutionis Vandalicæ, *Ecclesiam Carthaginis claudi præcepit, dissipatis atque dispersis per diversa exiliorum loca, quia Episcopus non fuerat, presbyteris & ministris.* Addit sic mansisse annis 24. sine Pastore usque ad tempora Zenonis Imperatoris, qui sedere cœpit anno 474. Sedes Vacat. annis 24. Victor Vitens.

Post hæc autem defuncto Geiserico Vandalorum rege, pergit Victor Vitensis lib. 2. de Hunerico eius filio: *Dedit autem licentiam Zenone Imperatore atque Placidiâ relictâ Olibrij rogantibus, ut Carthaginiensis Ecclesia sibi, quem vellet, Episcopum ordinasset, quæ jam per 24. annos tali ornamento fuerat destituta .... ordinato itaque Episcopo Eugenio.* Ab anno 457. ad 480. intercedunt anni 24. sedis vacantis, ut anno 480. Eugenius successerit Deogratias. Anno 484. Hunerici regis octavo missus est in exilium cum cæteris Episcopis. Teste Gennadio in virorum illustrium Cathalogo vixit adhuc tempore Gelasij Papæ, qui anno 492. sedere cœpit, & ad eumdem annum habet Sigebertus Gemblacensis in Chronico: *Gunthamundus rex in Africâ Ecclesias aperuit, & omnes sacerdotes petente Eugenio Carthaginiensi Episcopo ab exilio revocavit.* Nec pacem hanc diu durasse lucet ex Epistola 13. Gelasij Papæ data consule Viatore an. 495. in quâ Eugenium Carthaginiensem in illum usque diem *persecutoribus resistere* conscripsit, additque Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 3. Eugenium cum capitis damnaretur, se pro fide moriturum dixisse, tumque, inquit, *suspenso Gladio apud Albigensem* 16. Eugenius Victor Vitensis. Sigebertus. Gelas. Papa. Gregorius Turonens.

bigensem Galliarum urbem exilio deputatus est, ubi & finem vitæ præsentis fecit: anno, ni fallor, 496.

Sedes Vacat. annis 27. Isidor. Hisp.

8. *Guntamundo mortuo Trasemundus regnat annis* 27. *mensibus* 4. inquit, ad eram 526. S. Isidorus Hispalensis Episcopus, & pergit: *iste Arianâ insaniâ plenus Catholicos insectatur, Ecclesias clausit, Sardiniam exilio ex omni Africanâ Ecclesiâ* 120. *Episcopos mittit . . . Carthaginensis Episcopus in nostro dogmate claruit, apud Carthaginem moritur.* Quoad æram Hispanicam & Carthaginiensem Episcopum error irrepsit in Isidori Historiam, anno namque eræ vulgaris 495. & eræ Hispanicæ 533. Guntamundus obiit, & Trasemundus successit, quo anno S. Eugenius adhuc supererat, qui non Carthagine sed in Galliis obiit, post quem clausâ Carthaginiensi Ecclesiâ per diuturna tempora nullus Episcopus successit. Unde S. Fulgentio Ruspensi Episcopo anno 504. in Sardiniam relegato, cum à Trasimundo rege revocabatur cum ipso de fide acturus, scribit in vitâ eius Ferrandus Carthaginiensis Diaconus, Fulgentium invenisse *viduatam Ecclesiam.* Addit Anastasius Bibliothecarius in vitâ Hormisdæ Pontificis: *Huius temporibus Episcopatus in Africâ post annos* 27. *revocatus est, qui ab hæreticis fuerat exterminatus.* Et auctor 2. Cathalogi in eodem Pontifice: *huius temporibus Episcopatus Africæ reordinatur post annos Septuaginta quatuor, qui ab hæreticis fuerat exterminatus tempore persecutionis.* Loquitur posterior de primâ exterminatione sub Geiserico, qui an. 439. Quodvultdeum relegarat; à quo in annum 523. sunt anni non 74. sed 84. Loquitur vero Anastasius de exterminatione sub Trasimundo, qui anno 495. Eugenium relegavit, & cum à S. Isidoro 27. annis & aliquot mensibus regnasse diceretur, toto illo tempore Ecclesiam Carthaginiensem vacasse conscripsit, quod sciret non nisi post obitum Trasimundi Episcopatum in Africâ restitutum.

Anastas. Biblioth. Catal. M.S.

17. Bonifac. Victor Tunnonensis.

9. Anno itaque 523. factum est, quod scribit Victor Tunnonensis in chronico: *Maximo V. C. Consule Trasamundus Vandalorum Rex Carthagine moritur. Hilderic, qui ex Valentiniani Imperatoris filiâ à Giserico capivatâ, & Vgnerico junctâ, natus est, regnavit annos VII. menses VII. hic ergo Sacramento ab decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret, priusquam regnaret, ne Sacramenti Terminos preteriret, præcepit sacerdotes Catholicos ab exilio redire, & Ecclesias aperire, & Bonifacium cum dogmatibus divinis satis strenuum ad postulationem totius urbis Carthaginiensis Ecclesiæ Episcopum consecravit.* Eadem habet appendix chronici

chronici Tironis Prosperi apud Canisium tom. 1. antiquarum lectionum, ex quo cum initio regni ab Hilderico Bonifacium creari permissum testetur, anno, ut dixi 253. Episcopatum Carthaginiensem suscepit, & ante annum 534. obiit.

Reparatus Carthaginiensis Ecclesiæ Episcopatum post Bonifacium suscipit. Ita Victor Tunnonensis sub Consf. Belisarij, qui concurrit cum anno 335. quando Iustinianus per Belizarium Patricium Africam Vandalorum manibus ereptam imperio restituerat: huius Episcopi Carthaginiensis meminit Procopius in historiâ Vandalicâ libro 2. cap. 26. & Victor Tunnonensis ad postconsulatum Basilij XI. seu anno 552. testatur, Reparatum Archiepiscopum Carthaginiensem ad Regiam urbem evocatum, ubi ob trium capitulorum causam deponitur, & à Justiniano relegatus est Euchaidam, quo in exilio comitem habuit Liberatum Carthaginiensem suum Archidiaconum, qui Reparato juxta Victorem Tunnonensem anno 563. in Euchaide defuncto, domum redux *peregrinationis necessitatibus defatigatus*, aliquo tempore feriatus est animo, & an. 564. breviarium suum conscripsit. 18. Reparat. Liberatus.

Reparato anno 552. deposito, in locum eius substitutus est Primosus Reparati coram Imperatore Iustiniano Apocrisarius. Putat Garnerius id factum anno 553. sed clerus Romanus in eâ ad Gallos epistolâ, quam Sirmondus an. 562. scriptam existimat, meminit substituti in locum Reparati Episcopi, & Concilio generali 5. post Consulatum Basilij 12. die IV. nonas Maias interfuit ac subscripsit: *Sextilianus Misericordiâ Dei Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Tuniensis agens vicem Primosi Archiepiscopi Carthaginis, totiusque Concilij Provincialis.* Obiit Primosus ante Reparatum anno 562. ut colligit ex Liberati Breviario Garnerius. Atqui huc usque habemus seriem Carthaginiensium Episcoporum, quam nemo, quod sciam, ante nos tentavit, & nos ipsi non sine ingenti labore ex omni antiquitate deduximus. Habemus alios Carthaginienses Episcopos, ut Dominicum tempore Gregorij magni circa annum 590. Fortunium tempore Theodori Papæ circa an. 640. Victorem eius successorem, qui sub Martino 1. anno 650. floruit, Cyriacum tempore Gregorij 7. sæculo undecimo, aliosque sed paucissimos, qui dum invicem immediate non successerint, ab eorum relatione hic supersedemus. 19. Primosus Synod. 5.

CAPUT II.

Primitiva Africanæ Ecclesiæ facies & primum sub persecutoribus religionis incrementum.

1. *Prima Africanæ Ecclesiæ facies ex Tertulliano repetitur.*
2. *Ex quo constat 1. de Africanorum fidelium misericordiâ & hospitalitate, quâ peregrinos fratres in domum suam recipiebant cum oris osculo, pedum lavacro, &c.*
3. *Secundo de eorum in observandis Ecclesiæ legibus diligentiâ, quâ coibant in cœtus nocturnos, ubi precationes, tractatus, sacrificium, & de puniendis peccatoribus per excommunicationes judicium.*
4. *Tertio de eorum stationibus quarta Sabbathi & sexta usque ad horam 9. quæ statio finiebat cum sacrificij oblatione, in quam rem Tertulliani testimonium expenditur de non relinquendo Ecclesiam post sacrificium, sed permanendo in ea, Sicut diebus Dominicis permanebant pro Agape aut cœna, de qua ipsi Martyres in carceribus constituti participabant.*
5. *Ex tantâ pietate proditi Christiani Tyrannorum furorem sæpius excitarunt, qui falce persecutionis non metebant fideles ad interitum sed augmentum, ut patet ex duobus sæculis, quibus usque ad Diocletianum semper crevit Africana Ecclesia.*
6. *Persecutio sub Decio expenditur & superius dicta de illâ confirmantur.*
7. *Idem de persecutione Diocletiani, sub quo sævierunt Anulinus in Proconsulari Provincia, & Florus in Numidiâ.*
8. *Extant in actis Cæciliani quædam Flori contrà Catholicos persecutionis indicia ac variorum traditorum crimina, inter quos Mensurium ponendum, in SS. Passione scripsit Donatista.*
9. *Sed oculo irâ contrà Cæcilianum perturbato id à Donatista scriptum fuisse, ex S. Optato monstratur.*

1. ACturus de Ecclesiâ tam illustri, quam fuit Africana, necesse non est, primi sæculi monimenta percurrere, quo fidei veritas nondum innotuerat in Africâ, sed sufficiat ex Acris

ingenij viro, qui sæcundo floruit sæculo, quo fides auroræ instar Afris illuxit, fidelium Africanorum mores, disciplinam, & charitatem ob oculos ponere. Multa prædicari solent de primorum fidelium in observandis Ecclesiæ legibus diligentiâ, in adiuvandis fratribus pietate & misericordiâ, in custodiendo Christiani nominis honore solertiâ, sed quantum hæc omnia Africanæ Ecclesiæ alumni exhibuerint secundo Christi sæculo sub persecutorum tyrannide constituti, præclarè nobis exponit variis in locis Carthaginiensis Ecclesiæ presbyter Tertullianus, quem ut magistrum suum venerari solebat Cyprianus, & nisi Montani errore seductus in hæresim lapsus fuisset, ut doctorem suum antiquissimum tota venderaretur Ecclesia.

2. Mulieres ethnicas cum pompâ ad spectacula & festa properare consuetas describit libro de cultu feminarum; non sic tamen Christianas, quas humilitate vult crescere, & modestè incedere. *Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Quodvis horum gravitatis aut sanctitatis negotium, & cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, aut soluto.* Mulierem Christianam in publicum prodire nisi causâ pietatis vetat Tertullianus addens, ad eam non requiri cultum & habitum ornatum, sed modestum, quo fratres visitabant, de quo pietatis opere etiam loquitur libro 2. ad uxorem *quis sinat coniugem suam visitandorum fratrum gratiâ vicatim aliena & quidem pauperiora quaque tuguria circuire.* Agit de muliere Christianâ non nubendâ infideli, quod ille non sineret opera pietatis ab uxore suâ in fratres infirmos aut pauperes exerceri, & pergit: *jam vero alicui fratrum ad osculum convenire? aquam sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere? si & peregrè frater adveniat, quod in alienâ domo hospitium?* palam agit de more primorum Christianorum, qui fratres peregrinos excipiebant in domum, eos adventantes osculo salutabant, eorum pedibus lavandis aquam offerebant, pro cibo & potu solliciti erant, & sic de domo suâ hospitium faciebant: quamobrem laudabilis illa Christianorum charitas fervebat etiam in Afris, & omnis fidelis habebatur ut frater, cui dum inviderent gentiles, occasionem cœpit Tertullianus exclamandi. *Sic nos quod invidetis fratres vocemus, & unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes.*

Tertullian.

lib. 2. ad uxor

Ibid.

3. Nec minor in observandis Ecclesiæ legibus diligentia: cum enim urgebat persecutio, non cessabat cultus divinus, sed nocte fiebat, de quo

lib.2.ad uxor quo Tertullianus loco citato : *quis nocturnis convocationibus , si ita oportuerit , à latere suo eximi libenter feret ?* Addit in Apologetico adversus gentes : *coimus in cœtum & congregationem , ut ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiamus orantes. . . . coimus ad divinarum litterarum commemorationem . . . ibidem etiam exhortationes , castigationes , & censura divina , nam & judicatur magno cum pondere , ut apud certos de Dei conspectu : summumque futuri judicij præjudicium est, si quis ita deliquerit , ut à communicatione orationis , & conventus , & omnis sancti commertij relegetur.* Loquitur omninò de ijs , qui peccata confessi communione privabantur , & non solum à sacrificio , sed ab orationibus & conventu ob delicta graviora relegabantur , & illos *sacco & cineri incubari , corpus sordibus obscurare , jejuniis preces alere , ingemiscere , lachrymari , & mugire dies noctesque ad Dominum , presbyteris advolvi & aris Dei adgeniculari* describens, adjungit lib. de pœnitentiâ : pœnitentes in tam lugubri habitu , ante templum stetisse , *omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungentes* , ut Episcopum exorarent & pro remittendo pœnitentiæ tempore apud eum intercederent.

Idem. in Apologet.

lib.de Pœnit

4. Alterum Christiani fervoris exemplum frequens est apud Tertullianum de statione , *cui* , inquit , *& quartâ Sabbati & sextâ plurimum fungimur.* Cum autem *statio de militari exemplo nomen accepit* , ut ante vidimus ex Tertulliano , notat Albaspineus Afros primis illis sæculis diebus Mercurij & Veneris summo mane in Ecclesias convenisse ibidemque ad horam usque nonam moratos , precibus & rerum divinarum contemplationibus intentos. Horâ vero nonâ soluto jejunio , & statione finitâ sacrificium offerebatur , cuius meminerat lib. de cultu feminarum ; *aut Sacrificium offertur* , & ut noscant hæretici mentem Tertulliani , en libro de oratione. *Similiter de stationum diebus , non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit , an magis Deo obligat ? nonne solemnior erit statio tua , si ad aram Dei steteris accepto Corpore Domini , & reservato ? utrumque salvum est , & participatio sacrificij , & executio officij.* Dum Christiani plerique abibant accepto Corpore Domini , voluit Tertullianus etiam post sacrificium peractum & Corpus Domini susceptum perseverare ad aram Dei in statione fideles , prout diebus Dominicis in Ecclesijs perseverabant post cœnam Dominicam agapem instruentes, quod convivium erat graphicè à Tertulliano descriptum in Apologe-

lib.de cultu feminar.

lib.de Orat.

Apologetico, & contrà gentilium obtrectationes defendit, *si quidem*, inquit, *inopes quoque refrigerio isto juvamus.* Et modum enarrans: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt. Bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Eque oratio convivium dirimit.* Hæc Christianorum agapa, de quâ non esurientes modo, sed & Martyres in carceribus constituti participabant, *Caro*, namque inquit Tertullianus libro ad Martyres, *non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen fratrum.* Tertullianus, cum discessum post agapam describit in Apologetico. *Inde disceditur*, inquit, *non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ.* Eâdem pietate discedebant Christiani, quâ cœnaverant, etiam absentium fratrum & maximè Martyrum curam gerentes, quibus pro victu de Agapis adferebant, unde Tertullianus libro 2. ad uxorem loquens de homine Ethnico? *quis ad convivium Dominicum illud, quod infamant, sine suâ suspitione dimittet? quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur?* Ac si diceret: à cœnâ fratrum mulieres Christianas ad carceres ire consuetas, ut Martyres ibidem constitutos de agapis cibarent, & non obstante Tyrannorum persecutione Martyrum vincula oscularentur, unde apud Tertullianum, hæc erat de primis Christianis vox gentilium: *ut pro alterutro mori sunt parati.*

In Apolog.

lib. ad Martyres.

In Apolog.

lib. 2. ad uxor

5. Verum quidem est Christianos ex tantâ charitate sæpius se ipsos prodidisse, & carceres confessoribus replevisse, quos pro minimo Imperij infortunio ethnici petebant *ad Leones*, & effuso sanguine tormentis enecabant; sed si persecutione ara Dominica eventiletur, teste Tertulliano lib. de fugâ, Ecclesia ager est, ut loquitur in fine Apologetici contrà gentes, in quo *plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Ut semen in terrâ pluviis excrescit, ita Christiana societas suorum sanguine crescebat indies, cuius veritatis testimonium reddit ipsa rerum series. Vix enim ad initium secundi sæculi semen Christianæ religionis in agro Africæ transmissis Româ verbi Dei prædicatoribus seminatum fuit, quin eodem illo sæculo in messem creverit tam numerosam, ut ad sæculi tertij initium operarij plerique enumerarentur, quorum septuaginta *in Provinciâ Africâ & Numidiâ*

Tertullian. in Apolog.

Idem. lib. de fuga.

Cyprianus.

midiâ Ecclesiam Dei gubernabant, ut testis est D. Cyprianus epistolâ 71. ad Quintum. Loquitur omnino Cyprianus de 70. Episcopis, qui cum Agrippino Carthaginiensi præsule, in unum Concilium adunati fuerant, cumque septuaginta numero non obstante Tyrannorum persecutione Carthaginem plurimi adventarint, alios adhuc in Africâ fuisse oportet, cum non omnes adventasse innuit. Sub Donato Cypriani Antecessore *nonaginta Episcoporum sententiâ* damnatum fuisse Privatum, prædicat Cyprianus epistola 55. ad Cornelium, & sub ipso Cypriano anno 258. tria celebrata Concilia, in quorum 2. adfuêre
Cyprianus. *ex Provinciis Africa & Numidia Episcopi numero 71.* ut testatur in epistolâ ad Iubaianum, ac addit de tertio: *cum in unum Carthagine convenissent Kalend. Septembris Episcopi plurimi ex Provinciâ Africâ, Numidiâ, & Mauritaniâ cum presbyteris & Diaconis præsente etiam plebis maximâ parte.* Extant omnes illi Episcopi numero 87. in actis eiusdem Concilij huc usque inter opera Cypriani & Augustini servatis, & à Græcis in Synodo quidem Trullanâ laudatis, sed & à Zonara, & Balzamone in Græcum translatis, & nunc græco latinè in pandectis canonum editis; ex quibus notitia quædam Africanæ Ecclesiæ hauriri potest, cum Synodo illi ex Provinciâ Mauritaniæ Tingitanæ, quæ versus Oceanum ad partes Hispaniæ viciniores sita est, subscriptus
Acta Carth. habeatur *Confessor Paulus à Bobba*, vel ut apud Plinium legitur, *Babba.* Ex Mauritania Cæsariensi *Nemesius à Thubunis* aliique complures. Ex Numidiâ *Castus à Sicca*, aliique, inter quos *Secundianus à Tambeis* in extremâ parte Numidiæ. Ex Byzacenâ *Polycarpus ab Adrumeto* cum plerisque aliis. Ex Tripolitanâ *natalis ab Oeâ dixit: tam ego præsens, quam Pompeius Sabratensis, quam etiam Dioga Leptimagnensis, qui mihi mandaverunt corpore quidem absentes, spiritu præsentes, censemus, &c.* Ex quibus videmus, tres illas Provincias, ex quibus Episcopos huic Concilio adfuisse meminit Cyprianus, Numidiam, Mauritaniam, & Africam, omnes totius Africæ sub Romano Imperio constitutæ continuisse Provincias à freto Herculeo per oras maris mediterranei usque ad Lybiam Pentapolitanam, cui Tripolitana adiacet Provincia: unde & concludimus, fidem Catholicam ad tertij sæculi medium per universas Africæ regiones fuisse receptam.

6. Et hinc jam deducitur, verum fuisse, quod scripsit Tertullianus: Christianos in persecutionibus crescere & numero augeri. Erat Cypriani tempore dira illa sub Decio Christianorum persecutio, in quâ ad Leones petitus ipse Carthaginiensis Episcopus aufugere cogebatur:

tur: persecutionem hanc Leoni assimilat Optatus Milevitanus lib. 3. contrà Parmenianum: *Prima fuit ut Leo. Hac erat persecutio sub Decio & Valeriano.* Decianam persecutionem, quæ circà annum 250. cœpit, Valerianæ miscet, quæ Aurelio Tusco & Basso consulibus anno 258. contigit, in quâ ipse Cyprianus capite plexus, & primus Carthaginiensium Præsulum Martyr occubit, ut pluribus enarrat in eius vitâ Pontius Diaconus. Non tamen solus ad palmam Martyrij pervenit, meminit enim Usuardus in Martyrologio ad 7. Kalendas Februar. Theogenis Hipponensis, de quo Martyrologium Romanum ad 26. Ianuarij. *Theogenis Episcopi & aliorum triginta sex, qui in persecutione Valeriani contemnentes temporalem mortem coronam vitæ æternæ adepti sunt.* Et ad 24. Februarij: *in Africa Sanctorum Martyrum Montani, Lucij, Iuliani, Victorini, Flaviani, & Sociorum, qui fuerunt S. Cypriani discipuli, & sub Valeriano Imperatore Martyrium consumarunt.* Et ad 29. Aprilis Usuardus: *in Numidia apud Circensem Coloniam natalis Sanctorum Martyrum Agapij & Secundini Episcoporum, qui persecutione Valeriani post longum exilium apud præfatam urbem, in qua tunc maximè Gentilium rabies ad tentandam justorum fidem inhiabat, ex illustri sacerdotio, effecti sunt gloriosi Martyres.* Quid plura? cum persecutio fuerit sævissima, & teste Usuardo Gentilium rabies ad occidenda Martyrum Agmina effusa & dissoluta: nec sic tamen seges fidelium metebatur ad ruinam, sed grana cadebant in terram ad Christiani nominis gloriam, cui invidens Serpens antiquus, ultimam persecutionem movit, quam S. Optatus Urso comparat, quæ fuit sub Diocletiano & Maximiano tyrannis.

S. Optatus. Martyrol. Roman. Usardus.

7. Incœpit Diocletianus persecutionem suam anno 302. & tantâ fidelium strage sæviit, ut Martyrologia exinde repleta sint. De ea habet Optatus Milevitanus libro 3. contrà Parmenianum Donatistarum principem: *alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano, & Maximiano quo tempore fuerunt & impij judices, bellum Christiano nomini inferentes. Ex quibus in Provinciâ Proconsulari (ante annos 60. & quod excurrit) fuerat Annulinus, in Numidiâ Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas. Sæviebat bellum Christianis indictum: in templis demoniorum diabolus triumphabat: immundis fumabant aræ nidoribus: & quia ad sacra sacrilega venire non poterant, ubicumque thus ponere cogebantur. Omnis locus templum erat ad scelus, inquinebantur propè morientes senes: ignorans polluebatur infantia: à matribus parvi liberi portabantur ad nefas: parentes incruenta*

S. Optatus.

 parricidia

parricidia facere cogebantur: alij cogebantur templa Dei vivi subvertere, alij Christum negare, alij leges divinas incendere; alij thura ponere. Hæc S. Optatus de persecutione Diocletiani in Africâ, per judices Anulinum in Proconsulari Provinciâ, & Florum in Numidiâ, ex quibus colligere licet miserrimum Africanæ Ecclesiæ sub persecutorum tyrannide statum, unde permotus, qui in Africâ tunc doctor florebat, Arnobius septem libros adversus gentes composuit, quibus idolorum vanitatem impugnavit, Gentilium superstitionem explosit, & nomen Christianum contrà diabolica figmenta per orbem prædicavit, & celeberrimum effecit.

8. Meminit verò S. Optatus Flori in Numidiâ, & extant in appendice ad Sanctum Optatum inter Gesta Purgationis Cæciliani & Felicis acta cum hocce exordio: *Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulibus 14. Kalendas Iulias, ex actis Munatij Felicis F. P. P. curatoris Coloniæ Cirthensium, cum ventum esset ad Domum, in quâ Christiani conveniebant, Felix F. P. P. curator Paulo Episcopo dixit; proferte Scripturas legis, & si quid aliud hic habetis, ut præceptum est, ut jussioni parere possitis.* Cirtha fuit Provinciæ Numidiæ, in qua Florus, ut ex S. Optato audivimus, præceperat leges divinas incendi, idque factum esse sub Diocletiano, confirmant laudata acta Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulibus, anno nimirum 303. quo Paulus Cirthensis Episcopus cum presbyteris suis, Diaconis, & Subdiaconis res Ecclesiæ suæ tradidit. Nec illi solum traditores facti sunt, sed urgentibus persecutoribus, plerique alij tam Episcopi, quam minores clerici per omnem Africam Constituti, quo vitio Donatistæ ipsum Mensurium sub Anulino Proconsule innodatum voluerunt, ut rectè animadvertit Gabriel Albaspineus, & constat ex historiâ Passionis SS. Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelij, & aliorum Martyrum Africanorum sub Anulino à Donatistâ quodam conscriptâ, ubi: *maximè cum etiam Mensurius, Carthaginiensis quondam Episcopus recenti scripturam traditione pollutus, sceleris sui amentiam peiori cœpisset ferocia publicare: quippè qui combustorum veniam librorum à Martyribus poscere ac implorare debuerat, ut delicta sua maioribus flagitiis cumularet, eo animo sæviebat in Martyres, quo divinas tradiderat leges. Et enim hic tyranno sævior, carnifice crudelior, idoneum sceleris ministrum Diaconum suum elegit Cæcilianum, idemque lora & flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cunctos, qui victum potumque in carcerem Martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret.*

Acta Purgat. Cæciliani.

Passio. SS. Dativi &c.

9. Oculo

9. Oculo invidiâ & malitiâ pleno intuebatur hic Donatista Cæcilianum, & quo facilius eum traditionis crimine maculatum traduceret, Mensurium, sub quo fuerat Archidiaconus Carthaginiensis, traditorem somniavit. Loquitur omninò cum Donatistis somni illius auctoribus, quos refellit S. Optatus Milevitanus contrà Parmenianum libro 1. ubi: *iisdem temporibus Fœlix quidam Diaconus, qui propter famosam nescio quam, de tyranno Imperatore tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens, apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur, quem cum postulatum Mensurius publicè denegaret, relatio missa est: rescriptum venit, ut si Mensurius Fœlicem Diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quasi fidelibus senioribus commendavit commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur: ita ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illa illi daret, quem in Episcopali Cathedrâ sedentem inveniret. Profectus causam dixit. Jussus est reverti Carthaginem: pervenire non potuit. Tempestas persecutionis peracta & definita est: jubente Deo indulgentiam mittente Maxentio Christianis libertas restituta.* Plura habemus ex hocce S. Optati testimonio: ac primo quidem Mensurium sollicitum fuisse, ne res sacræ traderentur, tantùm abesse, quod ipse traditor extitisset. Secundò Mensurium ob delitescentem Diaconum, qui contrà Imperatorem scripserat ad comitatum fuisse evocatum, ibidemque fuisse purgatum. Tertiò jussum fuisse, ut Carthaginem reverteretur, sed non pervenisse, quod mortuus sit in comitatu vel in itinere. Quartò à Maxentio anno, ut putat Baronius, 306. pacem Ecclesiis concessam, quam subsecuta fuit pax illa, quam Constantinus Magnus universæ sub cœlo Ecclesiæ concessit, ut Idolorum templis occlusis, apertæ sint Catholicorum Ecclesiæ.

S. Optatus.

CAPVT III.

De secundo religionis per Africam incremento, sub hæreticis & præcipuè Donatistis.

1. *Post persecutionem tyrannorum orti errores hæreticorum, inter quos præcipui Donatistarum in Africâ latè vagantium usque ad Collationem Carthaginiensem.*
2. *Quandonam hæc collatio fuerit habita & à quibus Episcopis.*
3. *Duravit collatio per tres dies, & enumeratis, qui interfuerunt Episcopis, colligitur, quotnam fuerint in Africâ Cathedræ Episcopales.*
4. *Posset ex hâc collatione delibari aliqua Africæ notitia, sed ob defectum Episcoporum absentium, & Sedium vacantium contenti sumus hic addere profectum ex collatione exortum.*
5. *Alij quidem hæretici post Donatistas exsurrexerunt, ut Pelagiani, de quibus hic plura dicenda essent, nisi re ad alium locum delatâ finiremus cum eo, quod Augustinus illos prius occubuisse viderit, quam occubuerit.*

1. DAtâ per orbem Catholicum Ecclesiæ pace, & clauso contrà fideles Bifrontis Iani Templo, ubi diabolus vidit aras suas deseri, *Hereticos movit*, inquit Augustinus, lib. 18. de civitate Dei, cap.51. *Qui sub vocabulo Christiano Doctrinæ resisterent Christianæ.* Idque quam verum sit, funesto exemplo Africana monstravit Ecclesia, quæ vix à persecutionibus Gentilium liberata fuit, quin in Schismaticos Donatistas incidit, quorum primordia ex ambitione Botri & Cælesij, ac Lucillæ potentissimæ feminæ factione repetit S.Optatus lib.1. Non repetam Secundi Tigisitani ausum, cuius manibus in locum Cæciliani primus Donatistarum Pseudo-Episcopus creatus est Maiorinus, post quem successisse creditur Donatus à Casis Nigris, qui in Schisma prorupit, & cùm Ecclesiam suam à Traditionis vitio in Meridie liberam supermansisse somniaret, alios non recepit ex Catholicis nisi iterando Baptismum, quem suæ Ecclesiæ vindicabat. Improperatum hoc fuit Donato in Synodo Romanâ sub Melchiade Papâ nec monitus

Augustin.

monitus resipuit, sed post Arelatense Concilium Schisma promovit, quod totam proinde Ecclesiæ faciem defœdavit. Donato enim successit alter Donatus cognomine Magnus, qui in tantum elatus superbiit, ut testante S. Optato Milevitano fideles Afros Carthaginem adventantes interrogare consuevisset, quid ageretur de parte suâ in Africæ Provinciis. Enim verò ut animadvertit Balduinus, Ecclesiâ ad extirpandam Arij hæresim occupatâ, Donatistæ viribus & numero quotidie aucti sunt, quod præclarius probari non potest, quàm ex Collatione Carthaginiensi habitâ Donatistas inter & Catholicos sub Aurelio Carthaginiensi sæculo 5.

2. Celebrata fuit hæc. Collatio Carthaginensis *post Consulatum Veranis V.C. Kalendis Iunij Carthagine in Secretario Thermarum Gargilianarum*, ut habent acta eiusdem collationis. Postconsulatus autem Veranis incidit in annum 411. quo ex parte Catholicorum causam susceperunt septem Episcopi totidemque ex parte Donatistarum hunc in finem electi, quos à Papirio Massono enumeratos subiiciemus, quod plerique eorum Baronio ignoti fuerint. Acta Collat.

CATHOLICI.

Aurelius	*Carthaginiensis.*
Alypius	*Tagastensis.*
Augustinus	*Hipporegiensis.*
Vincentius	*Colúsitanus.*
Fortunatus	*Constantiniensis.*
Fortunatianus	*Siccensis.*
Possidius	*Calamensis.*

DONATISTÆ.

Primianus	*Carthaginensis.*
Petilianus	*Constantiniensis.*
Emeritus	*Cæsariensis.*
Protasius	. . . . .
Montanus	. . . . . .
Gaudentius	*Thagmudensis.*
Adeodatus.	. . . . . .

Neque hi Soli sunt, qui ad collationem Carthaginem venerant, sed qui ex magno Catholicorum Antistitum & Donatistarum Pseudo-Episcoporum numero electi sunt, ut coram Officio de Schismate disputarent.

putarent.

putarent, & ubinam Catholica esset, Africæ universæ manifestum redderent.

3. Duravit cognitio tribus diebus, quorum acta in compendium redegit Magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus, in cuius tomo 7. operum huc usque habemus Breviculum collationis. Acta ipsa jam Edita habemus in appendice ad S. Optatum Milevitanum, & nuper tomo 1. Conciliorum Philippi Labbei, quæ licet mutila sint quoad gesta tertiæ cognitionis, integra tamen extant quoad Gesta secundæ & primæ cognitionis, ex quibus patet, quod ex utrâque parte adfuerint Episcopi, qui omnes citato nomine in medium prodierunt, & ex parte quidem Donatistarum Rufinianus scriba enumeravit *Ducentos Septuaginta novem*, ex parte verò Catholicorum efficiebantur *Ducenti Sexaginta Sex*, cui postmodum viginti accessêre, ut constat ex num. 214. collationis primæ, additque Alipius Tagastensis ex parte Catholicâ Episcopus num. 217. *Scriptum sit, Ducentos Viginti esse absentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certè necessitas detinuit.* Et replicante Petiliano Donatista, *Scriptum sit, multo plures absentes esse, & jam Cathedras Viduatas, quibus Episcopi ordinandi sunt.* Dixit quoque Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Siccensis: *Quia de Viduatis Cathedris dixit Sanctissimus Petilianus, nos quoque Sexaginta quatuor vacuas habere his gestis intimamus.* Ex quibus omnibus efficitur, anno 411. in Africâ fuisse quingentas Septuaginta Cathedras Episcopales partis Catholicæ, ex parte vero Donati quingentas aut circiter à Petiliano prædicatas, licet revera tot numerò non fuerint, & Catholici longè numerosiores extiterint, ut certum sit, fidem Catholicam tunc temporis per omnes Africæ provincias fuisse receptissimam, quàm ut Catholici Episcopi foverent, non nisi media Episcoporum pars adventare consuevit ad Concilia, reliquis in civitate suâ, ut plebibus suis & absentium sibi commendatis invigilarent, remanentibus, uti ante ex Ioanne Garnerio annotavimus, & ex hac collatione lucidissimè firmari potest, id ipsum testante Alipio verbis suprà citatis.

Rufinianus.

Alipius.

Fortunatian.

4. Possem quidem hoc loco ex actis collationis magnam horum Episcoporum partem ad clariorem Africanæ Ecclesiæ notitiam cum civitatibus, in quibus sedes erectæ erant, adferre, prout post Mireum facere conatus est Ioannes Baptista Grammaye in Africâ illustratâ lib. 2. cap. 3. ubi per ordinem alphabeti enumerat trecentos tredecim sedes Episcopales, *ex quo Pastorum numero*, inquit, *Christianorum multitudo poterat æstimari.* Verum cum in collatione Carthaginiensi nulla de

de 64. sedibus vacantibus facta sit mentio, uti nec de ducentis Viginti Episcopis absentibus, qui suis in civitatibus degebant, quin etiam pleræque civitates duos sibi invicem adversantes habuisse referantur absque eo, quod ulla Provinciarum addita sit notitia, ab hoc labore supersedendum duximus, contenti addere, Aurelium Carthaginiensem, Alipium, Augustinum, & alios quatuor partis Catholicæ Episcopos tam egregiè in tribus huius collationis cognitionibus refutasse Donatistas, ut victa pars Donati ex hocce tempore succubuerit, & ex eâ plerique ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem reversi sint. Ita in vitâ D. Augustini Possidius Calamensis in Africâ Episcopus Divo Augustino Coetaneus, qui agens de unitate in Ecclesiis Africæ procuratâ, scribit *id maximè factum per collationem, quæ ab universis Episcopis Catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis postmodum facta est, id jubente Gloriosissimo & Religiosissimo Imperatore Honorio.* Possidius. Præclarum quid addit D. Augustinus in libro de Gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo: *Præsentibus vobis fratrem & Coepiscopum meum Deuterium (Cæsariæ) obstringo, ut quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Tagastam, apud Constantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Ecclesias, sic etiam deinceps facere non pigrescat, ut annis omnibus per jejuniorum Dies, id est quadragesimam ante Pascha, quando vobis maximè jejunantibus plus vacat audire, eadem gesta collationis per annos singulos universa à capite in finem ex ordine recitentur.* Augustin. Nec mirum post tantam Catholicorum in recitandâ singulis annis collatione diligentiam factum esse, quod scribit idem Augustinus Epistolâ 50. ad Bonifacium: *Donatistæ maximè post Collationem, quæ inter nos & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magnâ parte correcti sunt.* Ex magnâ parte, inquit, quod paucæ infelices Donatistarum reliquiæ post Augustinum manserint superstites, quæ contractis viribus, & suis orbatæ Ecclesiis Paulatim vel propriâ nece, vel Honorij imperatoris studio & rescripto corruerint, ut videre licet apud Baronium tomo 5. anno 414.

5. Verum quidem est alios hæreticos ut Manicheos tempore Augustini per Africam fuisse dispersos, & vix schisma Donatistarum ad interitum suum properasse, quin ipsius loco alia Pestis Pelagianorum exurrexerit, scribente Augustino libro de Gestis Palestinis cap. 22. *Carthagini, quantum recolo, semel vel iterum vidi* (Pelagium) *quando cura collationis quam cum Donatistis hæreticis habituri eramus, occupatissimus fui, ille vero ad transmarina properavit.* Augustin. Pelagium se vidisse testa-

tur Augustinus tunc virus novi erroris effundentem, cum antiqui schismatis rabiem Catholicorum Antistitum diligentiâ cernebat ad interitum properantem, quâ de re hic fusius disserere possem, & quantâ vi Africana Ecclesia ei restiterit, hic ab oculos ponere. Possem afferre habitam anno 412. Synodum Carthaginiensem contra Cælestium: possem alias duas anno 416. tum Milevi, tum Carthagine celebratas contra hæresim Pelagianam Synodos in medium adducere: possem Africanorum Patrum rescripta adiungere, quibus potenter hæreticorum dolis restiterunt, & in tantum eorum fraudibus obviarunt, ut verum sit illud prosperi in Chronico: quod Concilio apud Carthaginem habito 214. Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata sint: quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Sed questione de hæresi Pelagianâ in opportuniorem locum reservatâ, sufficerit & cum Possidio Calamensi in vitâ Augustini annotare, quod illi divinitus donatum sit, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, quandoquidem multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, Manicheos, Donatistas, Pelagianistas, & Paganos ex magnâ parte defecisse & Ecclesiæ Dei sociatos esse gavisus sit, eosque prius occubuisse viderit, quam occubuerit.

Possidius.

CAPVT IV.

De primo religionis decremento, sub Vandalorum Tyrannide.

1. *Devictis ab Augustino hæreticis alia inimicorum turba Africam devastarunt, anno namque* 427. *Vandali Africam ingressi brevi tempore totam occupaverunt, ut ipse Augustinus non nisi tres civitates imperio subditas reliquerit, in cuius unius subsidione occubuit.*
2. *Defuncto Augustino reliqua tres civitates capta sunt à Geiserico Vandalorum Rege, cuius filius Hunericus Catholicos acrius persecutus est.*
3. *Cathalogus seu potius notitia Episcoporum Africa in Exilium missorum.*
4. *Notitia huius auctorem esse Victorem Vitensem, qui conventui Carthaginiensi non interfuit, sed alicubi in Africâ latuit, ex ipsâ notitiâ haurimus, uti & post collationem anno* 411. *defecisse* 104. *sedes Episcopales in Africâ.*

5. *Plures*

5. *Plures defecerunt tempore Victoris Vitensis, qui tantum tres Episcopos ex Zeugitanâ Provinciâ supermansisse scribit anno* 487.

6. *Ecclesiæ sæculo* 5. *tot millium Martyrum sanguine sacrata fides & ritus ex Victore Vitensi adducuntur, cuius insignis locus profertur.*

7. *Desolata Ecclesiæ facies pastoribus in exilium trusis, cum omnia religionis Mysteria contigit prophanari.*

1. Vix hæretici per Augustinum devicti ad instar nubilæ dissipari cœperant, cum alias turbas serpens infernalis excitarit, quæ ipsam ruinam Africanæ Ecclesiæ minabantur. Vandali namque & Alani commixtam secum habentes Gothorum gentem ab Bonifacij ducis instantiam anno 427. ex Hispaniâ in Africam navibus transmissi brevi spatio totam Africam invasêre, idque tantâ immanitate, ut enarret Possidius, fideles in montibus & cavernis latitasse, Episcopos in fugam versos sacrificia & Sacramenta neglexisse, quæ magno animi dolore ab Augustino deplorabantur, *Et*, inquit, *vix tres superstites videbat ex innumerabilibus Ecclesiis, hoc est Carthaginiensem, Hipponensem & Circensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earum permanent civitates, & divino & humano fultæ præsidio, licet post eius obitum urbs Hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hac mala cuiusdam sapientis sententiâ consolabatur dicentis: non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.* Magnum profectò tam magno viro dignum effatum, de quo consequenter in vitâ narrat Possidius, quod cum civitas Hipponensis tertio mense obsideretur, ex hac vitâ ad feliciorem migrarit, cui accedit S. Prosper in chronico anno 430. Theodosio 13. & Valentiniano 3. Coss. *Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur* 5. *Kalend. Septemb.* Et addit Victor Vitensis illum Catholicæ fidei propugnatorem obiisse, cum jam ducentos triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, expositione psalterij & Evangeliorum, atque sermonibus aut homeliis. Possidius.

2. Defuncto in ipso obsidionis initio Hipponensi Episcopo Augustino, civitas ipsius post 14. menses capta est, post quod *ipsam urbem maximam Carthaginem Geisericus tenuit & intravit*, inquit Victor Vitensis libro 1. de persecutione Vandalicâ, *& antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitutem redegit.* Ac tunc fuit, quod non in muros & lapides, sed in ipsos fideles sæviri cœpit, quos si Augustinus non Romano Imperio solum ereptos, sed Ecclesiis suis Victor Vitensis.

 destitu-

destitutos, & Arianorum servituti vidisset subactos, sanguineis lachrymis deplorasset Africam, in quâ excisis plusquam quadraginta Ecclesiis, & ipsa Carthagine eversâ Episcopi privabantur Ecclesiis, & Ecclesiæ populis. Nec cum Geiserico cessavit persecutio, sed potius aucta est sub Hunerico Geiserici filio, qui anno 484. imperij sui octavo omnes Episcopos Carthaginem cum Arianis disputaturos evocavit, & emisso 5. Kalend. Martij edicto universas Africæ Ecclesias clausit, universamque substantiam Episcoporum & Ecclesiarum suis Episcopis munere donavit: ita libro 3. Victor Vitensis, cui accedunt Theophanes Martyr, Gregorius Turonensis, S. Isidorus Hispalensis in historiâ Vandalorum editâ per Labbeum tom. 1. Bibliothecæ M.SS. librorum, & ante illos Procopius Cæsariensis lib. 1. de bello Vandalico cap. 8. Neque hic stitit ferocitas Tyranni, ut enim Victor Vitensis, occasione ex juramento quæsitâ omnes relegari jussit, & Eugenius cum clero Carthaginiensi quingentorum numerum excedente in exilium truditur: *totam namque per Africam crudelis Hunerici Wandalorum Regis in nostros Catholicos persecutio importata est, exulatis diffugatisque plusquam* 324. *Orthodoxorum sanctis.* Ac rectè scripsit plusquam 324. ut enim Sigebertus Gemblacensis in chronico per Mireum edito ad annum 483. seu potius sequentem: *in Africâ Honoricus Rex Wandalorum in Ecclesiam Dei graviter efferatus omnes Africæ Episcopos quasi ad Synodum convocat, & fugatis exsiliatisque* 444. *Episcopis Catholicis, Ecclesias clausit, aut Arianis dedit, plebemque variis suppliciis afflixit. Letum verò Episcopum incendio concremavit. Eugenium quoque Carthaginis Episcopum cum cleris suis plusquam quingentis cruciatos multis modis exsiliavit.* Loquitur omninò de Episcopis Catholicis, qui Theodorico & Venantio Consulibus Carthaginem advenerant, quorum nomina in notitiâ Provinciarum & civitatum Africæ edita sunt, anno 1630. per Jacobum Sirmondum, & post eum tomo 4. Conciliorum à Philippo Labbeo, ex quo & ea ipsa subjungimus.

Victor Vitensis.

Sigebertus.

NOMINA

3. NOMINA

EPISCOPORUM CATHOLICORUM

Diversarum Provinciarum, qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei die Kalendas Februarias.

ANNO 6. HUNERICI REGIS.

Nomina Provinciæ Proconsularis, vel qui in exilium missi sunt.

Eugenius Carthaginiensis Tamalleni.
Felix Abritanus, exilium.
Paulus Sinuarensis, exilium.
Felix Piensis, Corsica exilium.
Marianus Hippozaritensis, ut supra.
Pascasius Gunelensis, ut supra.
Sacconius Uzalensis, ut supra.
Bonifacius Membrositanus, fug.
Gulosus Beneventensis, Corsica.
Reparatus Utimmirensis, ut supra.
Pastinatus Puppitanus, ut supra.
Reparatus Puppianensis.
Fortunatianus Araditanus, Corsica.
Deumhabet Thelensis, Corsica.
Liberatus Mullitanus, ut supra.
Mannucius Duassedemsai.
Hirundinus Missuensis, Corsica.
Iona Lapdensis, ut supra.
Peregrinus Assuritanus, exilium hic.
Quintianus Urcitanus.
Cresconius Tennonensis, per.
Florentinus Uticensis, Corsica.
Paschasius Migirpensis, ut supra.
Carissimus Gisipensis, in exilium.
Gaius Uzitensis, per.
Exitiosus Verensis, Corsica.
Crescens Cicsitanus, in exilium.
Bonifacius Bolitanus, Corsica.
Felix Carpitanus, ut supra.
Carcadius Maxulitanus, ut supra.
Cyprianus Bonustensis.
Dalmatius Tinnisensis, Corsica.
Æmilianus Culsitanus, Corsica.
Felix Bullensis, per.
Clementinus Neapolitanus, Corsica.
Felix Curbitanus, ut supra.
Deuterius Simminensis, ut supra.
Aurelius Clipiensis, ut supra.
Coronius Meglapolitanus, ut supra.
Benenatus Timidensis, ut supra.
Vincentius Ziggensis, in exilium.
Florentius Seminensis, Corsica.
Honoratus Tagaratensis, per.
Vindemius Altaburitanus, in exilium.
Cassosus Ausanensis, hic.
Maximinus Maraggaritanus, hic.
Felix Muzuensis.
Ioannes Bullensium Regio.
Cresciturus Titulitanus.
Benenatus Tuburbitensis.
Victor Eudalensis.
Pascasius Tulanensis.

SUNT NUMERO LII.

Nomina Episcoporum Provinciæ Numidiæ.

Felix Berceritanus.
Augentius Gazausulensis per.
Quodvultdeus Calamensis.
Honoratus Castellanus.

Leontius Burcensis.
Firmianus Centurionensis per.
Rufinianus Vadensis.
Paulus Nibensis per.
Martialis Girensis.
Victor Cuiculitanus.
Cresconius Amporensis.
Adeodatus Fesseitanus per.
Vitalianus Bocconiensis.
Dumvirialis Damatcorensis, per.
Donatus Ausuccurrensis.
Palladius Idicrensis per.
Gaudentius Putiensis.
Victor Suggitanus.
Benenatus Lambiritanus.
Timotheus Tagurensis.
Melior Fussalensis. Nam.
Frumentius Tubursicensis.
Felix Lamsortensis.
Abundius Tididitanus, per.
Valentianus Montesis, per.
Adeodatus Nobabarbarensis.
Adeodatus Idassensis.
Florentius Nobagermaniensis.
Villaticus de casis Medianensis.
Eusebius Susicaziensis.
Victorinus de Nobacæsaris.
Vitalianus Vazaritanus.
Iunior Tigillabensis.
Vigilius Ressanensis, per.
Leporius Augurensis.
Pascentius Octabensis.
Petrus Madensis.
Felix Matharensis, per.
Florentius Centenariensis.
Felix Gilbensis, per.
Florentianus Midilensis.
Fluminius Tabudensis.

Optantius Casensi Calanensis.
Peregrinus Puhentianensis, per.
Felix Nobasparsensis, per.
Felicianus Metensis.
Domnicus Cæsariensis, per.
Candidus Nobasinensis, per.
Q odvultdeus Cælianensis Nam.
Ianuarius Zattarensis.
Victorinus de Castello Tituliano.
Fructuosus de Giru Marcelli.
Cresconius Tharasensis.
Maximus Sillitanus, per.
Vigilius Hizirzadensis, per.
Victor Municipensis.
Servus Arsicaritanus.
Felix Casennigrensis.
Donatianus Veselitanus.
Prudentius Madaurensis.
Donatus Rusticianensis.
Donatus Villadegensis.
Crescens Bussadensis, per.
Adeodatus Sistronianensis, per.
Rusticus Tipasensis.
Simplicius Tibilitanus.
Stephanus Sinitensis.
Pascentius Cethaquensusca.
Donatianus Teglatensis.
Cresconius Zabensis.
Antonianus Mustitanus.
Reparatus Tubuniensis.
Anastasius Aquenobensis.
Victorinus Babrensis, per.
Felix Tebestinus.
Domninus Moxoritanus Metallo.
Secundus Tamogaziensis, per.
Victorinus Legiensis.
Quodvultdeus Respectensis.
Ianuarius Velesitanus.

Benena-

Benenatus Mazacensis, per.
Donatus Lugurensis, per.
Victor Cirtensis, per.
Pardalius Macomadiensis.
Ianuarius Legensis, per.
Quodvultdeus ad Turres Concordi.
Maximus Lamfuensis, per.
Marcellinus Vagrautensis.
Domnicosus Tigilitanus.
Donatus Gilbensis.
Fortunius Regianensis.
Donatus Silensis.
Victor Gaudiabensis.
Ianuarianus Marculitanus.
Ianuarius Centuriensis.
Felix Suabensis.
Crescentianus Germaniensis.
Annibonius Vadesitanus.
Ianuarius Gaurianensis, per.
Fortunatianus Naratcatensis.
Maximus Lamiggizensis.
Felix Garbensis, per.
Iulius Vagarmelitanus.
Ponticanus Fromensis, per.
Victor de Turres Ammeniarum.
Servus Belesasensis.
Honoratus Fatensis.
Mensor Formensis.
Peregrinus Muliensis.
Gedalius Ospitensis.
Fulgentius Vagadensis, per.
Secundinus Lamasuensis.
Crescentius Tacaratensis.
Benenatus Milevitanus.
Quodvultdeus Ullitanus.
Proficius Selecucianensis, per.
Proficius Vadensis, per.
Ianuarius Tagastensis, per.
Donatus Maximianensis.
Adeodatus Zaradtensis, per.
Felicianus de Giru Tarasi.
Cardelus Lamiggigensis.
Flavianus Vicopacensis.

SUNT NUMERO CXXIII.

Nomina Episcoporum Provinciæ Byzacenæ.

...... Vassinassensis.
.... & aquis.
Liberatus Amudarsensis, per.
Mansuetus Afusfeniensis.
Pascasius Septimuniciensis.
Hortulanus Benefensis.
Victorinus Ancusensis.
Eubodius Mididitanus.
Terentianus Tubulbacensis.
Rogatianus Vadentinianensis.
Bonifacius Masclianensis.
Victorinus Seberianensis.
Victor Narensis.
Leontius Decorianensis.
Servus Dei Tambeitanus.
Lætus Neptitanus.
Felix Castrensis, per.
Flavianus Bubelianensis.
Decimus Theuzitanus.
Servandus Putiensis.
Restitutus Thagamutensis.
Præsidius Sufetulensis in exilium.
Eustrathius Sufetanus.
Secundinus Garrianensis, per.
Prefectianus Abaradirensis, per.
Sabinianus Octabiensis.
Adelfius Mactaritanus.
Restitutus Aquiabensis.
Autacius Medianensis.

Mensius

Mensius Turrensis.
Filtiosus Aggaritanus.
Fastidiosus Egnatiensis.
Germanus Peradamiensis.
Donatus Ermianensis.
Paschasius Tenitanus,
Domninus Tarazensis.
Hilarinus Trofinianensis.
Fortunatianus Leptiminensis.
Honoratus Tegariatenus.
Albinus Octabensis.
Aurelius Feradimaiensis.
Felix Crepedulensis.
Cyprianus Unizibirensis.
Innocentius Muzucensis.
Possidius Massimanensis, non occurrit.
Victor Vitensis,non occurrit.
Victorinus Sarbatianensis.
Adeodatus Pederodianensis.
Athenius Circinitanus.
Florentius Tuziritanus.
Vindicianus Marazianensis.
Adelfius Mattaritanus.
Adeodatus Præcausensis.
Restitutus aquis Albensium.
Felix Irpinianensis.
Victorinus Usulensis.
Habet deum Tamallumensis.
Concordius Culuſitanus.
Servus Menefessitanus.
Quintianus Casulis Carianensis.
Restitutus Acolitanus.
Vindemialis Capsensis.
Quodvultdeus Durensis,per.
Heliodorus Cufrutensis.
Marcellinus Tasbaltensis.
Fortunatianus Cilitanus.
Honoratus Tiziensis.
Bonifacius Foratianensis.
Servus Arsuritanus.
Felix Forontonianensis.
Succensianus Febianensis.
Iulianus Vararitanus.
Bonifacius Frontonianensis.
Secundianus Mimianensis in exil.
Donatus Boanensis.
Bonifacius Maraguiensis.
Pirasius Nationensis.
Faustus Præsidiensis.
Rusticus Tetcitanus.
Primianus Gurgaitensis.
Bonifacius Filacensis.
Honoratus Macrianensis,per.
Frumentius Teleptensis.
Honorius Oppenuensis.
Fortunatianus Tagarbalensis.
Simplicius Carcabianensis.
Donatus Rufinianensis.
Liberatus Aquarum Regiarum, per.
Victorianus Quæstorianensis.
Rufinianus Victorianensis.
Maximus Gummitanus.
Peregrinus Materianensis.
Fortunatus Moroteoritanus.
Pacatus Vicoateriensis.
Proficius Sublectinus.
Saturus Irensis.
Mangentius Ticualtensis.
Villaticus Auzegerensis.
Cresconius Temoniarensis,per.
Paulus Turreblandinus,per.
Restitutus Segermitanus in exil.
Victor Gauvaritanus.
Donatianus Eliensis.
Stephanus Ruspensis.
Vinitor Talaptulensis.

Horten-

Hortensius Autentensis.
Tertullus Iuncensis.
Eusebius Iubaltianensis,per.
Servilius Unaricopolitanus.
Donatus Aggaritanus.
Vigilius Tapsitanus.

Sunt Numero cvii.

Et Cathedræ quæ Episcopos non habuerunt.

Madassuma.	Horrea Cælia.
Dionysiana.	Cunculiana.
Sulianis.	Ticibus.

Sunt Numero vi.

Nomina Episcoporum Mauritaniæ Cæsariensis.

Glorinus Juncensis.
Tiberianus Quindiensis.
Victor Sufaritanus.
Syrus Corniculanensis.
Lucius Itensis.
Honoratus Timicitanus.
Donatus Nobicensis per.
Patera Milianensis.
Reparatus Girumontensis.
Avus Altabensis.
Donatus Panatoriensis.
Martialis Columpnatensis.
Subdatius Sucardensis.
Subitanus Idensis per.
Donatus Tifiltensis.
Felicianus Idensis.
Onesimus Fidolomensis.
Victor Taborentensis.
Verecundus Nobensis.
Stephanus Zucabiaritanus.
Apocorius Cæsariensis.
Felix Rusubiritanus.
Donatus Subbaritanus.
Ianuarius Aquensis.
Martianus Murustagensis, per.
Claudius Vagalitanus.
Passitanus Tigisitanus.
Salo Fallabensis.
Donatianus Usinadensis.
Paulus Flumenzeritanus.
Nicetius Castellominoritanus.
Restitutus Florianensis.
Mensius Alamiliarensis.
Maxentius Tigamibenensis,per.
Urbanus Amaurensis, per.
Cresces Sestensis, per.
Donatus Ternamunensis.
Fortis Caputcillensis.
Ianuarius Nasbincensis, per.
Palladius Bacanariensis.
Valens Villenobensis.
Passinatus Masuccabensis, per.
Longinus Pamariensis.
Honorius Benepotensis.
Burco Vardimissensis, per.
Felix Ambiensis.
Æmilius Mediensis.
Arator Catulensis.
Cæcilius Minnensis.
Lucidus Cartennitanus.
Victor Regiensis.
Rogatianus Vaunidensis, per.
Primus Caprensis.
Metcur Rusiccuritanus.
Rufus Sfasferiensis.
Eusebius Obbitanus.
Securus Timidanensis.
Donatus Frontensis.

Victor Leositanus.
Quodvultdeus Tablensis, per.
Restitutus Lapidiensis, per.
Donatus Voncariensis.
Bonifacius Rusguniensis.
Venantius Oppidonebensis, per.
Mattasius Castelliabaritanus.
Felix Aquisirensis.
Victor Caltadriensis, per.
Cresces Tigabitanus.
Idonius Rusaditanus.
Gelianus Reperitanus.
Ingenuus Ubabensis.
Petrus Oboritanus.
Faustus Castraseberianensis.
Vitalis Castranobensis.
Petrus Castellanus, per.
Quintasius Mutecitanus.
Paulinus Rubicariensis.
Pascasius Mammilensis.
Tacanus Albulensis.
Emptacius Siccesitanus.
Talasius Gratinopolitanus.
Victor Manaccenseritanus, per.
Pannonius Bitensis.
Felix Flenucletensis, per.
Campanus Bidensis.
Valentinus Castelli Mediani.
Romanus Susaritanus.
Secundus Maurianensis.
Reparatus Bulturiensis.
Lucius Maturbensis, per.
Cæcilius Balianensis.
Rogatus Sereddelitanus.
Mingin Nobensis, per.
Reparatus Castelli Tatroportensis.
Philo Arsinuaritanus.
Vassivus Elsantariensis, per.
Patera Catabitanus.
Vincemalus Baparensis.
Reparatus Tipasitanus, per.
Romanus Tamadempsis, per.
Victor Voncarianensis.
Maddanius Murconensis.
Crispinus Tabadcarensis.
Quodvultdeus Summulensis, per.
David Tadamatensis.
Candidianus Catrensis, per.
Reparatus Cissitanus.
Pœquarius Tasaccurensis, per.
Quintus Tabuniensis, per.
Maximus Tuscamiensis.
Auxilius Gunagitanus, per.
Reparatus Sitensis.
Saturninus Vissalsensis, per.
Felix Maxitensis, per.
Gaius Adsinuadensis, per.
Cresces Satafensis, per.
Saturninus Sertensis, per.
Victor Numidensis, per.
Cercalis Castelloripensis.
Lucius Tamazucensis.

SUNT NUMERO CXX.

Et Cathedræ quæ Episcopos non habuerunt.

Maiucensis.	Maurensis.
Nabalensis.	Tingariensis.
Tubunensis.	Oboritanus.

SUNT NUMERO VI.

Nomina Episcoporum Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis.

Rufinus Tamallumensis.

Donatus

Donatus Sitifensis.
Maximus Coviensis.
Domitianus Igilgitanus.
Honorius Aquæalbensis.
Festus Satafensis.
Victor Horrensis.
Maximus Thugusubditanus.
Victor Ierasitanus.
Vadius Lesuitanus.
Pacatus Equizotensis.
Felix Castellanus.
Constantius Gegitanus.
Victor Eminentianensis.
Saturnius Sociensis, per.
Iacobus Lemelefensis.
Cresciturus Cellensis, per.
Emeritus Macrensis, per.
Redux Nobalicianensis.
Argentius Zallatensis.
Vindemius Lemfactensis.
Abus Ficensis.
Restitutus Macrianensis, per.
Vitalis Assafensis.
Victor Flumenpiscensis.
Juventinus Marovanensis.
Romanus Melicbuzensis.
Victorinus Sercitanus, per.
Montanus Cadamusensis.
Clemens Thamagristensis.
Adeodatus Privatensis.
Rogatus Partenіensis.
Villaricus Mozotensis.
Honoratus Tamascaniensis, per.
Justus Acufidensis, per.
Æmilius Asuoremitensis.
Uzulus Thuccensis.
Aufidius Suristensis.
Victorinus Perdicensis.
Possessor Zabensis.
Pascasius Salditanus.
Flavianus Vamallensis.

SUNT NUMERO XLIV.

Nomina Episcoporum Provinciæ Tripolitanæ.

Calipides Leptimagnensis.
Leo Sabratensis.
Faustinus Girbitanus.
Cresconius Oensis.
Servilius Tacapitanus.

SUNT NUMERO V.

Nomina Episcoporum insulæ Sardiniæ.

Lucifer Calaritanus.
Martinianus de foro Traiani.
Bonifacius de Sanafer.
Macarius de Minorica.
Vitalis Sulcitanus.
Felix de Turribus.
Helias de Maiorica.
Opilio de Euuso.

SUNT NUMERO VIII.

Et sic sunt omnes Episcopi diversarum Provinciarum Numero CCCCLXVI.

Ex quibus perierunt numero LXXXVIII. id est.

De Proconsulari Numero IV.
De Provincia Numidiæ Numero XXXIV.
De Provincia Byzacena Numero X.
De Provincia Mauritaniæ Cæsariensis Numero XXXII.

De Provincia Mauritaniæ Sitifensis Numero VIII.
Permanserunt Numero CCCLXXVIII.
Corsica relegati Numero XLVI.
Hic relegati Numero CCCII.
Fugerunt Numero XXVIII.
Passus Numero I.
Confessor Numero I.

4. Præclarum est hoc notitiæ Provinciarum & Ecclesiarum Africæ monumentum, de quo cum dubitari potuisset, quonam auctore fuerit conscriptum, edita sunt novissimè per Chiffletium opera Victoris Vitensis, in quibus hæc notitia apparet, ut ex iis, qui tunc conventui Carthaginiensi interfuerunt eam ipsam recepisse verosimile sit, ipse namque notitiæ quidem insertus habetur tanquam istis temporibus florens, sed notandum omnino, hæc esse notitiæ verba: *Victor Vitensis, non occurrit*. Ex quibus conficitur Victorem, qui historiam de persecutione Wandalicâ quinque libris conscripsit, non fuisse Episcopum Uticensem Provinciæ Proconsularis, utpote qui Conventui Carthaginiensi interfuerat, & in notitiâ memoratur *Florentius Uticensis* relegatus Corsicâ in exilium: sed fuisse Episcopum Vitensem Provinciæ Byzacenæ, nec adfuisse Carthagini cum de fide disputaretur cum Arianis, utpote de quo ipse Victor Vitensis supra: *non occurrit*. Extat sæpius in notitiâ, quod aliqui Episcopi *hic* essent relegati, & in fine post omnium enumerationem: *hic relegati numero trecenti duo*. Cum autem Victor Vitensis, non occurrit, sed in quodam Africæ loco manserit occultatus, putarem ego per to *hic* intelligendam esse Africam ipsam, quam *colonatus jure ad excolendum agros* accipi jussit Hunericus pro iis, qui non jurarant: reliquos verò jurantes, Hildericum post obitum Hunerici successurum, jussi *sunt in Corsicanam insulam relegari, ut ligna profutura navibus Dominicis inciderent.* Ita ipse Victor Vitensis lib. 3. de persecutione Wandalicâ, ex quo etiam constat, plures 324. *orthodoxorum sanctos*, ut loquitur Marcellinus Comes, fuisse relegatos, fugatosque. Fuerunt enim tunc temporis trecenti quadraginta octo Episcopi, qui Carthaginem advenerant, ex quibus 302. extra civitates suas per Africæ Provincias dispersi terram incolebant, quadraginta verò sex ligna in Corsicâ cedere coacti erant. Hisque si addas viginti octo, qui effugerant, passum unum, & confessorem unum, cum octuaginta octo, qui ante conventum Carthaginiensem vitam finierant, efficient numerum quadringentorum sexaginta sex Episcoporum in omni Africâ anno 484. sedes habentium. Ex quibus tamen conficitur post annum 411. quo in collatione

Notitia.

Victor Vitensis.

Marcellinus Comes.

collatione Carthaginiensi numerabantur 570. cathedræ Episcopales, defecisse sedes centum & quatuor, tantam nimirum stragem bella Arianorum in Africam advexerant.

5. Sed quid hic hæremus, cum Victor Vitensis libro 1. de persecutione Wandalicâ testatus sit, quod ex Zeugitanæ & Proconsularis Provinciæ Episcopis, quorum erat numerus 164. paulatim omnes defecerint, *& nunc*, inquit, *si vel ipsi supersunt, tres tantum esse videntur, Vincentius Gigitanus, Paulus Sinnaritanus, vere meritò & nomine Paulus, & alius Quintianus, qui nunc persecutionem fugiens apud Edessam Macedoniæ civitatem commanet peregrinus.* Scripsit suam historiam Victor Vitensis sexagesimo anno post Wandalorum in Africam adventum, sic enim inchoat suam historiam: *sexagesimus nunc, ut clarum est, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sævus Vandalicæ Gentis, Africæ miserabilis attigit fines.* Cumque anno 427. Wandali ad Africam venerint patet anno 487. historiam de persecutione Wandalicâ à Victore conscriptam, ac tertio post relegatos Episcopos anno ex tot, quos enumerat de solius Proconsularis Provinciæ Episcopis, tres tantum superfuisse, id quod excepto Eugenio Carthaginiensi venit intelligendum. De illo namque scribit libro 3. idem Victor quod adhuc superfuerit, sicut & diu postea superfuisse ostendimus cap. 1. huius dissertationis supra. Victor Vitensis.

6. Cæterum antequam ab hac Vandalorum persecutione discedamus, fidelium Afrorum fidem & ritus Ecclesiasticos lubet in medium adducere, & ex quinto sæculo Ecclesiam tot millium Martyrum sanguine sacratam hæreticorum oculis ad novitatis præscriptionem obijcere. Narrat Victor Vitensis scriptor coetaneus, & natione Africanus, sub Hunerico *Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra id est quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi destinata.* Et dum ipsemet Sanctorum turbam comitabatur: *Quanta*, inquit, *tunc multitudines de diversis regionibus & civitatibus, ad visendos Dei Martyres occurrerent populorum, testantur via vel semita: quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium, & Vallium concurrens turba fidelium inestimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigiis Martyrum projicientes, ista voce clamabant: quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad Coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quæcumque solveritis super terram,* Victor Vitens.

 erunt

erunt soluta & in cœlis. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes ? à quibus divini sacrificij ritus exhibendus est consuetus ? Vix locum hunc siccis oculis legere queo, dum fidelium Africanorum, Martyrum vestigia insequentium vocem pietate plenam, & religionis Zelo conspicuam pervolvo.

7. Enim vero quod timebant, evenit ipsis in exilium ductis
Victor Vitensis. pastoribus, nam vel Ecclesiæ clausæ sunt vel in Arianorum potestatem redactæ: non semel sed sæpius prohibitum fuit Catholi-
Lib.2. cis, ne *conventus celebrarent*: Interdictum fuit, *missas in sortibus Van-*
Lib.1. *dalorum* celebrare: Coarctabantur clerici *ad tradendum ministeria di-*
Lib.3. *vina*: vetitum est Episcopis, *ne baptismatis haberent omnino aliquam facultatem, aut forte de religione disputarent, & nullam ordinandi haberent licentiam, sive Episcopos sive Presbyteros, vel alios quos ad clerum pertinere contingeret. Sacras Virgines* ex Monasteriis tractas tormentis subiecerunt Vandali, lectores hymnodicam psallentes transfixerunt
Lib.1. in ipsius altaris crepidine, *tempore quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo furore Corpus Christi & sanguinem pavimentis sparserunt, & illud pollutis pedibus calcaverunt.* Solemnes orationes in sepulturâ defunctorum prohibuerunt: *quis vero sustineat*, inquit Victor Vitensis libro 1. *atque possit sine lachrymis recordari, dum præciperet* (Geisericus) *nostrorum Corpora defunctorum, sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci ?* quid plura ? impletum
Lib.2. est, quod Deus per visiones præsignificavit, *Ecclesiam Fausti solito in ornatu fulgentem*, cereis quoque *fulgentibus, pallijsque velaminum ac lampadibus rutilantem* subito lumine & ornatu per Vandalos privari, & fidelium loco, porcorum & infidelium multitudine repleri. Altaria eversa sunt, sacrificia defecerunt, sacerdotes expulsi sunt, & dum hæc lugent cum Victore fideles Afri, agnoscant temeritatem suam novatores hæretici, qui non lugent sed plaudunt sibi, quod Ecclesias Catholicorum ornatu suo privarint, altaria everterint, sacerdotes expulerint, sacrificia & missas vetarint, Christianorum corpora sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulchrum perduci effecerint, uno demum verbo monasteria & loca sacra in stabularia verterint.

CAPVT

CAPUT V.

De novo religionis incremento, sub Iustiniano, & turbatâ per ortam de tribus Capitulis quæstionem Africanæ Ecclesiæ Pace.

1. *Sub Hilderico anno 523. Ecclesia aperta sunt, post quem integram Catholicis libertatem restituit Iustinianus Imperator, qui misso in Africam Belisario Carthaginem imperio subegit.*
2. *Sub Iustiniano mota de tribus capitulis quæstio Africam iteratò turbavit. Eius quæstionis Origo, & turbarum Africanarum indicia.*
3. *Vigilius Papa tria capitula defenderat cum Africanâ Ecclesiâ, cuius acta ex Facundo Hermianensi Episcopo proferuntur.*
4. *Celebrato sub Menna Constantinopoli Concilio, trium Capitulorum Damnationi tandem subscribit Vigilius, contrà quem Facundus Hermianensis stylum acuit.*
5. *Episcopi Afri Constantinopolim adventantes trium Capitulorum damnationi subscribere renuunt, & varia obinde patiuntur.*
6. *Tragediæ initium habet in epistolâ suâ Italiæ clerus, & quamvis pax inter Episcopos facta sit tempore Concilij 5. generalis, id tamen malè extendit D. de Marca ad Africanos, qui diu postea adhuc restiterunt, ut primum Gregorij tempore contentio sopita credatur.*

1. POst Trasemundi obitum, qui insaniâ plenus, Ecclesias iterum clauserat, & in Sardinam ex omni Africanâ Ecclesiâ 120. exulantes Episcopos cum S. Fulgentio Ruspensi miserat; anno 523. Hildericus successit, de quo appendix S. Prosperi apud Canisium tomo 1. *Hildericus in exordio regni sui Bonifacium Episcopum apud Carthaginem in Ecclesiâ S. Agilei ordinari præcepit, & omnibus Catholicis libertatem restituit.* Hinc Bonifacius in Synodo Carthaginiensi an. 525. meminit *reparatæ libertatis*; quam Deus monito Episcopo, qui Iustinianum ad liberandos in Africâ fideles instigaret, penitus restituere decreverat. *Bellizarius enim*, inquit ad annum 535. Sigebertus, *à Iustiniano* Sigebertus.

Iustiniano Imperatore ex jussu Dei ad Africam liberandam de manu Vandalorum missus est, & inquit Isidorus æra 560. *Belizarius ipsum Gelimerum in fugam vertit, Africam capit 97. Vandalorum ingressionis anno.* Addit Marcellinus Comes Justiniano 4. & Paulino Coss. *Carthago quoque Civitas eius anno excessionis suæ 96. . . . Quarto Iustiniani principis consulatu ipsius moderatione recepta est.* Fusius hæc enarrat Procopius testis oculatus, qui lib. 1. de bello Vandalico, cap. 21. Addit de templo Cypriani ad littus Carthaginis constructo, & à nostris occupato: *tunc fuga elapsis sacerdotibus Arianis, Christiani rectæ fidei ac veræ religionis cultores Cypriani ædem ingressi lucernas omnes accenderunt, & sacra consueto apud se ritu curarunt.* Addit lib. 6. de ædificiis, idem Procopius Cæsariensis, à Iustiniano non templa modo restituta in Africâ, & Monasteria per eum constructa, sed Mauros barbaros quoque Tripolim & Sirtim inhabitantes, sub ditionem redactos, *qui*, inquit cap. 6. *omnes Iustiniani Augusti impulsu fidem Christianam sponte amplexi sunt.* Et ut agnoscatur, quam brevi tempore Africana Ecclesia restituta fuerit prisco splendori, anno 534. Reparatus celebravit Carthaginiense Concilium, cuius Synodica ad Ioannem 2. extat cum mentione 217. Episcoporum, qui in Concilio universali apud Iustinianam Carthaginiensem adfuerant in signum restauratæ per Africam Ecclesiæ, tanto Episcoporum numero conspicuæ.

S. Isidorus.

Procopius.

2. Florebat jam Ecclesia Africana Vandalorum jugo & tyrannide liberata, dum ecce novæ iterum occasione trium Capitulorum exortæ sub Iustiniano Imperatore in Ecclesiis præcipuè Africanis turbæ. Occasionem enarrat Liberatus Carthaginiensis Diaconus in breviario cap. 23. & 24. ex Theodori in Pelagium sedis Apostolicæ tunc temporis apud Justinianum Apocrisarium invidiâ. Cum enim Origenis capitula annuente Pelagio per Justinianum proscriberentur, Theodorus sectâ Acephalus Origenisque defensor ut par pari referret, indicavit, quod si tria capitula damnaret Theodorũ Mopsvestenum, Theodoretum Cyrensem, & Ibæ Epistolam, omnes acephalos acquieturos, & redituros ad unionem: addit Liberatus annuisse principem, & dictasse librum in damnationem trium capitulorum, qui etiamnum extat in appendice ad Concilium generale quintum, & inscribitur *universo Cœtui Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.* Editus fuit hic liber, & ut inscribitur teste Liberato, toti mundo manifestatus, nec in occidente ad solum Vigilium Papam, sed ad Africanos quoque Episcopos anno, ut putat Garnerius, 545. transmissus: Et ex iis quoque tunc respondit

Synod. Afric.

pondit Pontianus Epistolâ inter Vigilij litteras editâ, in quâ ad Iustinianum Imperatorem: *Dignatus es nos in Africanis partibus commorantes litteris admonere, qualem fidem teneas ac defendas.* Ex quibus verbis colligimus, Pontianum agere de laudato Iustiniani libro, qui cum fide ipsius incipit, sed cum tribus Capitulis desinit, de quibus: *In extremo itaque Epistola vestra cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodoreti, & Epistolam Iba damnare.* Ubi & notanda sunt illa verba, *nos non Mediocriter remordet*: Ex quibus Africanorum habita super Iustiniani edictum aut librum judicia luculenter conspicimus, & futuram repugnantiam divinamus. Pontian.

3. Repugnaverat & consultus hac de re Vigilius Papa, *ostendens* inquit Facundus Hermianensis, *multos venerabiles viros hoc secum judicasse*, inter quos ponit Africanos, in *Africa* namque, inquit Facundus lib. 4. cap. 3. *Priusquam ipsius Romani Antistitis acceperimus Epistolam, non parvo jam cognoveramus judicio, quid de huius facti novitate sentirent. Nam venerabiles Pelagius & Anatolius, Romani Diaconi debitam Officio suo & loco sollicitudinem pro Ecclesiâ Dei gerentes, laudabilis in Christo memoria Ferrando Carthaginiensi Diacono scripserunt, ut habito de hac causâ diligenti tractatu, cum Reverendissimo eiusdem Ecclesia Carthaginiensis Episcopo, vel aliis quos ut Zelum fidei, & divina Scriptura sciret habere notitiam consulentibus responderet, quid observandum in commune omnibus videretur.* Ex quibus plura colligere licet, ac primò quidem, cũ indictione 5. post consulatum Basilij anno 5. Vigilius Papa per Imperatorem Constantinopolim evocaretur, Româ egressum fuisse anno 546. ut ex Anastasio Bibliothecario, & Auctore Auctuarij Marcellini colligit Garnerius, unde post Vigilij egressum Pelagius & Anatolius pro Ecclesiâ sollicitudinem gerunt. Secundo, tunc quoque eos scripsisse ad Ferrandum Carthaginiensem Diaconum, ut coadunati sub Episcopo Carthaginiensi Reparato Concilij sensum de tribus Capitulis Expostularet. Tertio, Carthaginiense Concilium, cuius acta nunc interierunt, haberi debuisse, cum Facundus Hermianensis testetur de Africâ: *non parvo jam cognoveramus judicio.* Quartò Ferrandum nomine suo Africanorum sententiam rescripsisse; *sed & ille qui consultus fuerat rescribens interrogantibus, retractandam non esse docuit Epistolam.* Idem annotat Sirmondus ex Duodecim Auctorum Cathalogo, qui subdi solet Isidori Libello de Viris illustribus: *Ferrandus ad Pelagium & Anatolium Romanos Diaconos consulentes eum, utrum liceat quemquam damnare post mortem, edidit rescriptum.* Facundus.

4. Edicto per Iuſtinianum propoſito celebratum eſt ſub Menna Conſtantinopoli Concilium à pleriſque Epiſcopis, qui in eo trium Facundus. Capitulorum *condemnationem fecerunt*, ut indicat lib. 4. cap. 3. Facundus Hermianenſis, addens cap. 4. obinde Stephanum Romanæ Eccleſiæ Apocriſarium ſe à Mennæ Communione ſeparaſſe, quod cæteri iſtius Concilij Epiſcopi datis Stephano libellis de extortâ per vim ſubſcriptione eſſent conqueſti. Factum veroſimilius putat Garnerius anno 546. cum Vigilius Papa in Siciliâ moras necteret, ad quem cum trium Capitulorum damnatio Synodica miſſa fuiſſet, inſtructus per Dacium Mediolanenſem Epiſcopum tunc ex comitatu in Siciliam appulſum, Mennam & Iuſtinianum, ne ſtaret, quod factum fuerat, rogavit, & urbem Conſtantinopolitanam ingreſſus octavo Calendas Februarij anno 547. Mennam & alios capitulorum damnatores communione privavit, ut ſcribit Facundus Hermianenſis libro contrà Mocianum. Cæterum cum Conſtantinopolim adventaſſet, etiamſi Vigilius nullâ vi adigi poſſet ad ſubſcriptionem, ut inquit Marca in diſſert de Vigilij decreto num.8. conſenſit tamen anno 548. ut in Conventu 70. Epiſcoporum hæc cauſa Conſtantinopoli diſcuteretur, ſingulorumque ſuffragiis ad ſe ſcripto delatis, ipſe judicatum dedit ad Mennam, quo tria capitula damnabat. Concilio illi adfuit Facundus Hermianenſis in Africâ Epiſcopus, ut fatetur in præfatione ſui operis, & quæ acta deſcribit Dominus de Marca latius proſequitur Facundus in opere contrà Mocianum, ubi ſcribit, 70. Epiſcopos cum Vigilio damnaſſe tria Capitula ſed Salvâ Calcedonenſis Concilij auctoritate, cui cum Facundus Hermianenſis tunc obſiſteret, reſponſiones Epiſcoporũ ad palatium miſit Vigilius, & judicato ſuo die Sabbati Sancti Mennæ oblato, factum eſt, quod ſcribit Victor Tunnonenſis in Chronico Victor Tunnonenſ. anno 8. poſt conſulatum Baſilij, qui eſt Chriſti 549. *Iuſtinianus Imperator per diverſas provincias in regni ſui finibus conſtitutas inſtantiſſimè ſcribit, & Antiſtites cunctos tria Capitula damnare compellit.* Quin hæc conſtitutio ad Afros in finibus regni conſtitutos etiam tranſmiſſa fuerit, nulli dubium eſſe poteſt. à Ruſtico Diacono, qui Vigilium reliquerat & à Sebaſtiano initio anni 549. ut obſervat Sirmondus in Synopſi Chronicâ Facundo ſubiunctâ, per Provincias infamatur, ac judicatum eius in Africam miſit, ut deplorat in Epiſtolâ ad Ruſticum Relatâ collatione 7. Synodi 5. ipſe Vigilius: tuncque factum eſt, quod anno Victor Tunnonenſ. decimo poſt Conſulatum Baſilij ſcribit Victor Tunnonenſis: *Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum damnatorem trium Capitulorum,*

rum, Synodaliter à Catholica Communione, reservato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defensione memoratorum trium Capitulorum litteras satis idoneas Iustiniano Principi per Olympium Magistrianum mittunt eo tempore septem libri Facundi Hermianensis Ecclesiæ-Episcopi refulsere. Extant huculque libri non septem solum, sed duodecim in defensionem trium Capitulorum à Facundo Hermianensi conscripti, & Iustiniano Imperatori destinati, cui Iacobus Sirmondus aliud Facundi opus addidit scriptum contra Mocianum Scholasticum, qui Africanos, quod sese à communione Vigilij segregarant, merito redargueret. *Mocianus*, inquit Facundus, *jam reprehendere audeat Conciliorum decreta, palamque jactare, quod Episcopi Africani aliarumque Provinciarum, indignè statuerint vitare communionem eorum &c.* Conciliorum dum meminit Facundus, illud potissimum intelligit, de quo audivimus Victorem Tunnonensem supra, cumque acta illius perierint, quædam ex eodem opere contrà Mocianum excerpsit Christianus Lupus, quibus Vigilium Papam arguebant Afri tanquam prioris sententiæ retractatorem, in quo ne sedis Apostolicæ auctoritatem lædere viderentur, eum in Silverij locum intrusum obiecerunt. *Ab hoc etiam de ipsius Episcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulsu, cum fieri arderet Episcopus, vel postea venalitate parti alteræ factus, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis eius præjudicium fides vera sufferret.*

Facundus Hermian.

Facundus.

5. Hæc quidem Facundus, sed longè aliter Italiæ clerus in epistolâ per legatos Francorum Constantinopolim directâ, in quâ cum totius historiæ seriem exponit, Vigilium sub aliquâ dispensatione violentiâ factâ constitutum fecisse excusat: cumque Iustinianus instaret, ut absque ullâ mentione Chalcedonensis Concilij absolutè pergeret ad damnationem trium Capitulorum, expostulasse Vigilium quinos aut senos ex omnibus Provinciis Episcopos, cum quibus eâ de re deliberaret, tuncque factum est, quod scribit Victor Tunnonensis ad Postconsulatum Basilij undecimum, seu anno 552. *Reparatus Archiepiscopus Carthaginiensis Ecclesiæ, Firmus Numidarum Episcoporum Primas, Primasius & Verecundus Concilij Byzaceni Episcopi pro fidei causâ ad urbem regiam eiusdemque præcepto principis evocantur.* Eadem confirmant Italiæ Clerici, ac pergunt: *de Africâ verò cum jam aliqui proximare civitati regiæ dicerentur, dixit Papa Vigilius principi, ut si ei non sufficeret illud, quod ante decreverat, redderet, & tanquam de novo causa cum his, qui venire nuntiati sunt, tractaretur.* Sicque recepto constituto suo, quod scandalum in Ecclesiis generasse fatetur Vigilius, ad tracta-

Victor Tunnonens.

Italiç clerus.

tum proximè habendum omnia suspendit. Tumque facta sunt, quæ ut omnibus nota Liberatus Archidiaconus Carthaginiensis in fine breviare silentio præterire constituit, *quomodo consentientes Episcopi in in trium damnationem Capitulorum muneribus ditabantur; vel non consentientes depositi in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes in angustiis Felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto „ nunc a me silenda.* „ De suis Africanis loquitur, inquit Garnerius „ in notis, Reparato Carthaginiensis, Firmo Numidici, Primasio „ Byzaceni Concilij Primate, Verecundo Nicensi, & Victore Tu„ nonensi Episcopo. Horum primus depositus est, ac in exilium „ missus Euchaidam, tertius ad sedem suam cum muneribus remissus „ post damnationem 3. Capitulorum subscriptam. Firmus post decem „ annos in exilio interiit pertinaciter renuens 5. Synodo assentiri. „ Verecundus & Victor è carcere in carcerem traducti, & tandem „ in monasteria detrusi sunt. „ Hæc Garnerius, præter quos, & alios in Africâ latitare coactos, lucet ex Facundo Hermianensi in libro ad Mocianum, ubi filios aut clerum suum, ad quos librum scribit, nominasset, *sed metuens*, inquit, *ne tanquam latebrarum nostrarum conscij, persecutorum, quos fugimus, incideritis in Calumnias, nominare vos nolui.*

Liberatus. Garnerius. Facundus.

6. Cæterum initium harum tragediarum describunt Italicæ Clerici supra, *cum Afri Episcopi in civitatem regiam pervenissent, cœperunt eis nunc blandimentis, nunc terroribus extorquere, ut praberent in Capitulorum damnatione consensum. Sed cum nullatenus eis extorquere potuissent, concinnata est causa sancto Reparato Episcopo Carthaginiensi, quasi Areobindam magistrum militum à Guntarit Tyranno in Africâ fecisset occidi, & sub hoc colore in exilio deportatus est. Hoc videntes alij duo, qui inter ipsos & sanctitate vitæ & divinarum scripturarum scientiâ sunt ornati ad S. Euphemiam Chalcedonem fugerunt, & ibi usque hodie sub tantâ necessitate jacent &c. Mittunt etiam ad Carthaginem & alium in loco Sancti Reparati Episcopi contrà omnes regulas, & contra omniâ statuta Patrum Episcopum ordinari fecerunt, quod cum nimia effusione sanguinis & interitu multorum innocentum hominum fecisse dicuntur.* Agunt de Primoso in Reparati locum constituto, cuius Vicarius interfuit anno 553. Concilio quinto, per quem & trium Capitulorum damnationi consensit, & datâ encyclicâ sex mensibus post finitam Synodum eius de tribus Capitulis sententiam amplectitur Vigilius, pro ratione allegans, quod scandalum cessarit, & Deus *universum orbem & Eccle-*

Clerus Ital. Vigilius.

siam

siam ad pacem revocavit : Parisiensis Archiepiscopus de Marca dissertatione de Vigilij decretò aut epistolâ, quam primo Græco latinam edidit ex M. SS. Bibliothecæ regiæ, concludit ex hisce verbis num. 17. Quod scandala *jam sedata essent, paxque reddita esset: unde*, inquit, *colligere licet Illyricianarum & Africanarum Provinciarum Episcopos prioris sententiæ pœnituisse, & communicatis cum Vigilio consiliis orientalium communionem amplexos*; verum pace Viri eruditi dixerim, loquitur Vigilius de pace in 5. Synodo per Episcopos amplexâ, etiamsi anno 553. Africani Episcopi nondum à defensione trium Capitulorum recessissent. Notat namque Laboeus in chronico ex Victore Tunnonensi, Iustinianum Imperatorem anno 554. malè tractasse defensores trium Capitulorum, & ipse Liberatus eodem anno Carthaginem redux, anno primum 555. breviarium conscripsit, in cuius capite ultimo introducti in Ecclesiam scandali cum dolore meminit. Firmus Numidicus decimo post exilium anno, Christi nimirum 562. adhuc exul interiit, pertinaciter renuens 5. Synodo assentiri. Primasius verò Bizacenus, qui illi subscripserat, à Facundo Hermianensi anno 571. traducitur ut Acephalorum auctor præcipuus. In edita enim per lucam Dacherium tomo 3. spicilegij epistolâ scribit Facundus post centum & viginti ferè annos à Concilio Calchedonensi, trium Capitulorum causam esse, *pro qua universa totum penè per orbem scandilazantur Christi membra.* Vera hæç quidem erant, & de anteriori tempore intelligenda, sed cum ista scribit Facundus anno 571, tamquam sui temporis mala, illo adhuc anno restitisse oportuit. Meminit sane Pelagius 1. in litteris per Lucam Holstenium publicatis, non semel sed sæpius schismaticorum, quos comprimi rogat. Et epistolâ 6. ad Episcopos Histriæ mentionem eorum facit Pelagius 2. ut non nisi per Gregorium Romanæ Ecclesiæ Diaconum sopita credatur contentio.

De Marca.

Facundus.

CAPVT VI.

De statu Africanæ Ecclesiæ sæculo 7. per Monothelitarum hæresim nonnihil turbato.

1. *Tempore Gregorij magni pace gaudebat Africana Ecclesia, quæ nonnihil turbata est per Monothelitarum hæresim, quam Baronius putat ab Afris in variis Provinciarum Synodis damnatam.*
2. *Initium contentionis Pyrrhus fuit, qui exul in Africam venit, & post errores suos ibidem seminatos cum S. Maximo Abbate disputationem iniit coram Gregorio Patricio, in qua & victus Romam petiit.*
3. *Præsuffocatâ hâc viâ Monothelitarum, pergunt Patres Africani agere contra Paulum Pyrrhi in sede Constantinopolitanâ successorem, & tria celebrarunt Concilia, non rectè ab auctore libelli Synodici suis locis tributa: dubium Labbei an uno in Concilio trium Provinciarum Episcopi adventarunt, solvitur ex Synodicâ ad Paulum, & tria distincta Concilia fuisse, monstratur.*
4. *Tres illæ Synodi unicam tantum miserunt epistolam ad Theodorum, quod earum legati novam Synodum celebrarint in Provinciâ Proconsulari hactenus ignotam, cui non interfuit Fortunius Carthaginiensis Episcopus, quod à sede suâ tunc abfuerit Constantinopoli degens.*
5. *Subscripsit tamen Victor Carthaginiensis, quod utique Fortunius cum Paulo Constantinopolitano Monothelita communicasset, & obinde depositus fuisset, ac in eius locum creatus Victor, ex cuius epistolâ ad Paulum firmatur, ipsum præfuisse Proconsulari Synodo.*
6. *Electionis suæ in locum Fortunij meminit ipse Victor in epistolâ ad Theodorum Papam, fuitque Carthaginiensis Episcopus usque post annum 653.*

1. GRegorio Magno anno 590. ad Pontificatum assumpto, sub Dominico Carthaginiensi Ecclesiam Africanam pacem obtinuisse, lucet ex omnibus S. Gregorij epistolis ad Africanæ Ecclesiæ Antistites frequenter datis. Florebat initio sæculi 7. disciplina Ecclesiastica in Africâ, & quotidiè relationes mittebantur ad sedem Apostoli-

Gregor. M.

Apostolicam, & sedis Apostolicæ desuper responsa emanabant: renascentes in Africâ Donatistas anno 594. jussit Gregorius lib. 3. epist. 32. ad Pantaleonem comprimi, & epist. 35. ad Victorem & Colombum Africæ Episcopos habito tractatu initoque Consilio reprobari, cumque extirpatis hęreticis pace gauderet Ecclesia Africana, exorta fuit sub Fortunio ad sæculi 7. medium nova in Ecclesiâ Dei Monothelitarum unam voluntatem in Christo somniantium turbatio, à quâ nec ipsa Africana Ecclesia extitit aliena. Hæresim enim illam à Cyro Alexandrino, Sergio & Pyrrho Constantinopolitanis Episcopis introductam fuisse videbimus alibi, hic contenti adferre, quod editâ per Heraclium Imperatorem ectasi anno Christi 639. ut notat Baronius, eadem non solum Romam transmissa sit, sed & ad Africam pervenerit, in quâ tunc temporis cum Sophronio Patriarchâ Hierosolymitano morabatur S. Maximus Abbas Constantinopolitanus, qui in fragmentis epistolæ ad Petrum Illustrem à Sirmondo editis: *divinus enim Sophronius, ut ipsi testamini laudabilissimi, in Afrorum regione mecum, & cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, cum ipsi perversitates illas fabricarent adversus omnes.* Scribit vero Theophanes anno 641. in Chronologiâ tripartitâ per Anastasium bibliothecarium editâ: *Ioannes Romanus præsul collecto Episcoporum Concilio Monothelitarum hæresim anathematizavit: similiter & in Africâ penes Byzacium, Numidiam, & Mauritaniam diversi Episcopi convenientes Monothelitas anathemate perculerunt.* Quo ex loco occasionem sumere potuit annalium parens Baronius dicendi, Ioannem 4. auctorem fuisse Afris, ut eamdem ectasim damnarent, unde inquit Christianus Lupus dissert. ad 6. Concilium, cap. 5. Heraclius vela vertit, ectasim suam esse negavit, *cum*, teste S. Maximo, *sensisset à nonnullis in occidente probrum sibi aspergi.* Verum per occidentem putarem intelligendum Romam & Italiam, in quâ Heraclij ectasis damnata fuit Synodo per Ioannem 4. hac de re an. 640. habitâ. Quæ vero Theophanes addit de Conciliis Africæ, non tunc sed sex annis serius contigerunt.

S. Maximus. Theophanes. Baronius. Lupus. S. Maximus.

2. Enimverò cum Pyrrhus Constantinopolitanus in suspicionem adductus initæ cum Martinâ ac filio conspirationis voluntarium exilium subiisset, & anno 642. Paulus monothelita substitutus fuisset in eius locum, venit Pyrrhus in Africam, de quo acta S. Maximi: *Pyrrhus ubi in Africam pervenit, capitiosos cœpit suæ hæreseos laqueos tendere, quibus universam illam Ecclesiam captivam duceret. Quod & fecisset, nisi in omnibus sibi adversantem Maximum habuisset. Vnde exigentibus*

Acta S. Maximi.

gentibus Episcopis Africanis, atque ipso, qui Provinciæ præerat Gregorio Patricio, publicæ paci eius regionis, quam vehementer Pyrrhus perturbaverat, consulente factum est, ut de publicis controversiis publica fieret disputatio. Quibus ex verbis notandum venit, Pyrrhum suo adventu Africanam Ecclesiam perturbasse, & plerosque in partem traxisse, adeo ut etiam schisma inter Afros obortum fuisset, nisi Africanæ Provinciæ Episcopi publicam disputationem Pyrrum inter & S. Maximum instituissent. Extat hæc publica disputatio in appendice ad tomum 8. annalium Cardinalis Baronij, qui omnium primus ex Codicibus M.SS. Græcis in Bibliothecâ Vaticanâ extantibus eam maximo Ecclesiæ bono publici juris fecit. Edita nunc quoque reperitur à Labbeo tomo 5. Conciliorum cum hocce titulo græco-latino: *quæstio Ecclesiastici dogmatis disputata coràm Gregorio Patricio piissimo, in conventu & consessu sanctissimorum Episcoporum, & reliquorum nobilium Virorum à Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano, & à Maximo Reverendissimo Monacho mense Iulio, indictione 3. &c.* Ex allatâ temporis notâ conficitur, disputationem illam habitam fuisse anno 645. cumque coram Gregorio Patricio in conventu Episcoporum facta scribatur, eodem anno mense Iulio oportuit habitam Carthagine sub Fortunio Carthaginiensi Synodum Episcoporum, in quâ à notariis excepta fuit disputatio illa, qua victus Pyrrhus veniam petiit erroris, & sponte Romam deduci coram sedis Apostolicæ Pontifice Theodoro Palinodiam cantaturus, ut patet ex fine disputationis, unde Theophanes Abbas in chronologia: *Pyrrhus cum pervenisset in Africam mutuis cum sanctissimo Maximo videtur adspectibus, nec non & divinorum illic existentium Pontificum præsentatur obtutibus: qui hunc redargutum & persuasum Romam ad Papam Theodorum duxerunt, qui orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo receptus est.* Eadem habet ipsa subnotatio disputationis, & Anastasius Bibliothecarius in vitâ Theodori Papæ.

Disputationis Acta.

Theophanus

3. Quin publica hæc de Monothelitarum hæresi parta per S. Maximum Victoria turbas & Schisma Africanorum præsuffocarit, minimè mihi dubium videtur, occasionemque dedisse existimem, tanto fortius contrà Paulum intrusum Pyrri successorem, qui Monothelitarum hæresim Constantinopoli publicè tuebatur, agendi apud summum Pontificem Theodorum, & Orientis Imperatorem Constantem. Author libelli Synodici, qui ante 700. annos floruit, habet tres Synodos contrà Monothelitas, primam Constantinopolitanam Colybi, 2. Numidicam

Libell. Synodicus.

dicam Stephani, & 3. Mauritanicam Reparati, in quibus scribit Sergium, Cyrum, & Paulum anathemate notatos, & duas voluntates ac operationes Christi prædicatas. Verum auctor ille græcus plurimum hallucinatur: quam vocat Constantinopolitanam Colybi, dicere debuisset Byzacenam Stephani, ut notat Labbeus; unde etiam Binnius ad annum 646. statuit 42. Episcoporum Concilium Byzacenum sub Stephano Primate: & quam auctor Synodici vocat Numidicam Stephani, dicere debuisset Numidicam Columbi, qui an idem sit, ad quem D. Gregorius M. tot litteras misit tanquam ad Primatem, dubitari posset. Unam auctor Synodum Mauritaniæ rectè posuit sub Reparato, quam dum Binnius omisit, tomo 5. Conciliorum inseruit Philippus Labbeus, qui notat dubitari posse, an hæc Concilia fuerint tria distincta, in tribus distinctis locis celebrata: occasionem verò dubitandi sumit ex Synodo Romanâ Martini primi, in quâ extat epistola Synodica, quam anno 646. ad Theodorum Papam scripserunt *Columbus primæ sedis Episcopus Concilij Numidiæ, & Stephanus primæ sedis Concilij Mauritaniæ, & universi Episcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ Provinciæ.* Verum pace Labbei dixerim, licet unicam hanc Synodicam miserint tres Africæ Primates, prius tres Synodos celebrarant in suis Provinciis: ut enim habet Synodica, cum Pyrrhi libellus Romæ Theodoro oblatus ab eodem Pontifice ad Afros fuisset transmissus, Africani Præsules Paulum Pyrrhi successorem ab hæresi removendum ducebant, & dum conscriptam desuper epistolam ipsi Pontifici transmittunt Constantinopolim ad Paulum dirigendam: *suggerimus*, inquiunt, *quia nobis specialiter per unamquamque Provinciam Synodos contrahentibus venerandas, dum ex nostro collegio fratribus electis plenam transmittere nitimur legationem cum nostris relationibus, quædam oborta sunt, quæ nostram intentionem rationabiliter prohiberent. Sed huius rei, quam memoravimus, urgente necessitate, generali Africanæ Provinciæ constituto per legatos diversorum Conciliorum inito, generalem hanc prosperè vestro culmini demandavimus relationem.* Ex hisce enim clarissimè deducimus, in tribus Provinciis Numidiæ, Byzacie, & Mauritaniæ contractas à tribus Primatibus Synodos, quarum una edidit sub Stephano Primate Byzaceno extantem hucusque ad Constantem Augustum Synodicam à 42. Episcopis subscriptam. Epistola Synodica.

4. Cum verò Provinciarum Synodi singulæ per electos ex suis Episcopos distinctam relationem mittere niterentur ad Theodorum

 Papam,

Papam, aliquid intervenit, ratione cuius tres illæ Synodi legatos suos in unum Africæ locum miserunt, ubi alia trium Provinciarum Synodus hactenus ignorata celebrata fuit, ex qua tres illi Primates communem Synodicam ad Theodorum miserunt: celebrata fuit hæc Synodus eodem fermè tempore, quo alia Carthaginiensis in Provinciâ Proconsulari, quæ Synodo Romanæ sub Martino 1. inserta est cum

Synod. Carthagin.

hac inscriptione: *Domino Beatissimo, & honorabili sancto fratri Paulo Patriarchæ Gulosus, Probus, & cæteri Episcopi sancti Concilij Proconsularis, qui subterscripturi sumus.* Monent in eâ Paulum de Mutatâ per hæresim Monothelitarum priscâ Patrum fide, & ut hæresis defensionem relinquerent, adhortantur: post allata verò Patrum testimonia subscribit primò Gulosus Puppitanus, deinde Probus Tatiæ Montanensis, Marcellus Mattianensis, & alij usque ad 65. ex quibus apparet, quam numerosa tunc temporis esset in Africâ Episcoporum multitudo, & consequenter quantum floruerit Afrorum Ecclesia. Verum neglectis hisce, dubium exurgit, cur Synodicæ Proconsularis Provinciæ non subscriptus habeatur Carthaginiensis Episcopus? dumque seriò hac de re mecum ago, incidit, quod act. 16. Synodi septæ dixerit Constantinus Ecclesię Constantinopolitanę Presbyter & gram-

Synod. 6.

maticus latinus: *Scio temporibus Pauli Patriarchæ venisse Fortunium, qui fuit Episcopus Carthaginiensis, & cum missas acturus esset in sanctâ magnâ Dei Ecclesiâ, quæsitum est, quomodò sedere debuisset, utrumne ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an post eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarchâ in Bibliothecâ Patriarchij librum quinti Concilij, ut cognosceret, quomodo sedere debuisset, contigit, ut inveniretur & latinus liber eiusdem Concilij. Et exindè instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere.* Fortunius itaque Carthaginiensis Episcopus tempore Pauli Constantinopolitani abfuit à sede suâ, & si rationem expostulas, Christianus Lupus parte 2. dissert. ad Synodum 6. cap. 5. autumat fuisse, quod Georgio Patricio tyrannidem in Africâ exercenti restiterit, & ab eodem Georgio anno 645. Africâ pulsus abierit ad Paulum Constantinopolitanum, post cuius discessum habita fuit Synodus illa Carthaginiensis.

5. Extat Synodica, ut diximus, in Lateranensi sub Martino Papâ Concilio, cui quamvis subscriptus non habeatur Carthaginiensis Episcopus, eam tamen non sine Carthaginiensi Episcopo conscriptam

Libelli Synodic.

fuisse, clarum fit ex auctore libelli Synodici, qui scriptum reliquit: *Victor verò Carthaginis admiratione dignus Episcopus, pariter sacrâ convocata*

vocatâ Synodo, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum anathemate notavit. Nec mirum id cuiquam videri debet, licet jam suprà statuimus hanc Synodum celebratam fuisse tempore Fortunij Carthaginiensis, qui illius Synodicæ subscriptus non habetur. Cum enim pulsus ex Africâ Fortunius Constantinopolim abiisset, à Paulo Constantinopolitano susceptus fuit in communionem; ut audivimus à Constantino Grammatico suprà, cumque ad sacra mysteria celebranda cum Paulo Constantinopolitano, qui pessimus erat Monothelita, assensum præberet, collegerunt ex eo viri eruditi, Fortunium à Paulo ad Monothelitarum hæresim fuisse seductum, quod ubi relatum est ad Romanam & Africanam Ecclesiam, statim excommunicatus fuit, & inquit Christianus Lupus, *eius in locum ab Afris ordinatus, & à Theodoro Pontifice confirmatus est Victor.* Lupus. Neque id gratis dici ex eo probatur, quod post Synodicam Proconsularis Provinciæ in Romanâ Martini Synodo referatur epistolâ Victoris ad Theodorum Papam, in quâ scribit: *possemus verò etiam eidem fratri & Coepiscopo nostro Paulo beatissimo regiæ civitatis Antistiti similia nostris scriptis dirigere, nisi malorum cognosceremus falsis locutionibus dictum fuisse, nostram quasi Africanam Provinciam posse aliqua, quæ in vero non consistunt, mala peragere. Sed & hoc nostræ postulationi subjungimus, ut ea, quæ epistolariter à Coepiscopis nostris sancti Concilij nostri ad beatissimum Paulum Patriarcham scripta sunt, per vestræ beatitudinis responsarios eidem fratri nostro Paulo dirigere jubeatis.* Victor Carthagin. Quibus ex verbis non solum constat, Victorem præfuisse laudato Carthaginiensi Concilio, sed ratio quoque apparet, cur ipse Victor epistolam ad Paulum non direxerit: ob turbas nimirum Imperij Africâ per Georgium Patricium occupatâ, ob quam causam Fortunius discesserat, & ipsi in hæresim lapso Victor substitutus fuerat. Cum enim Africana Provincia apud regiam civitatem infamata esset, tanquam Georgio contrà Imperatorem faveret, & ipse Victor cum Georgij consensu esset electus, valdè suspectæ fuissent Victoris ad Paulum litteræ, apud quem Fortunius adhuc remanebat, qui Georgio restiterat.

6. Electus itaque fuit in locum Fortunij Victor, de quo ipse in suâ ad Theodorum Papam epistolâ: *Significamus Deo placitæ fraternitati vestræ, die decimoseptimo Kalendarum Augustarum indictionis 4. nostram humilitatem divinâ gratiâ, suo ut præmunere præveniente, ut vestris sanctis ac Deo dignis precibus in sanctâ Carthaginiensis civitatis Ecclesiâ honoris accepisse consecrationem, & stolam.* Victor. Ex notâ indictionis

nis patet, circà medium anni 646. fuisse consecratum Carthaginiensem Episcopum: cumque Episcopi Proconsularis Provinciæ instarent, ad exemplum aliarum Provinciarum habendam esse contra Monothelitas Synodum eodem mense Julij vel Kalendis Augusti habuisse Synodum illam Carthaginiensem, ex quâ cum suâ epistolâ & Synodicâ ad Paulum Constantinopolitanum misit Mellosum Episcopum Gisipensem, & Redemptum Diaconum cum Cresciturο notario ad Sedis Apostolicæ Præsulem Theodorum, à quo petit in suâ epistolâ, eosdem ante hyemem remitti. Lecta fuit hæc epistola in Concilio Romano sub Martino primo anno 649. per Paschalium, cum Theophilactus primicerius notariorum dixisset ad Martinum Papam: *Suggero Beatitudini vestræ, quoniam, sicuti & ipsa bene cognoscit, Synodica quoque Præsulis Carthaginiensis, qui & superesse dignoscitur, Sanctissimi Victoris cum cautelâ servatur in vestro venerabili Scrinio.* Quo ex loco habemus anno 649. Victorem Carthaginiensem adhuc superfuisse. Extat inter epistolas Martini ordine quarta ad Ecclesiam Carthaginiensem & omnes ei subiectos Episcopos directa, ubi Africani de actis Romanæ Synodi instruuntur, & commemoratio eorum, quæ acta sunt cum Martino Papâ anno 653. in exilium truso, à quodam Catholico ad Orthodoxos Patres in Africâ missa refertur: & quamvis in ijs nulla memoria reperiatur Carthaginiensis Episcopi, Victorem tamen illis temporibus adhuc superfuisse, verosimile videtur.

Synod. Rom.

CAPVT VII.

De interitu Africanæ Ecclesiæ, à sæculo 8. per Sarracenorum irruptiones introducto, & huc usque continuato.

1. *Sarraceni sæculo 7. Africam occupant, sed tributis ordinatis revertuntur, quibus eodem sæculo successit Constantis tyrannidis.*
2. *Nec primâ Sarracenorum irruptione nec Constantis tyrannide permoti Afri in vitiis pergunt præsertim libidinis, ut de ipsis Africanis Episcopis deplorat Trullanum Concilium: hinc ad finem septimi sæculi reversi Sarraceni Africam depopulantur, & Carthaginem ad solum prostraverunt.*

3. Anno

3. *Anno 690. Iustinianus secundus Africam à Sarracenis recipit, & Cresconius Africanus Episcopus editâ canonum collectione disciplinam restaurare conatur. Sarraceni Africâ iterum potiti per Ioannem Patricium anno 696. expelluntur, sed reversi ad internecionem Patricij exercitum cædunt.*

4. *Sæculi octavi initio Africâ Sarracenorum jugo subiugatur, & sub Gregorio 2. Afri ad transmarinas partes aufugiunt, ubi ordinari vetantur.*

5. *Sæculo octavo tristissima fuit Africanæ Ecclesiæ facies, quæ tamen aliquandiu perseveravit. Sæculo 9. notitia Episcopatuum, ex Basilij Armeni libro confecta, meminit quorumdam Episcopatuum, sed confusione in Provinciarum distributione introductâ.*

6. *Sæculo 11. quinque tantum numerabantur Episcopi in Africâ, quorum contentionem de Primatu editis rescriptis sopire conatus est Leo 9.*

7. *Anno 1076. tantum unus supererat in totâ Africâ Episcopus, cui Gregorius Septimus duos alios addidit, ut à tribus Episcopis alij ordinari possent.*

8. *Alios Episcopos numero 13. numeratos fuisse in Africâ ad sæculi 12. finem, testatur Ioannes Baptista Grammaye, & sæculo 13. Catholicos superfuisse, qui sedem Romanam respiciebant, habes tum ex Iacobo Vitriaco Acconensi Episcopo, tum ex Odorico Raynaldo.*

9. *Anno 1270. S. Ludovicus ex Siciliâ ad Africam pervenit, quo tempore & in urbe Tunetarum multitudo inventa est Christianorum, & Fratrum Prædicatorum congregatio.*

10. *Sæculis sequentibus quam desolata fuerit Sarracenorum & Turcarum jugo pressa religio, paucis indicatur.*

11. *Præsentis Africanæ Ecclesiæ status repetitur ex Ioanne Baptistâ Grammaye, & quædam pro Africanæ Ecclesiæ coronide subjiciuntur.*

1. VT ad ultima religionis nostræ in Africæ regionibus decrementa accedamus, notandum omninò, quod de ortu Sarracenorum scribit ad annum 632. Sigebertus Gemblacensis in Chronico: *Sarraceni, qui hactenus fuerant sub Persarum regno, eos bello victos versâ vice sub suo redigunt dominio.* Exorti enim & victores jam semel effecti, limites suos transgressi sunt, & factum est, quod ad annum 648. narrat idem Sigebertus: *Saraceni Africam occupant.* Eadem habet auctor ille, qui latet sub nomine Eutropij, libro namque 19. rerum Romanarum ad annum Constantis 6. *Sarraceni*, inquit, *hostiliter Africam adierunt, & conflictu* Sigebertus. Auctor Miscell.

conflictu agitato adversus tyrannum Gregorium, hunc in fugam vertunt, & eos, qui cum ipso erant, interimunt, & hunc ab Africâ pellunt: atque tributis cum Afris ordinatis & pactis reversi sunt. Mutuavit hæc auctor ex Theophene in chronologiâ per Anastasium Bibliothecarium latinitate donatâ, ubi dissidia religionis in causâ Monothelitarum occasionem dedisse refert potissimùm per Sarracenos Africæ: aliam introductæ per Sarracenos ruinæ rationem licet repetere ex dissolutâ cleri disciplinâ conquerente suo tempore Gregorio magno de ipsis sacerdotum delictis, quæ extunc cœperant invalescere. Permisit insuper Deus Constantis tyrannidem, de quo Anastasius Bibliothecarius sub Vitaliano Papâ anno 658. ad Pontificatum assumpto, quod Constantinopoli ad occidentem veniens talem afflictionem posuerit *in populo seu habitatoribus vel possessoribus Provinciarum Calabriæ, siciliæ, Africæ, sardiniæ, seu capita aut nauticationes per annos plurimos, quales à sæculo numquam fuerant, ut etiam uxores à Maritis, vel filios à patre separarent.* Et ne Constantis asseclæ sacerdotibus vel Ecclesiis pepercisse viderentur, *& vasa sacrata*, inquit Anastasius, *vel Cimelia sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt.*

Anastasius Bibliothec.

2. Afros ab antiquis etiam gentium scriptoribus pro vitiosissimis fuisse habitos, notat Rodiginus: eos fraudulentos & ad dolum proclives habebant Romani ante Christum natum, & post Christi tempora ita de eis loquitur Salvianus libro 7. de providentiâ: *in Afris penè omnibus nescio quid non malum: si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt. Si ebrietas, ebriosi sunt. Si falsitas, fallacissimi. Si dolus, fraudulentissimi. Si cupiditas, cupidissimi. Si perfidia, perfidissimi.* Et post hæc omnia addit impuritatis vitia eis esse propria: *tam infrequens est enim hoc, & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quam novum & inauditum, Afrum non esse Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis est, ut quicumque ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur.* Et cum vitium hoc effecisse deplorat, ut eversionem tandem à barbaris in commune tolerarent, clerum & sacerdotes à mali causâ excepit, *quos*, inquit, *ita solos puros arbitror fuisse in altario, sicut pereuntibus sodomis solum Loth fuisse in monte legimus.* Verum si innatum genti vitium cum tempore in deterius vergat, ubi Ecclesia Africana ad occasum vergebat, ex plebe in clerum irrepsit furor libidinum, & dissolutâ Ecclesiæ disciplinâ ipsi Episcopi passim cœperunt cum uxoribus suis magno fidelium scandalo cohabitare, de quo ducenti octuaginta novem orientis Episcopi anno 690. in Synodo Trullanâ adunati

Salvianus.

adunati can. 12. *Porro hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africâ & Lybiâ & aliis locis, quidam ex ijs, qui illic sunt religiosissimi præsules, cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes.* Quod si religiosissimi Africæ præsules cum suis uxoribus magno fidelium scandalo habitabant, quænam carnis vitia in cæteros tunc irrepserint, cum Eminentissimo Cardinali Baronio transire malo, quam describere. Ut autem primitivorum Afrorum libido, teste Salviano, induxit persecutores Vandalos, ita posteriorum libidine irretitus Altissimus immisit devastatores Sarracenos: *Sarraceni autem moverunt exercitum in Africam*, inquit auctor latens sub nomine Eutropij, qui & addit: *& captiva duxerunt millia, ut ferunt, octuaginta.* Paulus Diaconus libro 6. de gestis Longobardorum, cap. 4. hæc Paulò Fusius enarrat: *tunc Sarracenorum gens infidelis & Deo inimica ex Ægypto & Africâ cum nimiâ multitudine pergens obsessam Carthaginem cœpit, captamque crudeliter depopulata est, & ad solum usque prostravit*: scribit hoc factum esse sub Constantino Imperatore, qui anno 684. obiisse traditur, sicque florentissima illa civitas, Africæ princeps, & in orbe suo altera Roma validam Sarracenorum manum traxit in sui ruinam, sub cuius ruderibus multo tempore jacuit ignobilis.

Auctor Miscell.

Canon 12. Trullan.

Paulus Diac.

3. Iustiniano 2. in locum Constantini subrogato pacem cum Sarracenis initam anno imperij sui sexto, tuetur auctor, qui latet sub nomine Eutropij: cum verò Iustinianus anno 684. imperium obtinuit, rectè Baronius in annum 690. retulit, quod Paulus Diaconus cap. 4. citato scriptum reliquit: *is Africam à Sarracenis recepit, & cum eisdem pacem transmaria fecit.* Et Venerabilis Beda libro de sex ætatibus anno 4649. Africam *ab eis recepit, quæ fuerat tenta à Sarracenis, ipsâ Carthagine ab eis subjugatâ & deletâ.* Viderunt, qui tunc vivebant Africæ Episcopi, hæc omnia provenire ex dissolutâ Ecclesiæ disciplinâ, hinc Liberius aut Liberinus Africæ Episcopus rogavit Cresconium collegam suum, ut canonum collectionem adornaret, quâ antiqua Ecclesiæ disciplina restitueretur: laborem suscepit Cresconius sciens, *Ecclesiasticas sanctiones rectè vivendi terminum piis ac fidelibus animis præfixisse.* Fuitque omnium Afrorum, quos novi, ultimus, qui pro fide Catholicâ, & pro Ecclesiæ disciplinâ opus aliquod elucubravit. Extat impressa Cresconij collectio tomo 1. Bibliothecæ juris Canonici, in cuius præfatione scribunt Voellus & Iustellus junior, quod à Baronio jam notatum est ex Codice M. S. in Bibliothecâ Vati-

Paulus Diac.

Beda.

Cresconius.

canâ

canâ extante, eo tempore vixisse Cresconium, quo Ioannes Patricius victoriam de Sarracenis in Africâ reportavit, *quam Cedrenus ad annum 3. imperij Leontij refert, hoc est, ut ex Anastasio in historiâ Ecclesiasticâ discimus, anno Christi 690.* Verum pace virorum eruditorum dixerim, annus 690. fuit Sextus Iustiani, quo jam audivimus pacem cum Sarracenis ruptam: nec Imperium assumpsit Leontius, nisi anno 694. ut cum Baronio tuetur Labbeus, unde cum scribit auctor Miscellaneorum sub Eutropij nomine libro 20. in Leontio: *anno tertio imperij Leontij acie Arabes in Africam motâ, hanc obtinuerunt. Quibus compertis Leontius mittit Ioannem Patricium virum idoneum cum omnibus Romanis classibus. Qui cum Carthaginem pervenisset, & bello catenam portumque eius aperuisset, inimicosque in fugam vertisset, hos viriliter insecutus universa liberavit Africa castra.* Ea narrat, quæ anno 696. circa finem contigerunt: addit enim, Ioannem Patricium post partam de Sarracenis victoriam in Africâ hiemasse, & irruptione iterum per Sarracenos factâ ad internecionem totius exercitus cæsum, quod anno 697. adscribit Baronius.

Præfat. Bibliothec.

Auctor Miscell.

4. Octavo Christi sæculo sub Ioanne 6. qui anno 702. Pontificatum assumpsit, scribit Æneas Sylvius in Flavij Blondi epitome lib. 10. decadis 1. omnimodam Africæ sub Arabum aut Sarracenorum regno factam deditionem: *sic Africa*, inquit, *Vandalorum manibus erepta, iterum sub Romano Imperio annis uno & septuagesimo suprà centesimum subdi cœpit Sarracenis, sub quibus fuit usque in hac tempora annis septingentis quadraginta.* Ex quibus conficitur, cum anno 533. Bellixarius Africam Romano imperio restituerit, anno 703. per Sarracenos iterum occupatam, & Romano Imperio ereptam, unde rectè asserit Ioannes Baptista Grammaye lib. 5. cap. ultimo, quod *ante annum 710. totus hic Africa tractus in solidum Romanis eiectis Sarracenorum fuit subditus Dominatui.* Excidij fusam descriptionem habes apud Marmolium libro 2. capite 9. cuius Sigebertus Genblacensis (ut notat Genebrardus in chronographiâ) meminit sub Gregorio 2. qui anno 715. Pontifex creatus fuit: quod licet aliis chronologis adversetur, hoc tamen habet veritatis, quod sub Gregorio 2. de Africæ clericis statutum sit, illos non amplius esse ordinandos: sic enim Gregorius 2. epist. 4. ad clerum Turingiensem data Kalend. Decemb. indictione 4. Leonis Augusti 7. Christi verò 723. *Afros passim ad Ecclesiasticos ordines procedentes nullâ ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati.* Nec mirum cuiquam videri debet, quod hoc prohibeatur

Æneas Sylv.

Grammaye.

Gregorius 2.

hibeatur Bonifacio Turingiorum Episcopo, nam Africâ per Sarracenos occupatâ clerici & fideles quamplurimi ad transmarinas Italiæ ac Galliæ regiones confugerunt. Cumque jam ante captam à Sarracenis Africam Afri non vitiis solum, sed hæresibus quoque essent implicati, ijque sub catholicorum nomine latitantes in Europam transmigrassent, ut à Catholicis ordinarentur, ad Turingiam usque penetrarant, & cum à Bonifacio Turingiorum Episcopo plures fuissent ordinati, hoc in causâ fuit, quod Gregorius secundus clero Turingiensi laudatas suprà litteras transmiserit.

5. Tristissima quidem fuit hoc sæculo Africanæ Ecclesiæ facies, perseveravit tamen teste Joanne Leone adhuc aliquamdiu, licet Sarracenorum jugo pressa religio. Non interfuerunt Concilio generali 7. anno 787. Niceæ celebrato aliqui ex Africæ Episcopis, uti nec Concilio Generali 8. anno 869. tempore Hadriani 2. non ideo tamen omnes omninò Episcopos defecisse credendum est: auctor enim ille, qui sub Imperio Leonis sapientis anno 891. floruit, ex Basilij Armeni libro notitiam Episcopatuum exhibens sub Eparcho Africæ constituit Provincias quatuor: Byzacenam cum 14. civitatibus, Numidiam cum 15. Mauritaniam 1. cum Rhinocururo, & Mauritaniam 2. cum civitatibus 17. quas omnes Episcopali dignitate insignes exhibet. Edidit hanc notitiam Iacobus Goar in corpore Byzantinæ Historiæ, & Gulielmus Beveregius tomo 2. pandectæ canonum, & quamvis sub Provinciâ Byzacenâ compareat *Carthagena Proconsularis*, non obinde erroris arguenda venit Episcopatuum notitia; ut enim Nilus Doxapatrius libro de quinque thronis Patriarchalibus an. 1043. Rogerio Siciliæ regi nuncupato: *Romanus obtinebat Provinciam Byzacia, in quâ est Carthago, & Mauritaniam.* Quibus ex verbis colligimus, introductam post Sarracenorum irruptiones aliam Provinciarum divisionem, Carthagenâ proconsulari sub Byzacenâ Provinciâ collocatâ.

Notitia. Græca.

Nilus. Doxapat.

6. In Patriarchatuum notitiâ per Nilum Doxapatrium editâ non comparent Episcopatus Provinciarum Byzacenæ & Mauritaniæ, quod illi jam omnes ferè essent extirpati, referentibus anno 1053. Petro & Joanne Africanis Episcopis, quinque vix Episcopos tunc in Africâ repertos, de quibus anno 1054. Leo 9. epist. 4. ad Petrum & Ioannem Episcopos: *decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum à gentibus nimium dolemus, ut modò vix 5. inveniantur Episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per Concilia plenaria computari: & ibi pauculas oves quoti-*

Leo. 9.

quotidianæ occisioni deputatas remansisse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exultabat altâ pace. Considerat Leo 9. Africanam Ecclesiam prout fuit initio, & prout nunc erat suo sæculo, & cum primitus floruerat numerosâ plebe conspicua, nunc sub gentilium jugo suppressam ad exiguum numerum cernit redactam, quod plurimum deplorat, rationem in peccata rejiciens, quæ nunc inter 5. Episcopos non deerant Gummitano Episcopo Primatum contra Carthaginiensem ambiente, cui dum laudati Africani Episcopi totis viribus obsistebant, obstitit & hac de re consultus Leo 9. & Carthaginiensem Episcopum primum post Romanum Episcopum mansurum in occidente Metropolitanum deprædicat, *idque*, inquit, *sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando.* Quibus verbis indicat, Carthaginem tunc sub ruderibus jacuisse ignobilem, quæ restitutione indigebat, ut ad pristinum rediret.

7. Nondum Africana Ecclesia ad ruinam pertigerat ad quam tamen festino gressu properabat. Leonis namque noni tempore ubi Africa quinque tantum habuisset Episcopos, post annos circiter viginti quatuor non habebat nisi duos, de quibus Gregorius 7. lib. 3. epistolâ 19. ad Cyriacum Carthaginiensem Episcopum: *pervenit ad aures nostras, quod Africa, quæ pars mundi esse dicitur, quæque etiam antiquitus vigente ibi Christianitate maximo Episcoporum numero regebatur, ad tantum periculum devenerit, ut in ordinando Episcopo tres non habeat Episcopos,* Scripta est hæc epistola indictione 14. anno 1076. ad Cyriacum Carthaginiensem Episcopum, qui jam inde ab anno 1073. à plebe suâ coram Sarracenis impiè accusatus verbera nudus exceperat: quâ de re Gregorius 7. anno 1074. non solum conquestus erat in litteris ad Carthaginienses extantibus libro 1. num. 22. sed consolatus quoque est ipsum Cyriacum Carthaginiensem Archiepiscopum scriptâ ad eum epistolâ, in quâ precatur omnipotentem, *ut ipse Ecclesiam* Gregor. 7. *Africanam ex longo jam tempore laborantem, & diversarum perturbationum fluctibus conquassatam, tandem dignetur respicere.* Nec irritas fuisse preces, ex eo colligi videtur, quod Gregorius libro 3. epistolâ 19. citatâ testetur, se nuper manum alicui imposuisse, qui secundus esset in Africâ Episcopus; & cum ibidem alium expostularet, ut tres omninò essent in Africâ Episcopi, qui alios ordinare possent, scribit in epistolâ 21. ad Azir regem Mauritaniæ, se ad ejus petitionem *Servandum presbyterum* ordinasse in Episcopum & epistolâ 20. ad clerum & populum Hipponensem in Mauritaniâ Sitifensi constitutum:

Servan-

Servandum Archiepiscopum, quem ad nos consecrandum misistis, juxtà petitionem vestram secundum legem nostram diviná favente clementiâ consecravimus, atque consecratum, nostrisque legalibus moribus in quantum possibilitas, spatiumque temporis indulsit, diligenter instructum ad vos remisimus. Quibus ex verbis non solum colligitur Africanam Ecclesiam ab avitâ disciplinâ tunc temporis plurimum defecisse, sed & sub jugo Sarracenorum Episcopos eius Romanam Ecclesiam respexisse.

8. An missi à Gregorio 7. Episcopi duo, Hipponensis nimirum & alter nobis incognitus diu plebem Catholicam rexerint cum Cyriaco Carthaginiensi Episcopo, latet & ignoratur: quin tamen plures tunc temporis instituti fuerint Episcopi Africani, dubitari non sinit numerosa subsequenti sæculo Episcoporum multitudo, de quâ Ioannis Baptista Grammaye libro 2. Africæ illustratæ, capite 5. *Anno 1193. Archiepiscopi tres & Episcopi decem in Barbariâ nominantur, omnes Alexandrino Patriarchæ vicino parentes.* Quinam illi Episcopi fuerint, & undenam hæc ipsa hauserit Grammaye, nondum invenire potui, cum tamen Ægyptij sæpius in Africam irruperint, facilè contingere potuit, vacillantes Africæ Episcopos vela cum fortunâ vertisse, & Alexandrinò Patriarchæ non minus quam Ægyptiorum Calyphiæ paruisse manserunt tamen semper in Africâ fideles aliqui sub jugo Sarracenorum pressi, qui Romanam sedem ut Patriarchalem suam, & totius Ecclesiæ principatum obtinentem respicerent testem huius veritatis luculentissimum habemus Iacobum de Vitriaco Acconensem Episcopum in historiâ Hierosolymitanâ capite 80. *Illi vero Christiani, qui in Africâ & Hispaniâ inter occidentales Sarracenos commorantur, Mozarabes nuncupati, latinam habent litteram, & latino sermone in scripturis utuntur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut alij latini cum omni humilitate & devotione obediunt, ab articulis fidei vel Sacramentis in nullo deviantes.* Floruit Iacobus de Vitriaco ab initio sæculi 13. & in partibus orientis constitutus historiam suam conscripsit, ut Gregorius 9. anno 1237. regno Marochitano propagatâ ibidem religione, meritò Episcopum præfecerit; & Innocentius 4. anno 1252. Alphonso Hispaniæ regi animum addiderit, Sarracenos ex Africâ Pellendi; anno 1255. Alexander 4. Lupum Marochitanum epistolâ 230. legati dignitate per Africam ornarit, ut pluribus refert Odoricus Raynaldus tom.13. & 14. ad annos citatos.

Grammaye.

Iacob. de Vitriaco.

9. Scribit iterum Ioannis Baptista Grammaye, quod anno 1260. *Sub Metropoli Carthaginis recenseantur quatuor Episcopi durâ pressi servitute:*

Grammaye.

tute: & hos ipsos Sedi Apostolicæ paruisse, colligere licet ex pluribus. Narrat Odoricus Raynaldus anno 1270. num. 10. expeditionem à S. Ludovico factam in Africam, eoque tempore Carthaginem alterius celebratissimæ Carthaginis ruinis impositam levi conatu in Christianorum potestatem redactam: rem pluribus edicit Gulielmus de Nangis in vitâ S. Ludovici ex Bibliothecâ P. Pithœi editâ S. Ludovicus ex Siciliâ ad Africam pervenit anno 1270. quo anno castrum Carthaginis capit, de cuius civitate idem auctor: *fuit autem illa Carthago, quæ nunc redacta est parvissimi ad instar oppidi, antiquitus urbs nobilissima &c.* Addit Gulielmus de Nangis in vitâ Philippi audacis, ruinas murorum Carthaginis superfuisse, in quibus Sarraceni latitabant, & pergit: in urbe Tunarum, ad quam Philippus post obitum Patris Ludovici properabat, *erat multitudo Christianorum jugo tamen servitutis Sarracenorum oppressa, & Fratrum Prædicatorum congregatio, ac Ecclesia constructa, in quibus fideles quotidiè confluebant: quos omnes ex sui regis præcepto Sarraceni captos incarceraverant, cum fines suos intravisse francorum exercitum cognovissent.* Quo ex loco habemus, fideles Tunetanos Ecclesiæ Romanæ paruisse, habentes congregationem Fratrum Prædicatorum, qui Sedi Apostolicæ subditi erant, ex quibus etiam unus erat in exercitu francorum, de quo S. Ludovicus moriens dixerat: *pro Deo studeamus, quomodò fides Catholica possit apud Tunicium prædicari & plantari. O quis esset idoneus, ut mitteretur ibi ad prædicandum? & nominabat quemdam Fratrem Ordinis Iacobitarum, qui alias illic iverat, & regi Tunicij notus erat.* Fuitque idem ille, qui in locum defuncti per Africam Sedis Apostolicæ legati fuit substitutus, ubi Gallis ex Africâ discedentibus cum liberatis per pacis conditiones omnis congregationis suæ fratribus creditur permansisse.

Gulielmus de Nangis.

S. Ludovic.

10. Quid posterioribus sæculis accidit, brevi complectemur: anno 1380. in Germaniam venit Iosias Africæ Episcopus, & sæculo sequenti ad annum 1418. narrat Odoricus Raynaldus, à Ioanne Lusitaniæ rege expeditionem paratam fuisse in Africam sollicitante Martino 5. totius Ecclesiæ Præsules ad opem ferendam, quod renovavit anno 1419. datâ ad omnes fideles epistolâ. Cumque inter reges Lusitaniæ & Hispaniæ jus expugnandi Africam controverteretur, addit Odoricus Raynaldus tomo 20. ad annum 1494. ab Alexandro 6. Ferdinando Hispaniæ regi datum jus expugnandi regna Argelæ & Bugei cum Tuneti civitate, quæ ultimis hisce temporibus non procul à Carthagine

thagine sub ruderibus sepulta floret in Provinciâ quondam Proconsulari dictâ : jure autem illo usus anno 1535. Carolus 5. expugnavit Tunetum magnâ Christiani nominis gloriâ, quandoquidem urbe captâ 22000. Christianos servituti ereptos libertati restituerit. Nec alios Christianos quam servos à Carolo 5. in Africâ inventos, memorat antiquus vitæ illius auctor, quod Africa sub turcarum Imperio tributaria effecta plerique, qui restarant fideles aufugere coacti, vel si aliis in civitatibus manere permissi, latitarent, & Episcopis orbati essent. Misit proinde Hadrianus 6. Ioannem Vegam sub titulo Cæsariensis Episcopi in Mauritaniam, qui senio confectus vitâ functus est in Oram. Paulus quoque tertius Episcopo Septano curam mandavit Mauritaniarum, qui & anno 1545. easdem illo, quo potuit sub infidelium tyrannide, administravit modo. Anno 1581. Thomas Episcopus Hibernus in mari à Barbaris captus, cum à Gregorio 13. esset redemptus, ante suum ex Africâ discessum visitavit Ecclesias Hipponæ, Constantinæ, Melianæ, Tremecenæ, & Bugiæ, quæ omnes sine Episcopo gemebant, quem eis anno 1583. concessit nominando unum ex ordine Patrum minorum, cuius nomen excidit.

11. Atqui hic est præsens Africanæ Ecclesiæ status, quem graphicè nobis ob oculos posuit, qui in Africâ circà annum 19. præsentis sæculi versatus fuit Joannes Baptista Grammaye serenissimi ducis Alberti historiographus : servos ait miserè ubique tractatos sub turcis & Barbaris, qui civitatibus Tingi & Oram exceptis totum tractum Africæ Maritimæ possident : illic nullam esse redemptionem nisi magnâ pecuniarum summâ ex Christianorum eleëmosynis comparatâ, quam religiosi SS. Trinitatis adferre consueverunt. Homines liberos, qui mercaturæ operam navant, si Christiani sint, publico tamen religionis Christianæ exercitio privatos testatur, nullum illic inveniri Episcopum, nullum pastorem, omnem sacerdotem advenam à censuris absolvere, Sacramenta administrare, & sacrificium etiam sine sacratis vestibus in singulorum Christianorum domibus occultè dumtaxat offerre : ex tot demum centenis millibus Christianorum, qui olim sub tanto Episcoporum numero in Africâ degebant, nunc ultrà 32000. non reputari : ex illis verò quia pueris desunt, qui catechisant ; adultis, qui concionentur ; pœnitentibus, qui instruant ; quovis anno suprà trecentos ad Mahometismum degenerare.

Pro Africanæ Ecclesiæ Coronide.

PErduximus Africanam Ecclesiam à suis primordiis ad postremam usque sub Sarracenorum tyrannide continuatam decem ferè sæculis ruinam, quam dum in ipsomet opere levi dumtaxat penicillo obumbravi, utinam in hac operis coronide ijs coloribus delineare possem, qui sanguineas lacrymas extorquerent ad condolendum miseriis, & Christianorum principum corda converterent ad obsistendum tyrannis. Cum Africa peccatis quondam suis Arianorum rabiem in caput suum traxisset, & evocatus ex Hispaniâ Vandalus cunctas maris mediterranei oras cum sex Africæ Provinciis devastaret, ex Hipponensis urbis obsidio dignam ingenio suo protulit Augustinus sententiam, magnum non esse, qui magnum putat, quod cadunt lapides, & moriuntur mortales. Extremam hanc magni viri sententiam celebrat in vitâ eius Possidius Calamensis in Africâ Episcopus, dumque sub ruinâ civitatis in sua resolutus initia iacuit Augustinus, phœnicis instar redivivum optavit Victor Vitensis, ut non jam initia Vandalicæ tyrannidis, quæ furorem suum in muros & lapides effundebat, sed posteriora Vandalorum tempora, quibus Arianorum rabies in Ecclesias & fideles sæviebat, eloquentissimo describerit eloquio, & stylo ad emollienda mortalium corda parato exararet.

Scio quidem à Victore Vitensi creditum nec ipsum Augustinum ad enarrandas Ecclesiarum ruinas sufficere potuisse, ideoque oculis in cœlum elatis sanctos Dei angelos ad subsidium evocasse, & à cœlo avulsos in orbem terrarum coniecisse, ut convocatis undique fidelibus, eos ad prostrata in solum templa, Prophanata impiorum manibus mysteria, conculcata Arianorum furore sacraria, una cum fidelibus Afris deploranda excitaret: *conveniant simul*, inquit, *ad domum nostri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lacrymarum, quia causa & fidei nostra unum est negotium.* Sed si ista de Vandalorum persecutione, quæ eodem, quo cœpit sæculo, evanuit, scripta reliquerit Victor Vitensis, quid nos de Sarracenorum tyrannide, quæ sæculo septimo iteratâ irruptione retruduit, & octavo sæculo non solum cum Ecclesiæ detrimento prævaluit, sed in hunc usque diem cum religionis nostræ per Africam exitio perduravit? si regionem ipsam spectemus, quam olim

olim imperio contributam, nunc sub Turcarum iugo in Barbariam transmutatam videbimus: si Provincias lustremus, ne nomina quidem retinuisse, sed in Barbararum gentium regna, ubi justitiæ loco impietas gubernat, mutatas cernemus: si urbes & lapides consideremus, jam integra castrorum & civitatum excidia deploranda erunt, quorum si muros queras, nec ruinas invenies, ut nec locum, in quo olim steterunt, Africanus ipse queat ostendere. Si Ecclesias inquiramus, non templa solito in ornatu fulgentia, sed ædificia ad terram prostrata, altaria à Barbaris diruta, Martyrum sepulchra ab infidelibus eversa, sacratissima fidei nostræ mysteria impiorum pedibus conculcata sanguineis lachrymis cogemur deplorare. Si Episcopos, si sacerdotes, si clerum universum intueamus, non unius sæculi exules, sed variis tormentis enecatos à septingentis & amplius annis defecisse videbimus sacerdotes, ut ex tanto Episcoporum numero, ex innumero Africanæ Ecclesiæ clero nullus Antistes supersit, nullus pastor sit reliquus, qui pusillo gregi invigilet, & desolatas sub Barbaris Christianorum reliquias consoletur, aut protegat.

Florebat quondam in æmulâ Romani Imperij civitate religio nostra, quæ si primo sæculo pedem fixerat in urbe Româ, secundo Christi sæculo colossi instar Rhodij alterum pedem in Carthagine collocarat, ut coniunctis in fidei unitatem duabus illis florentissimis Ecclesiis, Europa & Africa communionis societate gauderent: navigantibus jam olim ex Africâ fidelibus suadebat Cyprianus, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent, sed ruptâ semel Ecclesiasticæ communionis pace, & Carthagine per Sarracenorum tyrannidem à Romanâ fide avulsâ, omnis Africæ ora maritima ex fidei propugnaculo facta est pyratarum latibulum, ut navigantibus interdicta sit non religionis solum, sed omnis humanæ societatis commercium: si Europeorum naves trans mare navigent, nullâ Christianorum principum factâ discretione ab Afris invaduntur, bona omnia diripiuntur ab infidelibus, fideles ipsi vel in mare projiciuntur, vel servati nudi exponuntur in foro per subhastationem vendendi. Si quis fortè, addit Grammaye, ex nauseâ, morbo, aut vulnere malè se habeat, pro solatio & medicinâ exprobrationes dumtaxat & blasphemias audit, citiusque cani languenti turca succurret quam Christiano: quod si diutius langueat, ut de valetudine desperetur, in mare semivivum præcipitari, in agris bestiis & feris objici familiare est Afris.

Cum Africa olim sub Vandalorum tyrannide persecutionem

pateretur

pateretur in suis fidelibus, vix innotuit incomperto nobis orientis Episcopo tanta Afrorum miseria, quin Justinianum Imperatorem ad Christianos in Lybiâ pristinæ suæ libertati restituendos excitarit, ut fusius in Vandalorum historiâ enarrat Cæsariensis Procopius. Jacet nunc Africa universa non sub Arianorum, sed Barbarorum tyrannide oppressa, nec Afri solum, sed ex toto orbe Christiani illic vel incarcerati jacent, vel vincti triremes movent, vel servitute oppressi flagellis impelluntur, vel fame languidi enecantur. Nec opus est Episcopo divinitus monito, qui hæc Christianorum principum auribus exponat, fiunt enim hæc omnia & longe funestiora in conspectu suorum consulum, qui testes oculati hæc coram aspiciunt, & de afflictissimo Afrorum fidelium statu veritatis testimonium ad principes suos transmittere possunt. Quod si jam votis agendum esset, desiderare liceret alterum Iustinianum, qui misso in Africam Bellizario tribus mensibus redditâ libertate Christianis totam expugnavit: sed cum relapsos toties in vitia Afros intuemur, ut tandem Sarracenorum furoribus traditi per octingentos annos fidei hostibus paruerint; absque eo quod vel S. Ludovici francorum regis conatu, vel aliorum Principum Christianorum armis potuerint ex impiorum manibus liberari, à votis cessandum videtur: inscrutabili enim divinæ providentiæ Consilio Afros desertos videmus, ut tepescente fidelium fervore Christiani trans mare positi oculos in oppositas Africæ oras coniiciant, & Afrorum miseriis edocti ab hæresi, schismate, ac vitiis tantorum malorum causis abstineant. Monuerat Deus iteratis Sarracenorum irruptionibus Africam universam omni errorum & vitiorum cœno involutam, nec monita resipuit, unde infidelium jugo subiecta iteratis Christianorum principum conatibus liberari numquam potuit, ut nos Christianorum reliquiæ in transmarinis partibus positæ ad pristinum fervorem reversæ horreamus incidere in manus Dei viventis, quæ tantâ Afros suppresserunt ruinâ, ut incertum maneat, an umquam ex ruderibus suis resurget tam florens & conspicua, quam olim fuit, Africana in meridie Ecclesia.

INDEX

INDEX
RERVM
MEMORABILIUM.

A.

D.

Donatistæ

N.

O.

P.

Ponti-

Q.

R.

FINIS.